COMMENTARII THEOLOGICI

DE DEO TRINO ET CREATORE

DE VERBO INCARNATO

DE GRATIA ET DE VIRTUTIBUS INFUSIS

TAURINI

EX TYPIS SALESIANIS

COMMENTARII THEOLOGICI

AUCTORE

JOANNE MACGUINNESS C. M.

IN COLLEGIO HIBERNORUM PARISIENSI THEOLOGIAE PROFESSORE

EDITIO ALTERA

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS TRACTATUS

DE DEO TRINO ET CREATORE

DE VERBO INCARNATO

DE GRATIA ET DE VIRTUTIBUS INFUSIS

WITHDRAWN

EX LIBRIS PROVINCIAE

PRO STUDIO THEOL.

S.S. CORDIS JESU.

230
M148c
v.2

PARISIIS

P. LETHIELLEUX, 10 RUE CASSETTE

DUBLINII: M. H. GILL & SON

MCMXI

1024

APPROBATIONES

NIHIL OBSTAT.

Taurini, die 1 Octobris 1910

Jo. Baptista Cerchio

Cens. dep.

IMPRIMATUR.

Parisiis, die 4 Octobris 1910

A. Fiat

Sup. Gen.

IMPRIMATUR.

Parisiis, die 7 Octobris 1910

G. Lefebvre

Vic. Gen.

« Ut docerem quod didiceram, non a meipso, id est, a praesumptione, pessimo praeceptore, sed ab illustribus Ecclesiae viris ».

S. Hieron., *epist.* 118, *ad Eustoch. virg.*, n. 26.

INDEX RERUM

DE DEO TRINO

QUAESTIO PRIMA

De SS. Trinitatis Existentia

PRAENOTIONES 1

CAPUT PRIMUM: De Trinitate in Unitate.

Propositio. Sunt in Deo tres personae distinctae . . . 5

Scholion de textu 1 Jo. 5. 7 14

CAPUT SECUNDUM: De Unitate in Trinitate.

Propositio I. Verbum est vere ac proprie Deus ac Patri consubstantiale 19

Obs. de textu hebraico Psalmi 109. 3 20

Scholion de « Logo » S. Joannis 22

Propositio II. Spiritus sanctus est persona divina, Patri Filioque consubstantialis 42

QUAESTIO SECUNDA

De SS. Trinitatis Cognitione

Propositio I. Existentia mysterii SS. Trinitatis cognosci non potest, nisi revelatione divina 49

Propositio II. Demonstrari nequit, SS. Trinitatis mysterium rectae rationi adversari 54

Propositio III. Trinitate divina per revelationem jam cognita, potest mysterium rationibus naturalibus probabile suaderi, et variis exemplis licet imperfectis suaderi 59

QUAESTIO TERTIA

De Processionibus Divinis

CAPUT PRIMUM: De Existentia et numero divinarum Processionum.

Propositio I. Datur in Deo vera processio metaphysica . 62

Propositio II. Duae sunt in Deo processiones, nec plures nec pauciores 64

21643

CAPUT SECUNDUM: De principiis divinarum Processionum generatim.

Propositio. Principium quo proximum processionum sunt (1) intellectus et voluntas, prout (2) sunt notionales seu quatenus connotant relationes paternitatis et spirationis activae 67

CAPUT TERTIUM: De Processione Filii.

ART. 1. Utrum per operationem intelligendi procedat Filius.

Propositio. Filius procedit a Patre per operationem intellectus 68

ART. 2. Ex quarum rerum cognitione procedat Filius.

Propositio I. Verbum essentialiter et necessario procedit, non solum ex cognitione essentiae divinae et attributorum absolutorum, sed etiam ex cognitione trium personarum et creaturarum possibilium 72

Propositio II. Verbum non procedit per se ex cognitione creaturarum in aliqua differentia temporis existentium, sed concomitanter tantum et per accidens . 74

CAPUT QUARTUM: De Processione Spiritus sancti.

ART. 1. Ex quibus personis procedat Spiritus sanctus.

§ 1. Utrum Spiritus S. procedat a Patre Filioque.

Propositio. Spiritus sanctus vere a Filio procedit . . . 76

Scholion de unica spiratione Patris et Filii 82

§ 2. Utrum particula « Filioque » jure et rationabiliter Symbolo sit addita.

Propositio. Particula « Filioque » jure ac rationabiliter addita fuit Symbolo 83

§ 3. Utrum Spiritus sanctus esset persona distincta a Filio si ab ipso non procederet.

Propositio. Si Spiritus sanctus a Filio non procederet, non distingueretur realiter ab eo: seu, generalius, personae divinae solis relationibus originis realiter inter se distinguuntur 85

ART. 2. Per quam operationem procedat Spiritus sanctus.

Propósitio. Spiritus sanctus per operationem voluntatis procedit 88

CAPUT QUINTUM: De duarum Processionum Discrimine.

ART. 1. Duarum Processionum Discrimen statuitur.

Propositio. Processio Verbi est generatio, non vero processio Spiritus sancti 92

Scholion de termino generationis divinae 92

ART. 2. De ratione Discriminis inter duas Processiones.

Propositio. Ideo processio Verbi est generatio et non processio Spiritus sancti, quia processio Verbi est per intellectum qui vi sua est assimilativus, et processio Spiritus sancti est per voluntatem, quae non est vi sua assimilativa 94

QUAESTIO QUARTA

De iis in quibus differunt divinae personae

CAPUT PRIMUM: De Relationibus divinis.

ART. 1. De numero et quidditate Relationum originis.

Propositio. Quatuor sunt in Deo relationes originis, nimirum paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva; quae relationes sunt reales; et etiam subsistentes: excepta secundum communem sententiam, spiratione activa 98

ART. 2. De Distinctione divinarum Relationum.

Propositio I. Relationes originis ab essentia 1. non realiter, sed tantum 2. virtualiter distinguuntur . . . 99

Propositio II. Relationes originis, quae sibi mutuo opponuntur, nimirum paternitas, filiatio, et spiratio passiva, a se invicem realiter distinguuntur; spiratio autem activa non distinguitur realiter a paternitate, nec a filiatione 100

ART. 3. De munere divinarum Relationum.

Propositio. Personae divinae non constituuntur proprietatibus absolutis, et quamvis per origines constitui dici possint, verius tamen relationibus constitui dicuntur 101

CAPUT SECUNDUM: De Notionibus Divinis.

Propositio. Quinque admittendae sunt in Deo notiones, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva 102

QUAESTIO QUINTA

De iis in quibus conveniunt divinae personae

CAPUT PRIMUM: An triplex sit divinarum personarum Existentia relativa.

Propositio. Personae divinae non habent, praeter existentiam absolutam, existentias proprias relativas . . . 104

CAPUT SECUNDUM: An triplex sit Subsistentia relativa: an etiam una communis et absoluta.

Propositio I. In Deo admittendae sunt subsistentiae relativae 106

Propositio II. Non est admittenda in Deo quarta proprii nominis subsistentia absoluta et communis . . 106

CAPUT TERTIUM: De Circumincessione divinarum personarum.
Propositio. Datur in Deo circumincessio personarum . 107
Corollarium de trium personarum aequalitate 108

CAPUT QUARTUM: De Missione divinarum personarum.
Propositio. Datur missio in divinis 109
Scholia 110

QUAESTIO SEXTA

De modo quo loquèndum est de mysterio SS. Trinitatis

Scholion de personarum nominibus propriis et appropriatis 117
Obs. de nomine « Digitus Dei » 117

DE DEO CREATORE

PARS PRIMA

DE CREATIONE IN GENERE

PRAENOTIONES 119

QUAESTIO PRIMA

De facto Creationis

Propositio. Res omnes quae praeter Deum sunt, creationi originem debent 122
Scholia de Conservatione et Concursu 127

QUAESTIO SECUNDA

De causa Creationis

Propositio I. Causa efficiens creationis est (1) de facto Deus solus, idque (2) actione tribus Personis communi, nullatenus autem (3) etiam de possibili, creatura ulla 129
Propositio II. Creationis causa finalis primaria est Dei gloria externa, seu bonitatis excellentiaeque ipsius manifestatio et agnitio: secundaria autem est bonum creaturarum et maxime hominum 132
Scholion de mundo optimo 134

QUAESTIO TERTIA

De termino Creationis

CAPUT PRIMUM: De creaturae Antiquitate 135
CAPUT SECUNDUM: De Modo et Ordine Creationis 137

PARS SECUNDA

DE ANGELIS

QUAESTIO PRIMA

De Angelis in Ordine Naturali

CAPUT PRIMUM: De Angelorum Existentia.
Propositio. Existunt Angeli 144
Scholion de Numero et Distinctione Angelorum . . . 145
CAPUT SECUNDUM: De Angelorum Natura.
Propositio. Angeli sunt puri spiritus ab omni corpore soluti 148
Scholia de naturae angelicae operatione et dotibus . . 150

QUAESTIO ALTERA

De Angelis in Ordine Supernaturali

CAPUT PRIMUM: De Elevatione Angelorum ad Statum Supernaturalem.
Propositio. Elevati sunt angeli ad statum supernaturalem 152
Scholia de angelorum probatione et peccato 154
CAPUT SECUNDUM: De Officiis Bonorum Angelorum 155
CAPUT TERTIUM: De Malorum Angelorum Impugnatione . . . 157

PARS TERTIA

DE HOMINE

QUAESTIO PRIMA

De Hominis Origine Naturali

CAPUT PRIMUM: De Humani Generis Unitate.
Propositio. Universum genus humanum ab Adamo originem ducit 162
Scholion de Antiquitate Humani Generis 165

CAPUT SECUNDUM: De Protoparentis Origine.
ART. 1. De transformismi veritate in se.
Propositio. Protoparentis corpus, licet non immediate creatum ex nihilo, fuit tamen per actionem supra naturae vires immediate a Deo productum 169
Scholion de sententia S. Augustini 171
Conclusio 175
ART. 2. De transformismi cohaerentia cum doctrina fidei . . . 176

CAPUT TERTIUM: De Anima Rationali Forma Corporis.
Propositio. Anima rationalis est forma corporis, seu principium omnis vitae, sensus, motus ejus 181

CAPUT QUARTUM: De Animae Humanae Origine.
Propositio. Animae humanae divinitus creantur, et tum creantur cum, juxta praestitutum naturae ordinem, corpori infunduntur 186
Scholion 1. De momento quo anima rationalis corpori conjungatur 189
Scholion 2. De protoparentum creationis adjunctis . . . 189

QUAESTIO SECUNDA

De Hominis Elevatione Supernaturali

CAPUT PRIMUM: Praenotiones de Bono supernaturali 190

CAPUT SECUNDUM: Quo Statu Protoparentes constituti fuerint.
Propositio I. Primi parentes in statu justitiae et sanctitatis constituti fuerunt 195
Propositio II. Inter dona protoparentibus collata numerari debet immunitas a concupiscentia, seu integritas 198
Propositio III. Homo in suo ortu accepit a Deo singularem scientiam 199
Propositio IV. Gaudebant protoparentes immortalitatis corporis dono 200
Scholion 1. de modo et causa immortalitatis Adæ . . 202
Scholion 2. de felicitate status innocentiae 203

CAPUT TERTIUM: Utrum Protoparentum Status Naturalis fuerit.
Propositio. Status justitiae seu gratiae sanctificantis et felicitatis, in quo primi parentes constituti a Deo sunt, non erat eis debitus 205
Corollarium de statu naturae purae 207

QUAESTIO TERTIA

De Hominis Lapsu

CAPUT PRIMUM: De Peccato Personali Protoparentum 209

CAPUT SECUNDUM: De Existentia Peccati Originalis.
Propositio. Datur peccatum originale: hoc est, verum ac proprie dictum peccatum, quod secluso speciali privilegio, in omnes Adae posteros propagatione transfunditur 213

CAPUT TERTIUM: De Natura Peccati Originalis.
Propositio. Peccatum originale formaliter consistit in privatione gratiae sanctificantis quatenus haec privatio relationem habet ad peccatum actuale Adami 225
Scholion de sensu quo dicitur concupiscentia « materiale peccati originalis » 226

CAPUT QUARTUM: de Modo Transfusionis Peccati Originalis . . 228
Scholion de modo quo Adam constitutus est caput juridicum generis humani 229

CAPUT QUINTUM: De B. Virginis Immunitate a Peccato Originali.
Propositio. Beatissima Virgo Maria in primo instanti suae Conceptionis fuit ab omni originalis culpae labe praeservata immunis 232
Obs. de sententia S. Bernardi et S. Thomae 237
Scholion 1. de B. Virginis debito contrahendi peccatum originale 238
Scholion 2. de gradu sanctitatis quem habuit B. Virgo in conceptione 239

DE VERBO INCARNATO

DEFINITIO NOMINIS ET REI 241

PARS PRIMA

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO

QUAESTIO PRIMA

De Incarnationis Existentia

CAPUT PRIMUM: De Christi Divinitate.
Propositio. Jesus Christus verus est Deus 243

CAPUT SECUNDUM: De Christi Humanitate.
ART. 1. De Christi Corpore.
Propositio I. Verbum divinum verum et reale corpus assumpsit 244
Propositio II. Verbum divinum carnem à coelo non detulit, sed eam assumpsit ex Maria Virgine 246

ART. 2. De Christi Anima.
Propositio. Verbum assumpsit 1. veram animam humanam, eamque 2. rationalem 249

CAPUT TERTIUM: De Unione duarum naturarum in Christo.
ART. 1. De Unitate Personae Christi.
Propositio. Unica tantum in Christo est persona . . . 252
ART. 2. De Distinctione Naturarum in Christo.
Propositio. Duae sunt in Christo post unionem naturae integrae, distinctae et impermixtae, divina scilicet et humana 256

QUAESTIO SECUNDA

De Incarnationis Cognitione

Propositio I. Incarnatio Verbi cognosci non potest nisi revelatione divina 262
Propositio II. Incarnatio non est impossibilis, seu rectae rationi contraria 264
Propositio III. Incarnatio fuit maxime conveniens tum Deo, tum homini, tum demum toti universo . . 266

QUAESTIO TERTIA

De Incarnationis Natura et Adjunctis

CAPUT PRIMUM: De Unionis hypostaticae Quidditate.
Propositio I. Actio unitiva humanitatis cum Verbo, et productio humanitatis Christi, licet eodem temporis instante fierent, sunt tamen actiones realiter distinctae . 269
Propositio II. Unio hypostatica non est aliquid realiter distinctum a Verbo et humanitate unitis 270

CAPUT SECUNDUM: De Unionis hypostaticae Adjunctis.
ART. 1. « Quis »: Seu de Causa.
§ 1. De Persona assumente.
Propositio. Sola Filii persona naturam humanam assumpsit 272
Quaestiones de possibili 273
§ 2. De Causa Meritoria.
Propositio I. Nec humanitas Christi, nec ipse Christus meruit unionem hypostaticam 274
Propositio II. Veteres patriarchae aliquas incarnationis circumstantias meruerunt non quidem de condigno, sed de congruo 276
Propositio III. Beata Virgo maternitatis divinae adeptionem non quidem de condigno, sed de congruo aliquo meruit 276

ART. 2. Quid immediate assumpsit Verbum divinum.
Propositio. Verbum divinum immediate assumpsit sanguinem 279
Scholia 279
Quaestio de possibili 280
ART. 3. Quomodo Verbum humanitatem assumpsit.
§ 1. Utrum per aliquid absolutum 281
§ 2. Utrum tollendo humanitati aliquid positivum 281
§ 3. Utrum dando humanitati ipsam existentiam 283
§ 4. Utrum et quatenus assumendo carnem mediante anima . 284
ART. 4. Quando facta est unio hypostatica.
Propositio. Humana Christi natura non exstitit aliqua duratione temporis ante sui cum Verbo unionem . . 285
Scholion de tempore creationis animae Christi 285
ART. 5. Qualis est unio hypostatica 287

QUAESTIO QUARTA

De Incarnationis consectariis praecipuis

CAPUT PRIMUM: Utrum Christi hypostasis sit composita 289
CAPUT SECUNDUM: De Communicatione Idiomatum.
Propositio I. Datur in Christo vera et realis communicatio idiomatum in concreto 292
Propositio II. Non datur communicatio idiomatum in abstracto 293
Regulae communicationis Idiomatum 294
Scholion de Perichoresi 296
CAPUT TERTIUM: De Beata Virgine vere Dei Genitrice.
Propositio. Beata Virgo Maria vere et proprie est mater Dei 298
CAPUT QUARTUM: de Filiatione Christi.
Propositio. Christus ut hic homo, seu haec hypostasis subsistens in natura humana, est Filius Dei naturalis . 301
Scholia: Utrum Christus sit praedestinatus, Dei servus, creatura 305
CAPUT QUINTUM: De Duplici Christi Voluntate et Operatione.
Propositio. Duae sunt in Christo voluntates et duae pariter operationes 308
CAPUT SEXTUM: De Adoratione Christi.
ART. 1. De Humanitatis Christi Adoratione.
Propositio. Christus ut homo, sive humanitas Christi prout conjuncta Verbo divino, adorari debet cultu latriae absoluto 314

ART. 2. De Cultu Sacratissimi Cordis Jesu.
Propositio. Cultus Sacratissimi Cordis Jesu, prout ab Apostolica Sede approbatus est, pius et legitimus est . 317

QUAESTIO QUINTA

De Christi Hominis Perfectionibus et Affectionibus

CAPUT PRIMUM: De perfectionibus Intellectus humani Christi.
Propositio I. Christus habuit actualem aliquam scientiam creatam 319
Propositio II. Christus ut homo (1) habuit scientiam beatificam et quidem (2) a primo instanti conceptionis: non habuit tamen (3) scientiam Dei comprehensivam . 320
Scholion de Christi scientia beatifica cum passibilitate ipsius concilianda 322
Propositio III. Christus ut homo a primo instanti suae conceptionis habuit scientiam per se infusam 323
Propositio IV. Christus ut homo habuit scientiam simpliciter acquisitam seu experimentalem 324
Scholion 1. De objecto scientiae supernaturalis Christi . 325
Scholion 2. De ignorantiae et erroris exclusione a Christo 326
CAPUT SECUNDUM: De perfectionibus Voluntatis Christi.
ART. 1. De Christi Impeccabilitate.
Propositio. Christus (1) nullum prorsus peccatum unquam habuit, et (2) de facto ex rei natura impeccabilis fuit, imo (3) neque de potentia Dei absoluta peccare potuisset 332
ART. 2. De Christi Gratiis.
§ 1. De Gratia qua Christus formaliter sanctus est.
Propositio I. Humanitas Christi sancto fuit gratia unionis 336
Propositio II. Christus ut homo habuit gratiam habitualem 337
Scholion 1. De gratia habituali collata Christo ab initio 337
Scholion 2. De plenitudine seu infinitate gratiae Christo collatae 338
§ 2. De Christi Gratia Actuali.
Propositio I. Gratiam excitantem, quatenus illustrationem intellectus et inspirationem voluntatis includit, non habuit Christus 339
Propositio II. Christus gratiam actualem adjuvantem habuit 339

§ 3. De Christi Gratiis gratis datis aliisque donis.
Propositio I. Christus habuit omnes gratias gratis datas 340
Propositio II. Dona Spiritus sancti fuerunt in Christo . 341
Propositio III. Fuerunt in Christo tum caritas tum omnes virtutes morales tam infusae quam acquisitae, absque tamen imperfectionibus quae vel proprium peccatum supponunt vel statui beatitudinis adversantur . 341
ART. 3. De Christi Meritis.
Propositio I. Christus vere et proprie meruit 343
Propositio II. Christus a primo conceptionis instanti continuo et sine intermissione ulla usque ad instans mortis meruit 343
Propositio III. Christus meruit per omnes actus liberos humanitatis suae, non vero per actus divinae naturae . 345
Propositio IV. Christus meruit (1) sibi novo titulo corporis gloriam et exaltationem nominis; (2) nobis autem omnia dona gratiae et gloriae; (3) angelis vero sanctis meruit non quidem gratiam et gloriam essentialem, sed (4) dona tantum accidentalia 346
ART. 3. De Christi Libertate.
§ 1. An Christus habuerit Libertatem 347
§ 2. Quomodo explicanda sit Christi Libertas 348

CAPUT TERTIUM: De affectionibus Corporis Christi.
Propositio I. Caro Christi defectibus communibus irreprehensibilibus subjecta fuit 354
Propositio II. Christi humanitas defectibus particularibus, nominatim morbis subjecta non fuit 356

CAPUT QUARTUM: De affectionibus Animae et Corpori Christi communibus.
ART. 1. An fuerit in Christo Fomes Peccati.
Propositio. Non fuit in Christo fomes peccati, neque in actu primo neque in actu secundo 358
ART. 2. An fuerint in Christo Passiones.
Propositio. Revera fuerunt in Christo passiones, nostris quidem quoad substantiam similes, dissimiles vero quoad modum 359

PARS ALTERA

DE REDEMPTIONIS OPERE

PRAENOTIONES de Satisfactione 362

QUAESTIO PRIMA

Utrum Redemptio hominis Finis fuerit Incarnationis

CAPUT PRIMUM: Utrum Redemptio fuerit Finis saltem Partialis Incarnationis.

Propositio. Incarnatio facta est ad liberandum hominem a peccato 366

Scholion: Ad quae peccata delenda venerit Christus . . 366

CAPUT SECUNDUM: Utrum Redemptio fuerit Finis totalis Incarnationis.

Propositio. Verbum divinum vi praesentis decreti, non fuisset incarnatum, si homo non peccasset 368

QUAESTIO SECUNDA

Utrum Necessaria fuerit Incarnatio

Propositio. Nulla pura creatura, sed sola persona divina incarnata potest pro peccato mortali condigne et perfecte satisfacere 373

QUAESTIO TERTIA

Utrum Christus revera pro peccatis satisfecerit

Propositio. Christus vere et proprie pro nobis vicarie satisfecit 377

QUAESTIO QUARTA

Utrum Christus perfecte pro peccatis satisfecerit

CAPUT PRIMUM: De Satisfactionis Christi Valore Intrinseco.

Propositio. Christi satisfactio ex proprio intrinseco valore aequivalens et superabundans fuit 387

CAPUT SECUNDUM: De Satisfactione Christi ex Perfecta Justitia.

ART. 1. An satisfactio Christi fuerit ex propriis.

Propositio. Christus satisfecit ex propriis 391

ART. 2. An satisfactio Christi fuerit ex alias indebitis

Propositio. Satisfactio Christi fuit ex alias indebitis . . 392

ART. 3. An Satisfactio Christi fuerit ad alterum.

Propositio. Satisfactio Christi fuit ad alterum 393

QUAESTIO QUINTA

De medio quo Christus satisfecit

CAPUT PRIMUM: De Christi Sacerdotio et Sacrificio.
Propositio. Christus (1) naturalis mediator fuit inter Deum et hominem, verusque (2) sacerdos divinitus constitutus, ac (3) verum sacrificium expiatorium in cruce obtulit 394
Scholia de Christi sacerdotio et sacrificio 397
CAPUT SECUNDUM: De Christi Interpellatione 399

QUAESTIO SEXTA

De Christi Redemptoris Titulis praecipuis

CAPUT PRIMUM: De dignitate Capitis.
Propositio I. Christus ut homo est caput Ecclesiae . . 401
Propositio II. Christus est caput infidelium non quidem actu, sed potentia; nulla vero ratione est caput damnatorum 402
Propositio III. Christus ut homo est caput bonorum Angelorum 402
Obs. de gratia Capitis 402
CAPUT SECUNDUM: De Regno Christi 403

DE GRATIA

PROOEMIUM. 405
Definitio Nominis 405
Definitio Rei 406
Divisiones Gratiae 407

PARS PRIMA

DE GRATIA ACTUALI

PRAENOTIONES 410
De Gratia Excitante 411
De Gratia Adjuvante 413

QUAESTIO PRIMA

De necessitate gratiae actualis

CAPUT PRIMUM: de necessitate gratiae elevantis, seu ad opera salutaria efficienda.

ART. 1. De necessitate gratiae ad opera salutaria universim.

Propositio. Nullus homo lapsus in praesenti statu potest sine gratia eaque interiori efficere aliquod opus salutare . 417

ART. 2. De necessitate gratiae ad initium fidei et salutis.

Propositio. Ad initium fidei et salutis necessaria est gratia interna 423

Scholion de sensu axiomatis: «Facienti quod in se est ...» . 427

Scholion de gratuitate gratiae actualis 429

ART. 3. De necessitate gratiae ad perseverandum.

Propositio. Homo justus in praesenti statu sine speciali divinae gratiae praevenientis auxilio non potest in accepta justitia perseverare usque ad finem vitae . . . 432

Scholion de necessitate specialis auxilii ad perseverandum pro diverso statu humanae naturae. 435

CAPUT SECUNDUM: De necessitate gratiae medicinalis, seu ad opera moraliter bona efficienda.

ART. 1. Quid homo lapsus citra gratiam efficere possit.

Propositio I. Fides non est necessaria ad omne opus moraliter bonum, nec omnia opera infidelium sunt peccata 438

Propositio II. Gratia sanctificans non est necessaria ad omne opus bonum, nec omnia opera nondum justificatorum peccata sunt 440

Propositio III. Potest homo lapsus in uno vel alio actu bene moraliter operari sine auxilio gratiae . . . 440

ART. 2. Quid homo lapsus citra gratiam efficere nequeat.

§ 1. De necessitate gratiae ad totam legem naturalem servandam.

Propositio. Sine gratia homo lapsus non potest potentia morali totam legem naturalem diu servare ita ut vitetur peccatum mortale 448

§ De peccatis venialibus vitandis.

Propositio. Non potest homo justificatus in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio 455

ART. 3. Praecedentium corollaria.

§ 1. De necessitate gratiae ad amorem Dei.

Propositio. Potest homo viribus naturae Deum diligere amore affectivo 460

§ 2. De necessitate gratiae ad tentationum victoriam.
Propositio I. Homo potest solis naturae viribus aliquas leves tentationes victoria sterili superare 462
Propositio II. Homo lapsus tentationes universas per longum tempus nequit absque gratiae auxilio vincere etiam victoria sterili 462
Scholia de natura gratiae ad bene moraliter operandum concessae 464

QUAESTIO SECUNDA

De Gratiae Sufficientia et Efficacia

CAPUT PRIMUM: De Gratia Sufficiente.
Propositio I. Nomine gratiae sufficientis ea intelligitur a Catholicis, quae voluntati ad opus bonum exsequendum confert potentiam completam, expeditam et relativam ad praesentes subjecti circumstantias . . . 468
Propositio II. Datur in statu naturae lapsae gratia vere et mere sufficiens, quae inutilis redditur ex humanae voluntatis resistentia 468

CAPUT SECUNDUM: De Gratia Efficaci.
ART. 1. Utrum gratia efficax libertati repugnet.
Propositio I. Gratia efficax non perimit libertatem . . 475
Propositio II. Efficacia gratiae non consistit in delectatione relative victrici 478
ART. 2. Quomodo cum libertate humana concilietur gratiae efficacia.
§ 1. De Systemate Thomistico 483
§ 2. De Systemate Moliniano 490
§ 3. Aliorum Systematum adumbratio 500
Obs. de « gratia congrua » S. Augustini 502

QUAESTIO TERTIA

De Distributione Gratiae

CAPUT PRIMUM: Utrum Justis omnibus detur gratia sufficiens ad praecepta implenda.
Propositio. Justis omnibus, urgente praecepto gravi datur gratia vere et relative sufficiens 504

CAPUT SECUNDUM: Utrum omnibus fidelibus Peccatoribus conferatur gratia sufficiens.
Propositio I. Omnibus fidelibus peccatoribus non obduratis datur, pro loco et tempore, gratia vere sufficiens, qua possint et peccata cavere et a peccatis resipiscere . . 508

Propositio II. Etiam peccatoribus induratis datur pro loco et tempore, gratia vere sufficiens, qua possint et peccata cavere, et a peccatis resipiscere 509

CAPUT TERTIUM: Utrum Infidelibus detur gratia sufficiens.

Propositio. Nullis infidelibus, etiam negativis, media opportuna aut gratiae sufficientes negantur, quibus ad agnitionem veritatis valeant venire salutemque tandem obtinere 515

PARS ALTERA

DE GRATIA HABITUALI

PRAENOTIONES de Natura Gratiae Habitualis 519

QUAESTIO PRIMA

De Justificatione

CAPUT PRIMUM: De Justificationis Natura.

Propositio I. In justificatione impii peccata vere remittuntur 524

Propositio II. Justificatio non consistit in sola peccatorum remissione 528

Propositio III. Justificationis gratia est aliquid homini intrinsecum et inhaerens, non justitia imputata . . . 529

Scholia de justificationis Natura et Effectibus 532

CAPUT SECUNDUM: De Dispositionibus ad Justificationem.

Propositio I. Fides quae ad justificationem requiritur non est fides promissionum, sed fides dogmatica . . . 538

Propositio II. Sola fides ad justificationem non sufficit: sed praeter eam aliquae aliae dispositiones requiruntur 540

CAPUT TERTIUM: De Justificationis Proprietatibus.

Propositio I. Justitia non est aequalis in omnibus . . 544

Propositio II. Justificatio est amissibilis 545

Propositio III. Nemo absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua justificatione, nec proinde necessarium est ut credat se esse justificatum 548

QUAESTIO ALTERA

De Merito Bonorum Operum

CAPUT PRIMUM: De Existentia Meriti.
Propositio. Bona justorum opera sunt vere et proprie meritoria 553
CAPUT SECUNDUM: De Conditionibus ad Meritum requisitis.
Propositio I. Ad meritum de condigno duae requiruntur conditiones ex parte hominis merentis: prima, quod sit justus; secunda, quod sit viator 558
Propositio II. Ad meritum de condigno, ex parte actus requiritur primo, ut sit positivus; secundo, ut sit liber a necessitate; tertio, ut sit moraliter bonus; quarto, ut sit supernaturalis 558
Scholion de sensu quo actus meritorii dicuntur imperari a caritate 559
Obs. de fructu multiplici bonorum operum 561
Propositio III. Supposita proportione intrinseca in actu primo operis supernaturalis cum vita aeterna, ad meritum condignum in actu secundo requiritur ex parte Dei repromissio mercedis 562
Scholion de conditionibus ad meritum de congruo . . . 562
CAPUT TERTIUM: De Objecto Meriti 563
Scholion de Reviviscentia Meritorum 564

DE VIRTUTIBUS INFUSIS

QUAESTIO PRIMA

De Virtutibus Infusis universim

PROOEMIUM 565
CAPUT PRIMUM: De Existentia Virtutum Infusarum.
Propositio I. Existunt virtutes infusae theologicae, seu habitus fidei, spei et caritatis 568
Propositio II. Probabilius existunt virtutes morales infusae 569
CAPUT SECUNDUM: De Tempore quo infunduntur virtutes.
Propositio. Ante primam justificationem nulla virtus infunditur 571
CAPUT TERTIUM: De Augmento Virtutum Infusarum 571

CAPUT QUARTUM: De Amissione et Diminutione Virtutum Infusarum 572

APPENDIX de Donis Spiritus Sancti 574

QUAESTIO SECUNDA

De Fide Theologica

CAPUT PRIMUM: De Objecto Materiali Fidei.

ART. 1 De Objecto *de quo* Fidei.

Propositio. Objectum attributionis Fidei est Deus . . 577

ART. 2. De Objecto materiali *quod* Fidei 578

Scholion de conclusionibus theologicis 581

CAPUT SECUNDUM: De Objecto Formali Fidei.

ART. 1. De motivo proximo assensus fidei.

Propositio. Objectum formale *quo*, seu motivum internum fidei est auctoritas Dei revelantis 583

Scholion de qualitate revelationis quae ad fidem requiritur 584

Corollarium 1. De motivis credibilitatis 585

Corollarium 2. De magisterio ecclesiastico 585

ART. 2. De motivo ultimo, seu de analysi fidei.

§ 1. Expenditur sententia Suarez 586

§ 2. Expenditur sententia Cardinalis de Lugo 587

§ 3. Verior proponitur explicatio 588

CAPUT TERTIUM: De Subjecto Fidei.

ART. 1. De actibus praeviis intellectus.

Propositio. Ante fidem praerequiritur notitia certa facti revelationis 591

ART. 2. De actibus praeviis voluntatis.

Propositio. Ad actum fidei praerequitur imperium voluntatis; et assensus fidei est liber 594

Corollarium de distinctione fidei ac scientiae 595

ART. 3. De facultate qua fides elicitur.

Propositio. Actus fidei salutaris elicitur ab intellectu . 596

CAPUT QUARTUM: De Proprietatibus Fidei.

ART. 1. De supernaturalitate fidei.

Propositio. Supernaturalis est assensus fidei, necnon pius qui eum praecedit credulitatis affectus 600

Scholion de supernaturalitate judiciorum ad voluntatem credendi praeviorum 601

ART. 2. De obscuritate fidei.

Propositio. Assensus fidei divinae est obscurus, nec tamen ad ipsius obscuritatem requiritur inevidentia vel rei attestatae vel attestantis 604

Obs. de ratione speciali obscuritatis fidei 606

ART. 3. De certitudine fidei.
Propositio. Assensus fidei est certissimus et firmissimus super omnia 609
Obs. de errore Hermes 610
Scholion de irrevocabilitate fidei 610
ART. 4. De necessitate fidei.
Propositio. Fides actualis necessaria est adultis necessitate medii ad salutem 612
Scholion 1. de credendis necessitate medii 613
Scholion 2. de praecepto fidei actualis 614
Scholion 3. de credendis necessitate praecepti 615
Scholion 4. de symbolis fidei 615

QUAESTIO TERTIA

De Spe Theologica

CAPUT PRIMUM: De Objecto Materiali Spei.
Propositio. Objectum materiale primarium spei est beatitudo tum objectiva tum subjectiva; objectum vero secundarium sunt alia bona 618

CAPUT SECUNDUM: De Objecto Formali Spei
Propositio. Objectum formale spei sumptae pro desiderio beatitudinis est bonitas Dei respectiva: quatenus autem est tendentia fiducialis, objectum ejus formale est auxilium divinum 620

CAPUT TERTIUM: De Proprietatibus Spei.
ART. 1. De honestate spei.
Propositio. Spes quatenus est actus amoris concupiscentiae erga Deum honesta est 622
ART. 2. De certitudine spei.
Propositio. Spes theologica, quatenus Deum respicit omnino certa et firma est 624
ART. 3. De necessitate spei.
Propositio. Spes theologica est necessaria ad salutem . 625
Obs. de praecepto spei 626

QUAESTIO QUARTA

De Caritate Theologica

CAPUT PRIMUM: De Objecto Materiali Caritatis.
Propositio. Objectum materiale primarium caritatis est Deus: secundarium vero tum nos ipsi tum proximus . 628

CAPUT SECUNDUM: De Objecto Formali Caritatis.

Propositio. Objectum formale caritatis est bonitas De absoluta: imo quaelibet perfectio divina 630

Scholion de Deo fine ultimo supernaturali, ut objecto formali caritatis 632

CAPUT TERTIUM: De Proprietatibus Caritatis.

ART. 1. De excellentia Caritatis.

Propositio. Caritas est virtutum omnium excellentissima 633

Scholion 1. de caritate reliquarum virtutum forma . . 634

Scholion 2. de perfectione caritatis in se 635

Obs. de ordine caritatis fraternae 636

ART. 2. De necessitate Caritatis 636

DE DEO TRINO [1]

1. — MYSTERIUM SS. TRINITATIS dicitur a theologis maximum et gravissimum, quia 1. profunda ipsa et secreta Dei attingit, 2. in ejus professione tessera habetur qua distinguuntur Christiani ab infidelibus et Judaeis, 3. ab ipso pendent plura alia dogmata christiana, v. g. incarnationis et redemptionis; unde vocatur a Leone XIII (epist. encycl. « Divinum illud munus », 9 Maii 1897 : Acta S. Sedis, t. 29, p. 645), « omnium velut fons et caput », non quidem quod omnia e Trinitatis dogmate ratiocinatione derivari possint, sed quod illo tanquam communi vinculo continentur, ejusque cognitione cognitio ceterorum perficitur.

Hujus ergo sacrosancti mysterii *existentia* imprimis probanda est ex revelationis fontibus; deinde dicendum est de illius *cognoscibilitate* seu habitudine ad rationem naturalem; ac postea, quo magis ex scholasticorum doctrina expoliatur et declaretur mysterii notio, inquirendum est de *processione* seu origine divinarum personarum, de his *in quibus differunt* divinae personae, de his *quae personis sunt communia*, demum *de modo loquendi* circa hoc mysterium.

QUAESTIO PRIMA

DE SS. TRINITATIS EXISTENTIA

Praenotiones

2. — Nomen *trinitas* (graece, τριάς), quod collectivum est, ac per se significat numerum ternarium, inde a saec. II in ecclesia usurpatum invenitur, v. g. apud Theophilum Antioch., Clementem Alex., Origenem, Hippolytum, Tertullianum (cf. Newman, « Tracts theol. and eccles. », edit. 1874, p. 106). Summa autem

(1) De Sanctissima Trinitate agit S. Thomas in summa Theologica (1, quaestt. 27-43), et in Summa contra Gentiles (l. 4, cc. 2-26). Praeter Angelici commentatores (Suarez Vasquez, Cajetanum, Toletum, Billuart, etc.) et Cursuum auctores, de hoc mysterio specialiter scripserunt Ruiz, Petavius, Witasse, Franzelin, Kleutgen, Billot: et in linguis vernaculis Newman («The Arians of the Fourth Century »), Régnon (« Etudes de théol. pos. sur la S. Trin. »), Lepin (« Jésus Messie et Fils de Dieu »).

mysterii quod hoc nomine significatur, haec est: *Tres in Deo esse personas* realiter distinctas ab invicem, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, *unam vero numerice substantiam sive naturam* tribus personis communem; sive, ut tradit Symbolum Athanasianum, « fides catholica haec est, ut unum Deum in trinitate et trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes ». Quaestio proinde de Trinitatis existenstentia, ait Ysambert (disp. 1, a. 1), « potest revocari ad duo capita, ita ut primo quaeratur an sit pluralitas personarum in divinis; secundo, an proprie loquendo singulae illae personae sint divinae, seu habeant in se divinam essentiam ».

3. — II. Priusquam de trinitate hac in unitate et unitate in trinitate agatur, definitiones aliquae necessariae recolantur oportet. — 1. *Essentia* est id, quo res quaelibet est id quod est. — 2. *Natura* est essentia rei, secundum quod habet ordinem seu ordinationem ad propriam operationem rei. — 3. *Substantia* est id quod per se est, neque indiget alio tanquam subjecto cui inhaereat. — 4. *Existentia* est essentia in actu, seu actualitas essentiae. Liquet ex dictis in tract. de Deo Uno (p. 2, qu. 3, c. 2), in Deo nullam esse distinctionem realem inter essentiam, naturam, et existentiam, sed tantum ex nostro concipiendi modo. — 5. *Subsistentia* est ultimum substantiae complementum, eam reddens sui juris sive incommunicabile alteri tanquam supposito sive personae.

4. — III. Praecipue ergo explicanda sunt vocabula, « suppositum » et « persona », cum ex horum conceptu inadaequato orti sint errores praecipui de Trinitatis et Incarnationis mysteriis, ut notarunt Patres, v. g. S. Basilius (epist. 38, n. 1); S. Joannes Damascenus (de Fide orth., l. 3, c. 3). — 6. *Suppositum* seu *hypostasis* definitur a Zigliara, « substantia perfecte subsistens, sui juris et alteri incommunicabilis », et a Perrone, « substantia ultimo completa suique juris ». Plenior est definitio suppositi quam post Tiphanum (« de natura et hypostasi », c. 10), tradit Franzelin (de Verb. Incarn., thes. 27; de Trin., thes. 23), « Substantia singularis, integra, tota in se, ut non sit alterius totius et perfecti in se, nec communis pluribus inter se distinctis ».

Explicatur haec definitio. Dicitur *a*) « substantia », idest ex dictis « id quod per se est, nec indiget alio tanquam subjecto cui inhaereat »: hac voce excluditur *accidens* cujus est, non per se esse, sed inesse alteri, uti v. g. calor. *b*) « Singularis », quae vocatur etiam substantia prima: scilicet haec una substantia individualis, ab omnibus aliis ejusdem generis distincta, v. g. hic homo Jacobus, hic lapis: quae particula excludit substantiam universalem, seu secundam (genus nempe et speciem), quae de

multis praedicatur (v. g. nomen « homo »), vel multis supponitur inesse (v. g. humanitas). Dicitur *c*) « integra » idest non habens rationem partis, nec naturaliter ordinata ad perficiendum aliud cui accedendo ipsa compleretur : hujus integritatis defectu corpus v. g. humanum aut anima aut manus non est suppositum.

Dicitur *d*) « tota in se », quae verba inseruntur ob notitiam ex revelatione mysteriorum Trinitatis et Incarnationis habitam. Videlicet ad mysterium SS. Trinitatis quod attinet, divina essentia absolute spectata est substantia, est singularis haec una, est integra : eo tamen quod identificetur cum tribus realiter distinctis, Patre, Filio, Spiritu sancto, nec sit tota in se, non est suppositum. Iterum, in mysterio Incarnationis, humanitas Christi est substantia singularis et integra : attamen quia est natura superioris suppositi, non est tota in se nec suppositum, sed tantum principium *quo* utitur ipsum suppositum, cui soli tribuuntur tanquam principio *quod* omnes ipsius humanitatis actiones. Proinde hac quarta nota « tota in se » significatur suppositum esse hoc unum singulare, distinctum ab omnibus aliis, nec identificatum cum pluribus, nec unitum perfectiori ad modum partis.

5. — IV. Demum 7. *persona* definitur, « hypostasis seu suppositum rationalis naturae ». Huic definitioni convenit illa quam tradit Boethius (« de duab. nat. », exord.), « rationalis naturae individua substantia » : « individua » enim dicitur non solum ad significandam substantiam singularem in oppositione ad universalem, et substantiam integram ad excludendam imperfectionem partis, sed ponitur in oppositione ad id quod est vel commune pluribus distinctis, vel communicatum alteri perfectiori tanquam personae aut supposito : et ita « individua » idem significat quod « tota in se ». — Definitio Güntheri (« propaed. theol. specul. », t. 1), qua persona dicitur post Lockium « substantia sui conscia », eo ipso rejicienda est quod ex ea sequeretur, vel unam tantum esse personam in Deo vel tres naturas ; item, in Christo vel unam tantum esse naturam vel duas personas.

6. — V. Observandum tandem est, horum nominum « hypostasis » et « persona » significationem praesentem ante saeculum quintum non fuisse in ecclesia plene determinatam. — 1. Vox hypostasis apud gentiles philosophos idem significabat quod substantia seu οὐσία, et revera ὑπόστασις graece ad litteram idem sonat quod latine substantia. Dixit itaque S. Hieronymus (Ep. 15, ad Damas. P., n. 4), « Tota saecularium litterarum schola nihil aliud hypostasim nisi usiam [substantiam] novit » ; hinc Latini veteriores timebant dicere cum graecis tres esse hypostases in Deo, ne viderentur dicere tres esse substantias seu naturas abso-

lutas. — 2. Ex alia parte, cum vox *persona* (graece πρόσωπον) magis faciem vel externam speciem (personam dramatis : cf. S. Thomas, 1, qu. 29, a. 3) quam hominem ipsum significaret, latina confessio trium in Deo personarum videbatur Graecis sabellianismo favere. — Dissidium hoc in synodo Alexandrina a S. Athanasio compositum est. Cf. Franzelin, thes. 9, n. II, pp. 130, sqq.

CAPUT PRIMUM

De Trinitate in Unitate

7. — **Praenotanda.** — I. Triplex de hac re distingui potest error. 1. Alii *nullam omnino* distinctionem personarum in Deo admiserunt : ita, praeter infideles monotheisticos, Judaeos scilicet et Mahumetanos (qui putant pluralitatem personarum importare pluralitatem deorum), antiquitus Ariani cum eorum sectis et variationibus, recentius vero Servetus, uterque Socinus eorumque sectatores, qui proinde communi nomine *Unitarii* seu Anti-Trinitarii vocantur : de quibus distinctius agetur cap. seq. (n. 25).

2. Alii distinctionem tantum *nominalem* admiserunt : ita, cum aliqua explicationis diversitate, saec. III post Simonem Magum et Praexeam, Sabellius et Paulus Samosatenus, atque saec. IV Photinus, qui dicebant unicam personam divinam pro diversitate operationis seu manifestationis diversis nominibus Patris, Filii et Spiritus sancti vocari. Dicti sunt proinde hi haeretici Patripassiani, cum in eorum sententia Pater (quem vocabant υἱοπάτωρ) incarnatus et passus sit : qui et Monarchiani appellati sunt, quia unicum tantum divinum principium (μονάδα) agnoscebant. — His adnumerandi sunt Modalistae (in Anglia saec. XVI exorti), necnon Swedenborgiani (saec. XVIII), qui dicebant Patrem, Filium et Spiritum S. esse tantum modos seu manifestationes divinitatis.

3. Alii demum admiserunt esse in Deo personas *realiter distinctas*, sed *duas* tantum, Patrem videlicet et Filium, Spiritum vero sanctum esse meram creaturam et Filii ministrum : ita Macedoniani (ex eorum duce Macedonio episcopo Constantinopolitano saec. IV), qui et Pneumatomachi, seu Spiritus S. impugnatores dicti sunt.

8. — II. Doctrina contraria orthodoxa saepius declarata, v. g. in symbolis Nicaeno et Athanasiano, docet tres esse in Deo personas distinctas. Ita plenius Concilium Lateranense IV (cap. 1 : Denz. 355), « Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod

unus solus est verus Deus, aeternus, immensus et incommutabilis, omnipotens et ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus sanctus : tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino : Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque : absque initio, semper ac sine fine : Pater generans, Filius nascens, et Spiritus sanctus procedens : consubstantiales et coaequales, et coomnipotentes et coaeterni..... Haec sancta Trinitas, secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta..... ».

Haec doctrina cum sit supra rationem non innotescit nobis nisi ex revelatione divina, ex Scriptura scilicet et Traditione, ut dicetur quaestione sequenti. Ad Scripturas *veteris Testamenti* quod attinet, mysterium Trinitatis non fuit in iis ita aperte revelatum, ut ex ipsis solis invicte demonstrari potuisset, neque proinde a Judaeis vulgo cognitum et creditum fuit saltem explicite. Ita tamen in veteribus Scripturis *continetur* istud mysterium, ut multa ipsarum loca, quae pluralitatem personarum in Deo innuunt, aegre explicentur nisi per notitiam dogmatis in novo Testamento traditam : imo ex vetere Testamento doctrinam de Filio Dei et de Spiritu sancto confirmant ipse Christus et Apostoli (cf. Matth. 22. 43, sqq. ; Marc. 1. 2, 3 ; Act. 2. 17, 18 ; Hebr. 1. 5, sqq.). Censent vero SS. Epiphanius (adv. Haeres., l. 1, n. 5), Ambrosius (de Cain et Abel, c. 8, n. 30), Augustinus (de Trin., l. 2, c. 11), Fulgentius (de Fide ad Petrum, c. 1, n. 4), Patriarchis, Prophetis et aliquibus eximie sanctis veteris Testamenti specialiter revelatum fuisse hoc mysterium.

Satis constat, argumenta ex novo Testamento et Traditione deducta directe valere contra eos tantum qui christianam revelationem admittunt : quoad reliquos ergo (v. g. Judaeos et Mahumetanos), prius probanda esset eis divinitas religionis christianae et auctoritas Scripturarum.

9. — Propositio. Sunt in Deo tres Personae distinctae.

(1) Argumenta ex vetere Testamento. — I. Ex Gen. 1. 25, 26, « Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ». — Verba ista indicant plures esse personas in uno Deo, si voces *vidit*, *ait*, *imaginem* indicant unitatem Dei, voces vero *faciamus* et *nostram* pluralitatem personarum ; atqui res ita se habet ; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Voces *vidit*, *ait*, *imaginem* indicare unitatem Dei, constat ex ipsis verbis.

2. Voces *faciamus* et *nostram* indicant pluralitatem personarum. Hae voces *faciamus* et *nostram* vel indicant, juxta sensum

obvium et naturalem, pluralitatem personarum in Deo : vel, juxta adversariorum placita, aut *a*) referuntur ad Angelos, aut *b*) sunt plurale majestatis, aut *c*) exhibent Deum sese cohortantem ad operationem ; atqui *a*) verba non referuntur ad Angelos, quia homo a solo Deo et ad ipsius imaginem creatus est, ut saepius dicitur in Genesi (1. 26, 27 ; 3. 22 ; 9. 7) : *b*) verba ista non sunt plurale majestatis : nullum enim istius moris exemplum in Scripturis antiquis inveniri, contra doctores suae gentis ostendit Aben-Ezra (cit. ap. Lamy in Genes., ad loc.), praeterea, ut notat Theodoret. (ap. eund.), si Deus propter auctoritatem et majestatem de se loqueretur in plurali, oportuisset eum ita loqui semper (quod non est verum) vel saltem in adjunctis solemnioribus, v. g. in promulgatione legis in Sina (quod etiam est contra factum) : *c*) dicere demum haec esse verba Dei seipsum ad operationem cohortantis, esset contra divinam perfectionem ; ac proinde, ut ait S. Augustinus (contra serm. Arianorum, c. 16), locutio ista « ex persona ipsius Trinitatis rectissime accipitur » ; et haec est communis Patrum interpretatio (apud Petavium, l. 2, c. 7, n. 6). Censet autem Hummelauer (in Gen., pp. 107, 108), puncta *b*) et *c*) non esse prorsus firma.

10. — **II.** Ex Gen. 3.22, « Et ait [Dominus Deus] : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum ». — Verba « ex nobis » supponunt vel aliam divinam personam (aut personas), vel daemones, aut angelos ; atqui non supponunt angelos aut daemones ; ergo aliam divinam personam aut personas.

Prob. Min. Hoc loco Deus per ironiam increpat Adam, qui ex esu fructus vetiti sperabat se scientiam plane infinitam adepturum (cf. v. 5) ; atqui per scientiam ejusmodi haud factus esset Angelis aut daemonibus similis, sed ipsi Deo ; ergo verba « ex nobis » non supponunt Angelos aut daemones, sed personam aut personas alias divinas.

11. — **III.** In *theophaniis* veteris Testamenti (utrum ille qui in ipsis immediate sub forma visibili hominis, ignis, rubi, etc. locutus est, dicatur esse ipse Deus, an creatus angelus agens in Dei nomine et auctoritate) aliquando saltem significatur idem esse *simul Deus* et angelus seu *nuntius Dei*, aliis verbis significatur persona divina ab *alia* persona divina missa. Ita Gen. 16. 7, sqq., ubi legitur angelus Dei ea promisisse Agar quae sola persona divina promittere posset. Item Gen. 31. 11, 13, « Dixitque angelus Dei ad me in somnis : Jacob. Et ego respondi : Adsum .., Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi ». Similiter Exod. 3. 2, sqq., ille qui apparuit Moysi in rubo ardenti vocatur (secundum hebr.) « angelus Domini », et tamen de seipso

dicit, « Ego sum Deus patris tui ». Congruit antiphona brev. rom. 18 Dec., « O Adonai et dux domus Israel, qui Moysi in igne apparuisti ». Docent quoque prophetae, Messiam futurum esse ipsum verum Deum, quem Israel adorabat, et tamen a Deo missum iri (sic Messias vocatur ab Isaia 7. 14, « Emmanuel » seu « Deus nobiscum »): atque a Malachia (3. 1) praenuntiatum est, ipsum Dominatorem, cujus est templum et qui proinde est Deus, fore legatum seu Angelum Dei; atqui missus a mittente, nuntius ab eo cujus est nuntius distinguitur; ergo sunt in uno vero Deo personae distinctae. — Hoc argumento saepius utuntur Patres antiquiores, quorum citat Franzelin (p. 101) plus quam viginti, et inter alios SS. Justinum M., Irenaeum, Cyprianum, necnon Clementem Alex., Origenem, Tertullianum.

12. — **IV.** Aliis in locis haec *pluralitas* (ut dicit Kleutgen, n. 904) *trinitas* esse significatur. Dicitur scilicet Gen. 18. 1-3, « Apparuit autem ei [Abrahae] Dominus [Jehova]..... Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum..... et adoravit in terram et dixit, Domine [Adonai], si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum ». In quem locum scribit S. Ambrosius (de Cain et Abel, l. 1, c. 8, n. 30), « Tres videt, unum adorat ». — Adoratio quam hoc loco legitur Abraham exhibuisse, fuit actus cultus divini, ut colligitur ex appellationibus Jehova et Adonai, quae de solo Deo adhibentur; atqui hujus divini cultus objectum erant *tres isti* qui dicuntur « angeli » et « viri »; ergo hoc loco indicatur trinitas personarum in Deo.

Minor constat ex ipso textu, in quo nulla apponitur restrictio: imo indiscriminatim de angelis loquitur scriptor sacer numero plurali et numero singulari: Abraham eos alloquens promiscue seipsum dicit « servum *tuum* » et « servum *vestrum* »: de duobus Angelis qui Sodomam profecti sunt dicitur (19. 18), « Dixitque Lot ad eos: Quaeso, Domine mi », etc.

Apparitione ista « insinuatam » esse Trinitatem dicit S. Augustinus (de Trin., l. 2, c. 11, n. 20), ex quo (ibidem, n. 21), « Cum tres visi sint, uni Domino illic loquitur Abraham »: putatque S. Doctor (c. 12, n. 22), per duos angelos ad Sodomam comburendam missos intelligi personas Filii et Spiritus sancti. « Nam Patrem missum nusquam Scripturarum nobis occurrit ». Similiter S. Gregorius M. (hom. 18 in Evang., n. 3), « Diem Domini Abraham vidit, cum in figura summae Trinitatis tres angelos hospitio suscepit: quibus profecto susceptis, sic tribus quasi uni locutus est: quia etsi in personis numerus Trinitatis est, in natura unitas divinitatis est ».

13. — **V.** Ex pluribus locis librorum Proverbiorum, Sapientiae

et Ecclesiastici, constat Sapientiam inibi descriptam esse: 1. *personam*, quia proprio nomine loquitur, « Ego diligentes me diligo » (Prov. 8. 17), et dicitur custodiisse et liberasse Patriarchas (Sap. 10); 2. *distinctam ab Altissimo*, ex cuius ore prodivit, nam ipse ei praecepit, ipsa coram eo ministravit (Eccli. 24. 5, 12, 14); 3. ab aeterno genitam (Prov. 8. 22, sqq., « Dominus possedit [hebr.: genuit] me in initio viarum suarum..... ab aeterno ordinata sum [hebr.: uncta sum], et ex antiquis antequam terra fieret..... Ante colles ego parturiebar »; Eccli. 24. 5, « primogenita ante omnem creaturam » cf. v. 14); 4. esse imaginem Dei substantialem (Sap. 7. 26, « Candor est lucis aeternae, speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius »). Et haec illatio confirmatur ex collatione cum Jo. 1. de Verbo, et Hebr. 1. 3, de Filio Dei (« Splendor gloriae et figura substantiae ejus portansque omnia verbo virtutis suae »). Cf. Franzelin, thes. 7.

14. — **VI.** Censent communiter Patres et interpretes Catholici trisagion seraphicum (Is. 6. 3, « Sanctus, Sanctus, Sanctus »), necnon trinam Dei invocationem, v. g. in benedictione Jacob (Genes. 48. 15, 16), in formula benedicendi populum (Num. 6. 24-26), et in Ps. 66. 7, 8, innuere mysterium SS. Trinitatis (1). Cf. Franzelin, pp. 109, 110.

Ad verba Gen. 1. 1, 2, « *In principio* creavit *Deus* coelum et terram..... et *Spiritus Dei* ferebatur super aquas », « auctores plures, ut scribit Hummelauer (in loc., p. 85), defendunt, *in principio* idem sonare quod *in Filio* atque hinc, cum ibi spiritus Dei commemoretur, initio Geneseos deprehendi vestigium SS. Trinitatis ». Hanc vero « principii » interpretationem de Filio rejicit Hummelauer cum Lamy et recentioribus communiter. Vid. Palmieri, de Deo Creante, p. 41. Agi autem in versu secundo de Spiritu sancto, tenet Hummelauer, post interpretationem SS. Ambrosii (in Hexaem., l. 1, c. 8, n. 29), Basilii (in Hexaem., hom 2, n. 6), Hieronymi (quaestt. in Gen., ad loc.), et plurium Patrum. — De tribus personis divinis intelligi possunt Ps. 32. 6, « Verbo Domini coeli firmati sunt: et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum »; Sap. 9. 1, sqq., « Deus patrum meorum, et Domine misericordiae, qui fecisti omnia verbo tuo... da mihi sedium tuarum assistricem

(1) Gen. 48. 15, 16, « Benedixitque Jacob filiis Joseph, et ait: Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in praesentem diem: angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram ». Num. 6. 24-26, « Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem ». Ps. 66. 7, 8, « Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus ».

sapientiam..... sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? »

15. — (2) Argumenta ex novo Testamento. — I. Ex Matt. 28. 19, « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ». — Haec verba ostendunt tres esse distinctas personas in una divina natura, si ex textu, 1. Pater, Filius et Spiritus sanctus sint subsistentes distincti, qui 2. habeant naturam unam eamque divinam; atqui res ita se habet; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Sunt subsistentes distincti: *a*) Pater et Filius sunt distincti: nam vocabula ipsa *Pater* et *Filius* duorum subsistentium indicant relationem reciprocam, originem videlicet unius ab altero. Quare Tertullianus (adv. Prax., c. 10), « Habeat necesse est pater filium, ut pater sit, et filius patrem, ut filius sit. Aliud est autem habere, aliud esse ». *b*) Alius est Spiritus sanctus ab utroque: eâdem enim distinctiva dicendi formula cum repetitione articuli in textu graeco ponitur tertius (εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος): sed alio modo numerandus esset si non esset distincte subsistens, sed tantum efficientia aut virtus aliqua impersonalis divinitatis. Haud solet enim repeti articulus ante nomina quae distincta supposita non significent. Exemplum sit 2 Cor. 1. 3, Εὐλογητὸς ὁ θεὸς, καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν καὶ θεὸς πάσης παρακλήσεως: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis ». Cf. Tit. 2. 13.

2. Eandem habent naturam divinam. Dicere aliquem baptizari in nomine cujuspiam perinde est ac dicere illum baptizari in virtute, auctoritate et efficientia illius (ita Kleutgen, n. 576; Perrone, n. 39): aut (conformius cum graeco, εἰς τὸ ὄνομα: in nomen: non ἐν τῷ ὀνόματι) alteri addici, dicari, mancipari, voveri, consecrari (ita Beelen, in Act. 19. 2; Franzelin, thes. 3); atqui istud nomen, in quo vel in quod homines baptizantur, *a*) est *commune* Patri, Filio et Spiritui S.: ponitur enim in singulari numero, « in nomine », non « in nominibus », unde et S. Hieronymus (in Ephes. 4. 5), « Non baptizamur in nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus ». Istud nomen *b*) est *divinum:* sola enim auctoritate et virtute divina homines initiantur in ecclesiam et sanctificantur: ac soli uni Deo, non alii, per baptismum dicantur et consecrantur. Ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus habent unam naturam divinam. — « Neque enim diceret Veritas: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, nisi Trinitas esses. Nec

baptizari nos juberes, Domine Deus, in ejus nomine qui non est Dominus Deus ». S. Augustinus (de Trin., l. 15, c. 28).

16. — **II.** Ex Jo. 14. 16, 17, « Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis », coll. cum Jo. 15. 26, « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me ». — Ex his locis constat tres personas *distinctas* esse Patrem, Filium et Spiritum: alius est enim Filius qui rogat Patrem, alius Pater qui rogatur, alius item Spiritus, *tum* a Patre qui eum dabit et a quo procedit, *tum* a Filio cujus loco dabitur, et de quo testimonium perhibebit, unde S. Athanasius (aut alius auct., in lib. contra Sabellianos, n. 3: M. 28. 99), « Cum Christus de se loquitur, dicit *ego;* cum de Patre, dicit *ille;* cum de Spiritu sancto, subjungit *alium:* nonne igitur manifestae pertinaciae est negare tres? ». Atqui *ejusdem* naturae cum Patre est Filius: quod patet tum ex ipso nomine « Filius », tum ex eo quod missio Spiritus sancti adscribitur Filio aeque ac Patri; item ejusdem naturae est Spiritus: est enim alius Paracletus sicut et Filius, ac procedit a Patre, sicut et Filius (Jo. 8. 42) a Patre procedit. Ergo tres sunt personae distinctae in una et eadem natura divina.

17. — **III.** In aliis Scripturae textibus qui postea afferentur ad probandam seorsum divinitatem Filii et Spiritus sancti declaratur nostra doctrina. Ex textibus autem qui probant divinitatem Spiritus S., etiam constabit (contra errorem Socinianorum et Rationalistarum), Spiritum S. esse personam per se subsistentem, non meram virtutem aut motionem divinam in hominibus operantem.

De tribus personis divinis intelligi quoque possunt haec loca: 1. Luc. 1. 26, sqq., ubi nuntiante angelo a Deo *Patre* misso, concipitur a Virgine Deus *Filius*, operante *Spiritu sancto;* 2. Matth. 3. 17, Luc. 3. 22, ubi, descendente Spiritu sancto in Filium, audita est vox Patris de coelis; 3. Rom. 11. 36, « Ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula »: qui locus, ut ait S. Basilius (adv. Eunom., l. 5, n. 3), « in unum nomen proprietatem et Patris, et Filii, et Spiritus sancti collegit. Unus enim Deus ex quo omnia;..... et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia; unus itidem Spiritus sanctus, in quo omnia » (cf. S. Aug., de Trin., l. 1, c. 6, n. 12); 4. 1 Cor. 12. 3-6, « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus »; 5. 2 Cor. 13. 13, « Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio sancti

Spiritus sit cum omnibus vobis ». Cf. 1 Cor. 6. 11; 2 Cor. 1. 21, 22; Tit. 3. 4-6.

18. — (3) Argumentum ex traditione. De trinitate personarum in Deo abunde constat 1. ex testimoniis pro singularum divinitate postea afferendis, et 2. ex symbolis (Denz., nn. 1, sqq.): praesertim vero 3. ex Sabellianorum reprobatione tum a Patribus (v. g. a SS. Cypriano, Basilio, Epiphanio, Athanasio, Augustino), tum a synodis (v. g. Romana et Constantinop. I), tum a Romanis Pontificibus Dionysio et Damaso.

Nominatim ex scriptoribus antiquioribus, **Saec. I,** circa an. 90, scribit *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 46. 6), « Nonne unum Deum habemus et unum Christum, et unum Spiritum gratiae super nos? » Qui etiam (ibid. 58. 3) ad unitatem cohortans Corinthios obsecrat eos non jam secundum antiquam formulam, « sicut vivit Deus », sed per novam: « Sicut enim Deus vivit, et Dominus Jesus Christus vivit, et Spiritus sanctus, fides et spes electorum ».

Saec. II. *S. Ignatius M.* scribit, circa an. 107 (ad Magnes., 13. 2), « Subjecti estote episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui, ut unio sit carnalis et spiritualis ». Item auctor Martyrii *S. Polycarpi* (c. 22, n. 3), scribit circa an. 155, « Ut me quoque cum electis suis in regnum suum coeleste colligat Dominus Jesus Christus, cui sit gloria cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen ». Similis doxologia adscribitur ipsi S. Polycarpo, ibidem, c. 14, n. 3. Eodem aevo *S. Justinus M.* (apol. 1, n. 61), « Nam in nomine Parentis universorum ac Domini Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt [catechumeni] ». Contra accusationem atheismi scripsit *Athenagoras* (legat. pro Christianis, n. 10: circa an. 177), « Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum sanctum asserunt [Christiani], ac eorum et in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant ». Item (circa an. 189) *S. Irenaeus* (adv. haeres., l. 1, c. 10, n. 1), « Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab Apostolis et discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit coelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt; et unum Jesum Christum, Filium Dei incarnatum pro nostra salute: et in Spiritum sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei ». Cf. l. 3, c. 17, nn. 3, 4; l. 4. c. 20, nn. 1, 3.

Saec. III. *Tertullianus* (adv. Prax., c. 31), « Ceterum judaicae fidei res, sic unum Deum credere, ut Filium adnumerare ei nolis, et post Filium Spiritum. Quid enim erit inter nos et illos, nisi

differentia ista? Quod opus Evangelii, quae est substantia Novi Testamenti, statuens Legem et Prophetas usque ad Joannem, si non exinde Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres crediti, unum Deum sistunt?» Eodem aevo *S. Cyprianus* (epist. 69, n. 8), « Quod vero eundem quem et nos Deum Patrem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum sanctum nosse dicuntur [Novatiani], nec hoc adjuvare tales potest ». Ac *S. Hippolytus* (contra haeres. Noeti, n. 8), « Necesse ergo est, ut quamvis nolit, confiteatur Patrem Deum omnipotentem, et Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater subjecit praeter se, et Spiritum sanctum; et hos esse vere tres ». Item ex *S. Dionysio P.*, in epistola contra Sabellianos (cit. a S. Athanasio, « de decretis Nic. Syn. », n. 26), omnes veri Christi discipuli, « Trinitatem quidem non ignorant in divina Scriptura praedicari, tres autem deos nec in vetere nec in novo Testamento doceri ». Demum *S. Gregorius Thaumaturgus* scribit (expos. fidei), « Unus Deus Pater Verbi viventis..... Unus Dominus, solus ex solo..... sempiternus ex sempiterno. Unus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens..... Trinitas perfecta, majestate et sempiternitate et regno minime dividitur..... Neque defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus sanctus..... ».

Solvuntur Objectiones

19. — Obj. 1. Deus de seipso dicit Deut. 32. 39, « Videte quod ego sim solus »; atqui hoc verum non esset, si tres essent personae divinae; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Deus dicitur solus ad exclusionem Deorum aliorum, ut patet ex verbis immediate subsequentibus, « et non est alius Deus praeter me », *conc.;* ad exclusionem personarum, *nego.* — Simili ratione dicit S. Paulus 1 Cor. 8. 5, 6, « Nam etsi sunt qui dicuntur dii..... nobis tamen unus est Deus, Pater..... et unus Dominus Jesus Christus..... »: vid. Eph. 4. 6.

20. — Obj. 2. Christus dicit Jo. 10. 30, « Ego et Pater unum sumus »; atqui hoc verum non esset, si Filius diversa esset persona a Patre; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Pater et Filius unum sunt secundum naturam, *conc.;* secundum personas, *nego.* Significatur enim distinctio personarum tum per verbum « sumus », tum per contextum, in quo Christus de se asserit (v. 36), « Filius Dei sum », et (v. 38) ad opera mirabilia provocat, ut ostendat « quia Pater in me est, et ego in Patre ». Imo tam aperte hic locus tum unitatem naturae

tum distinctionem personarum Patris et Filii declarat, ut Patres verba adversus Arianos simul et Sabellianos adhibuerint. Ita S. Augustinus (in Jo. tr. 37, n. 9), « Utrumque audi : et *unum* et *sumus*, et a Charybdi et a Scylla liberaberis..... Quod dixit *unum* liberat te ab Ario : quod dixit *sumus*, liberat te a Sabellio..... *sumus* enim non diceret de uno ; sed et *unum* non diceret de diversis ». Ita antea et S. Hippolytus (contra haeres. Noeti, n. 7), « Non dixit : Ego et Pater unum sum ; sed : Unum sumus. Illud enim *sumus* non dicitur de uno ; sed sic dixit, quia duas personas demonstravit, unam autem potentiam sive virtutem ».

21. — Obj. 3. Dixit iterum Christus Jo. 16, 15, « Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt » ; atqui non haberet Filius omnia quae habet Pater, si Filius per aliquid distingueretur a Patre ; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Tota essentia divina et omnia attributa absoluta sunt Patri et Filio communia, *conc.;* proprietates personales sunt communes, *nego*, vel cum aliis *subd.:* sunt communes Patri et Filio identice : eo scilicet quod proprietates personales sunt unum quid cum essentia divina, quam unaquaeque persona habet, *conc.;* sunt communes formaliter, *nego :* paternitas enim et filiatio differunt et opponuntur in re.

Dist. Min. Omnia quae habet Pater non habet Filius, si hic distinguitur a Patre per aliquid absolutum, *conc.;* si per relationem originis, *nego*, vel *subd.:* non habet Filius omne (nempe proprietatem personalem seu relationem paternitatis) formaliter, *conc.;* non habet identice, *nego.*

Videlicet 1. nonnulli theologi distinguunt in Deo perfectiones simpliciter simplices et perfectiones simplices : quarum priores nullam aliam perfectionem aequalem excludunt, et ejusmodi sunt attributa Dei absoluta : dum simplices, licet imperfectionem nullam importent, formaliter tamen spectatae repugnant perfectioni aequali oppositae : et sic paternitas formaliter est in Patre solo, ac in Filio et in Spiritu sancto identice tantum propter divinam essentiam communem, quae tanquam radix et fundamentum eminenter continet proprietates omnes personales. Ita cum quibusdam aliis, Suarez, l. 3, cc. 9, 10.

2. Alii vero theologi advertunt Filium, si, ut fert sententia prior, habet eminenter paternitatem, esse eminenter Patrem, quod repugnat : ac negant relationes per se importare ullam perfectionem in subjecto. Perfectio enim significat aliquid bonitatis, magnitudinis, dignitatis : distinctio autem vel origo unius ab alio (quam important relationes) nihil dicunt nobis de bonitate, magnitudine aut dignitate, sed per se declarant tantum multiplici-

tatem suppositorum: proinde nonnisi ab essentia habetur divinarum personarum perfectio, et ex relationibus distinctio tantum. Dicit S. Augustinus (de Trin., l. 5, c. 5, n. 6), « Quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia: quia haec non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile ».

Cohaerenter S. Thomas (qq. dispp., de Pot., qu. 2, a. 5), « ipsa relatio..... in quantum est relatio, non habet quod sit *aliquid*, sed solum quod sit *ad aliquid* ». Qui et alibi dicit (S. Theol. 1, qu. 42, a. 4, ad 2), « Sicut..... eadem essentia, quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem dignitas, quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio. Vere igitur dicitur, quod *quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius;* nec sequitur: paternitatem habet Pater; ergo paternitatem habet Filius. Mutatur enim *quid* in *ad aliquid*. Eadem enim est essentia, et dignitas Patris et Filii. Sed in Patre est secundum relationem *dantis*, in Filio secundum relationem *accipientis* ». Haec fuit etiam sententia Scoti et plurium ex diversis scholis. Vid. Kleutgen, nn. 1079, sqq.

22. — Obj. 4. Ad petitionem S. Philippi (Jo. 14. 8), « ostende nobis Patrem », respondet Christus (v. 9), « Qui videt me, videt et Patrem »; atqui hoc falsum esset, si Pater et Filius diversae essent personae; ergo. — Idque *confirmatur* ex verbis subsequentibus (v. 10), « Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?..... Pater autem in me manens, ipse facit opera ».

Resp. *Dist. Maj.* Qui videt Filium videt et Patrem, propter identitatem divinae naturae, quam manifestant opera communia (vv. 10-12), *conc.;* propter identitatem personarum, *nego:* hanc enim identitatem excludunt ipsa nomina *Pater* et *Filius*, ac verba quae jam sermone eodem dixerat Christus (vv. 6, 7), « Nemo venit ad Patrem nisi *per me*. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis ». Proinde *nego Min.* — Ad *confirm.:* Filius est in Patre, et Pater in Filio per circumincessionem quam vocant (infra, n. 179): eo nempe quod cum eadem numerice natura sit in Filio et in Patre, et cum unaquaeque persona ibi sit ubi est tota substantia ejus, Pater et Filius sibi invicem mutuo insunt. — Difficultates ex ratione desumptae expendentur in quaestione secunda (n. 68).

23. — **Scholion de textu 1 Jo. 5. 7** (« Tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt ». — I. Cum 1. alia doctrinae nostrae argumenta suppetant, necesse non fuit ad hunc recurrere textum, qui 2. de cetero propter parallelismum seu comparationem ex spiritu,

aqua et sanguine in v. 8 (« Et tres sunt qui testimonium dant in terra : spiritus, et aqua, et sanguis [nempe Domini ipsius in cruce]; et hi tres unum sunt ») non certo physicam et essentialem, sed forsan moralem tantum unitatem trium personarum ostenderet : ut omittatur 3. obscurum valde esse, quodnam intelligi possit harum trium personarum testimonium (1).

II. Praecipue vero ob momenta *critica*, difficile est hunc textum contra adversarios urgere. Etenim 1. ecclesiam *orientalem* quod attinet : *a*) textus ille deest in omnibus omnino codicibus graecis, qui alicujus sunt auctoritatis : *centum nonaginta tres* videlicet eo carent, ac duo tantum genuini eum habent, quorum alter saec. XVI alter saec. XV adscribitur ; *b*) in omnibus versionibus orientalibus desideratur hoc comma, etiam in ea quam in usum Maronitarum S. Congregatio de Prop. Fide Romae imprimendam curavit an. 1703 ; *c*) nunquam ab ullo Patre orientali adhibitus est, etsi usui esset in eorum controversiis cum haereticis.

2. Ad *latinam* vero ecclesiam quod attinet, longe quidem major numerus codicum « comma joanneum » exhibet, et versiculus a saec. V. in ecclesia africana, in tota vero ecclesia latina a saec. IX communiter receptus est. Attamen : *a*) in istis codicibus tribus diversis modis exhibetur ; *b*) ejus receptio in plurimos codices et in ipsam editionem romanam Sixti V et Clementis VIII verisimiliter debetur praefationi, quae sub S. Hieronymi nomine a falsario quodam saec. VI conficta fuit ; *c*) plus quinquaginta latini codices, inter quos antiquissimi omnes, versiculo isto carent ; *d*) ante medium saec. V latini Patres, qui de doctrina SS. Trinitatis saepius apud fideles et contra haereticos agebant, nullum certum indicium hujus commatis tradunt : quae enim ex Tertulliano, ex S. Cypriano et ex S. Augustino afferuntur, dubia sunt ; *e*) imo dicere potest Cornely (« Introd. » t. 3, p. 673), « integrum fere latinorum Patrum catalogum adscriberemus, si omnes, qui tacent, enumeraremus » : de eo silent v. g. SS. Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius M. ; necnon S. Leo M., licet verba immediate praecedentia et subsequentia citet (epist. 28, ad Flav., c. 5), ac S. Beda, etsi hic singulos hujus Epistolae versus diligenter explicaverit.

III. Propter has rationes nedum heterodoxi sed et aliquando Catholici non pauci hujus versiculi septimi authentiam vel 1. pror-

(1) Notandum vero est, Estii continuatorem comma istud sic interpretari : Tres sunt in coelis, qui Christo testimonium dant in terris, nempe Pater per vocem de coelo delapsam ; Verbum ipsum incarnatum per proprias declarationes, miraculis confirmatas ; Spiritus autem sanctus per antiquas prophetias et per descensum in forma columbae in Christum baptizatum.

sus negaverunt, dicentes eum esse notam marginalem in textum a scribis, et primo probabiliter a quodam scriptore hispanico, forsan ex secta Priscillianistarum, intrusam; vel 2. saltem in dubium eum revocarunt. Cf. Cornely, op. cit., n. 231. Hoc vero jam amplius tuto fieri non posse, respondit S. Officium decreto 13 Jan. 1897, quod approbavit et confirmavit Leo XIII. Proposito enim dubio: Utrum tuto negari, aut saltem in dubium revocari possit esse authenticum textum S. Joannis, in epistola prima, cap. V, vers. 7, « Omnibus diligentissimo examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, iidem Emi cardinales [Inquisitores], respondendum mandarunt: *Negative* ».

Vix opus est monere, hanc S. Officii praescriptionem nec definire infallibiliter et irreformabiliter hujus textus authentiam, nec exigere a fidelibus assensum fidei etiam mediate divinae, sed esse sententiam tantum oeconomicam et disciplinarem, seu prohibitionem, cui ex motivo obedientiae debetur assensus internus religiosus. Vid. tract. de Ecclesia, p. 2, qu. 3, c. 1.

CAPUT SECUNDUM

De Unitate in Trinitate

24. — **Praenotanda.** — I. Probata doctrina catholica de distinctione personarum in Deo seu de trinitate in unitate, jam agendum est de unitate in trinitate seu de *consubstantialitate* divinarum personarum. — Omissis aliis distinctionibus, *unitas* rerum subsistentium (de qua sola agitur) oritur ex earum conjunctione vel 1. in accidentibus seu in iis quae extra substantiam earum sunt, vel 2. in ipsa substantia. Res subsistentes quae in accidente conjunguntur variis nominibus, pro diverso unitatis fundamento, vocantur, v. g. *conformes*, *concordes*, *concives*, etc. Quae vero in substantia conjunguntur *consubstantiales* vocantur.

Nomen autem « consubstantiale », ut notat Kleutgen, n. 843, triplici modo usurpatur. Etenim consubstantialia vocantur, *a*) quae sunt ejusdem naturae, et proinde specie unum, ut homines omnes, aquilae omnes, etc.; *b*) magis restricto sensu ea, quae insuper originis relatione conjuncta sunt, ut parentes et filii: qui duo modi in creatis etiam rebus inveniuntur; *c*) tertius demum est modus, qui secundum fidem catholicam divinis personis proprius est, hae enim non solum consubstantiales sunt, quia natura sunt aequales et origine inter se conjunctae, sed etiam (in quo quam maxime

ratio mysterii cernitur), *quia unam numero substantiam communem habent*, adeoque non specie tantum sed numero unus sunt Deus. Cf. Newman, « Arians », pp. 186, sqq.

25. — II. Duplex hic distinguitur error generalis: *primus* eorum qui negaverunt Filium et Spiritum sanctum ullo modo, etiam in specie et originis relatione, esse Patri consubstantiales: quique proinde Subordinatiani aliquando vocantur; *alter* eorum, qui admissa divinarum personarum unitate specifica et originis, negaverunt unitatem numericam substantiae. — *Priorem errorem* in ipsis ecclesiae exordiis docuerunt Ebionitae, Nicolaitae, Gnostici; sed praecipue postea Ariani, Alogi, Sociniani, Macedoniani. 1. *Arius* presbyter Alexandrinus saec. IV negavit Verbum esse ex substantia Patris, aut dici posse consubstantiale Patri, sed esse tantum creaturarum nobilissimam: contra quem errorem in symbolo Nicaeno profitemur, Christum esse, « Deum de Deo..... consubstantialem Patri ». Haec vox « consubstantialis », quam Arius in pravum sensum detorquere non potuit, facta est tessera professionis orthodoxae (cf. Newman, « Arians » p. 253). Ex Arii sectatoribus, *a*) Rigidi ariani dicebant Filium esse Patri omnino dissimilem (ἀνόμοιον): hinc nomen « Anomoei »; *b*) Semiariani dicebant Filium esse Patri similem in substantia (ὁμοιούσιον), non vero consubstantialem (ὁμοούσιον): *c*) Acaciani (ab Acacio episcopo Caesariensi), seu Homoeani, rejicientes tum Catholicorum tum aliorum Arianorum doctrinas, dicebant Filium esse Patri similem (ὅμοιον) non quidem in essentia sed velut in repraesentatione. Cf. Kleutgen, n. 790. — 2. Alogi saec. II sic vocati sunt, quia noluerunt agnoscere ut distinctam personam divinum Logon seu Verbum quarti Evangelii, ejusve incarnationem in Christo. — Similiter 3. Socinus, saec. XVI, docuit Jesum Christum esse merum hominem, quem Deus posuit exemplum patientiae et virtutis. Ita etiam, ut videtur, Anabaptistae et Quakeri aliqui, necnon Swedenborgiani, ac hodie plures Protestantes « liberales ». — 4. Macedoniani, ut jam dictum est, negaverunt Spiritum sanctum esse Patri et Filio consubstantialem.

26. — III. *Secundum* errorem (contra unitatem numericam divinae substantiae) admiserunt 1. *Tritheitae*, qui duce Joanne Philopono docuerunt (saec. VI), tres esse numero substantias vere divinas inter se aequales, increatas. — 2. Joachim, Abbas Ordinis Cisterciensis saec. XII, quem secuti sunt saec. XVII in Gallia et saec. XVIII in Germania obscuri aliqui auctores, dicebat tres personas esse unum Deum, non unitate numerica substantiae, sed unitate morali, collectiva, similitudinaria et consensionis, quemadmodum v. g. multi fideles dicuntur una ecclesia. — 3. Saeculo

elapso Günther, distinctâ triplici naturae unitate, scilicet praeter specificam et numericam, *qualitativâ* (quam vocabat), docuit esse in Deo tres substantias numero distinctas et aequales (personas *relativas*), quae necessario conjungantur et fiant una persona *absoluta* per hanc unitatem qualitativam, ad instar membrorum humanorum in uno organismo.

27. — IV. Contra hos omnes tenendum est quod docet symbolum Athanasianum: « Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus ». Cum autem divinitas Patris a solis atheis negari possit, cumque unitas numerica divinae substantiae aliunde constet (cf. de Deo Uno, p. 2, qu. 3, c. 1) (1), nobis agendum est tantum, duplici propositione, de divinitate Filii et de divinitate Spiritus sancti.

Obscurius tantum, ut jam dictum est (n. 8), dogma divinitatis Verbi et Spiritus sancti continetur in vetere Testamento. Novum vero quod attinet: in ipso vere declarari divinitatem Filii et Spiritus sancti pertinaciter negabant olim Sociniani et Unitarii. Hodie e contra critici plures vel ex ipsis rationalistis libere concedunt divinitatem Christi in novo Testamento significari, praesertim in scriptis paulinis et joanneis; negant autem hanc doctrinam ab ipso Christo traditam fuisse, aut pertinere ad primitivum Evangelium, sed volunt eam esse tantum evolutionem quandam, aut fidei generationis posterioris interpretationem et expressionem (2).

Ita nominatim Loisy qui licet profiteatur « Christum esse Deum secundum fidem » (« Le Christ est Dieu pour la foi »: Autour d'un petit livre, p. 155), negat tamen constare ex historiae documentis, Christum ipsum unquam revera docuisse vel etiam suspicasse se Deum esse (op. cit., pp. 130, 148; « Simples réflexions », p. 68). Fatetur sane Loisy textus quosdam ipsorum synopti-

(1) Videtur quidem S. Gregorius Nyss. (l. ad Ablav.), admittere tres personas divinas non alio sensu esse unum Deum, quam tres homines sunt consubstantiales. Sed putabat ipse ex principiis platonicis, omnes homines eandem numero humanitatem revera habere. « Multi quidem sunt eandem sortiti naturam, unus vero in omnibus est homo... Unus nobis confitendus est Deus juxta Scripturae testimonium: audi Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est; etiamsi nomen deitatis ad totam pertineat sanctam Trinitatem ». Cf. Franzelin, thes. 9, schol.

(2) Scripsit P. Lagrange (« Revue biblique », Avril, 1903, p. 300), « Praeteritum jam est tempus, quo probatio formalis divinitatis Jesu Christi neque in S. Paulo neque in Synopticis agnoscebatur. Ex DD. Vrede et Bousset (Theologische Rundschau, Aug. 1902), Evangelium Marci non tam longe quam existimari solebat, distat ab Evangelio Joannis. Apud Marcum scilicet quem critici, ut notum est, pro antiquissimo Evangeliorum adhuc superstitum habent, Jesus Messias est non sensu tantum judaico, sed est Filius miraculosus Dei, essentia supernaturali dotatus. Quae tamen concessio diabolo non nocet, cum statim adjungatur: Marcum nullam amplius habuisse realem visionem vitae Jesu ».

corum divinitatem Christi suggerere (uti Matth. 11. 27, « Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare »; Ibid. 16. 16, « Tu es Christus Filius Dei vivi »): negat autem universim, aliter ac quidam critici rationalistae, textus istos esse primitivos. Plane item affirmat in opere recentiori (« Simples réflexions », p. 158): Christum quidem priorum Evangeliorum esse historicum sed Deum non esse: Christum vero quarti Evangelii esse quidem Deum, sed historicum non esse (« Le Christ des Synoptiques est historique, mais il n'est pas Dieu; le Christ johannique est divin, mais il n'est pas historique »). — Damnatus est hic error in decreto « Lamentabili » (prop. 27, « Divinitas Jesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit »: cf. propp. 29, 31). Supposito vero, ex tract. de Religione revelata, duplici fonte revelationis authentico, Scriptura nempe et Traditione, inde probanda est

28. — Propositio I. Verbum est vere ac proprie Deus ac Patri consubstantiale. — De fide ex Symbolo Concilii Nicaeni (an. 325), « Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre, unigenitum, qui est ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt et in coelo et in terra » (Denz. 17). Ita et Symbolum Concilii Constantinopolitani I (an. 381), ac postea (an. 553) Concilium Constantinopolitanum II (Denz. 172, sqq.).

Notandum est, multa hic proferri ob connexionem materiae, quae supponunt *Jesum Christum* esse Verbum incarnatum et Messiam, et quae directe ejus divinitatem ostendunt.

(1) Argumenta ex vetere Testamento. — I. Ex Is. 9. 6, « Parvulus natus est nobis..... et vocatur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis ». — Parvulus hic descriptus est Messias, ut admittunt plures etiam ex rationalistis (vid. Knabenbauer, in loc. p. 228); atqui iste parvulus est Deus; ergo Messias seu Jesus Christus, Verbum incarnatum vere est Deus.

Minor probatur ex locutione « Deus fortis ». Hoc nomen « Deus fortis » (hebr. « El gibbor ») non Deo Patri, ut volunt rabbini, sed Parvulo isti tribuitur, id quod exprimunt cum Vulgata veteres versiones, quodque ipse prophetae scopus (nempe describendi « parvulum natum »), imo et textus hebraici constructio grammatica teste Rosenmüller exigunt; atqui isto nomine « Deus fortis, El gibbor » designari deitatem, certissimum est: ita enim

appellatur Jahve Deut. 10. 17, Jer. 32. 18, 2 Esdr. 9. 32, sicut et alibi apud ipsum Isaiam, qui (10. 20, 21) Jahve vocat Sanctum Israel, et in membro parallelo El gibbor; ergo. Ex Petavio (de Trin., l. 3, c. 2, n. 16), eodem modo interpretati sunt hunc locum non solum SS. Ignatius, Irenaeus « ac reliqui Patres », sed et Symmachus et Aquila. — Alibi quoque suggerit Isaias Messiae divinitatem, uti 35. 4, « Deus ipse veniet et salvabit vos »; 40. 3, « Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri ». Ita et Baruch 3. 36, sqq., « Hic est Deus noster..... Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est ».

29. — **II.** Ex Ps. 109, « Dixit Dominus [Jehova] Domino [Adonai] meo: Sede a dextris meis..... Ex utero ante luciferum genui te..... Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech ». — Dominus, cui haec dixit Jehova est Messias; atqui Dominus iste est vere Deus; ergo Messias seu Jesus Christus, Verbum incarnatum, verus est Deus.

Major constat 1. ex ipso contextu: nemo enim alius praeter Messiam intelligi potest, qui sit Davidis Dominus, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, etc.; 2. ex interpretatione ipsius Christi (Matth. 22. 44-46, etc.), S. Petri (Act. 2. 34: cf. Epist. prima 3. 22), S. Pauli (praesertim Hebr. 1. 13), et Patrum omnium.

Prob. Min. Ille est verus Deus qui 1. habet gloriam et regnum divinum, qui 2. est Deo consubstantialis, ac 3. aeternus; atqui 1. hunc Dominum habere gloriam et regnum divinum, indicant verba, « sede a dextris meis »; 2. eum esse Deo consubstantialem, probant verba « ex utero....., genui te »; 3. eum esse aeternum significant verba « ante luciferum genui te ».

Obs. de textu hebraico Psalmi 109. 3. — Difficultatem hic facit textus hebraicus Ps. 109. 3, qui sic redditur ad litteram, « ex utero matutino (vel ex utero aurorae) tibi ros nativitatis tuae » (seu, « velut ros nativitas tua »): quae verba perplures Catholici adhuc de Verbi generatione sic exponunt: « ex utero ante luciferum fuit tibi nativitas ex me, ut est rori ex coelo », vel « ex sinu Dei trahis nativitatem pulchram vigentemque, ut rorem ». Huc referri possunt verba Osee 6. 3, de Messiae nativitate humana, « Quasi diluculum praeparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terrae »; necnon Is. 45. 8, « Rorate coeli desuper, et nubes pluant Justum ». Cf. Bellarminus in loc.; Franzelin, p. 437, not.

Alii vero diverse omnino sic explicant: « rori ex aurorae gremio provenienti par multitudine et vigore tibi sese offert ju-

ventus tua bellicosa » (idest, juvenes bellatores): quae verba Catholici aliqui (uti Corluy, « Spicileg. », t. 2, pp. 190, 191, quem sequitur Stentrup, « Soteriol. » t. 2, p. 788) intelligunt quidem sensu messianico, sed de bello pacifico Christi, regnum suum per praedicatores aliosque fideles promoventis; rationalistae autem de Davide hostes suos debellante. Communem Patrum interpretationem, de aeterna Verbi generatione, fideliter quidem explicare textum graecum LXX et latinum Italae et Vulgatae, admittit Corluy, negat tamen eam statuere hujus lectionis conformitatem cum textu hebraico primitivo, quam conformitatem ipse propter auctoritatem codicum et versionum negat (p. 189).

Verbis Ps. 109. 3, secundum interpretationem traditionalem acceptis omnino parallela sunt: 1. illa Ps. 27. 8 (quod S. Paulus Hebr. 1. 5; 5. 5, de Christo intelligit), « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confriges eos »; necnon 2. illud Dan. 7. 13, « Ecce cum nubibus coeli quasi *filius hominis* veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient: potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur: et regnum ejus, quod non corrumpetur ». Quibus locis Messias « Filius hominis », insignitur divinitatis notis, nempe generationis divinae et adventus cum nubibus coeli (cf. Marc. 14. 62, « videbitis Filium hominis..... venientem cum nubibus coeli »), ac praedicitur ei gloriosa illa de universis adversariis victoria cum supremo et aeterno in omnes creaturas dominio, quam S. Joannes (Apoc. 19. 13, sqq.) « Verbo Dei » praenuntiat.

30. — (2) Argumenta ex novo Testamento. — Prob. I. Ex Jo. 1. 1, « In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum ». In hoc capite, ait Franzelin, « de Verb. Inc. » thes. 8, « singula doctrinae capita de Jesu Christo vero Deo Deique Filio quibus velut lucis radiis Scripturae universae splendent, in unum quodammodo collecta verticem conspiciuntur ». — Persona cui attribuuntur aeternitas et potentia creativa, quaeque vocatur simpliciter Deus, vere est Deus; atqui ejusmodi est Verbum de quo loquitur Evangelista; ergo Verbum vere est Deus.

Major patet. Aeternitas enim et potentia creativa nonnisi Deo conveniunt, et nomen « Deus » in singulari numero sine addito soli divinitati tribuitur in Scriptura.

Prob. Min. per partes. — 1. Verbum istud substantiale est et

persona, non merum Dei attributum absolutum sicut sapientia v. g. aut omnipotentia. Etenim *a*) dicitur esse « Deus » substantialiter. Item *b*) « erat apud Deum » (πρὸς τὸν θεόν), et proinde distinctum ab eo et in se subsistens, non vero « in Deo » tantum, quod posterius dicendum esset de mero attributo. Cf. Marc. 6. 3, « Nonne et sorores ejus nobiscum (πρὸς ἡμᾶς) sunt? »; Matt. 26. 55, « Quotidie apud vos (πρὸς ὑμᾶς) sedebam »; 1 Cor. 16. 6, « Apud vos (πρὸς ὑμᾶς) autem forsitan manebo ». Necnon *c*) dicitur idem Verbum (v. 18), « unigenitus Filius (aliter, *Deus*) qui est in sinu Patris ».

2. Ista persona est *aeterna*. Dicitur enim, « in principio erat Verbum »: jamvero sive *principii* nomine intelligatur principium absolutum, illud scilicet ante quod nullum aliud concipi potest proinde ipsa aeternitas (ut suadet contextus et collatio Eccli. 24. 5, « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam »; Prov. 8. 22, « Dominus possedit [genuit] me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio »; 1 Jo. 1. 1, « Quod fuit ab initio »); sive principium relativum, idest principium rerum creatarum: *a*) Verbum dicitur *jam fuisse* in illo principio, ac *b*) manifeste opponitur tanquam *non habens principium* rebus principium habentibus, et *c*) distinguitur ut increatum a rebus factis, quae nonnisi v. 3. Evangelista commemorare incipit: Verbum *erat*, cetera omnia per ipsum *facta sunt*.

3. Verbo illi attribui *potestatem creativam*, patet ex v. 3, ubi forma negativa et affirmativa declaratur, « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil ».

4. Verbum vocatur simpliciter « Deus ». Dicit enim Evangelista « Deus erat Verbum » vel clarius graece Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, ubi articulus demonstrat λόγος esse subjectum, θεός autem praedicatum.

31. — Scholion de « Logo » S. Joannis. — Nomen *Verbum* seu Λόγος, quod ut postea videbitur (v. g. n. 93) aptissimum est ad Filii naturam exprimendam, apud S. Joannem invenitur non tantum in Evangelio sed et 1 Ep. 1. 1, et Apoc. 19. 13 (cf. 6. 9); non videtur tamen ab ipso Christo adhibitum fuisse, neque apud alios novi Testamenti scriptores (si forsan excipias Hebr. 4. 12 ac Luc. 1. 2) reperitur. Tempore autem illo quo scripsit S. Joannes Evangelium, nomen hoc usuale fuisse et probabilius ab ipso Evangelista in instructione orali adhibitum, inde liquet, quod illud statim in ipso Evangelii exordio sine explicatione introducit. Illa autem aetate de Verbo Dei plurima scripta sunt a philosophis platonicis, et nominatim a Philone Judaeo Alexandrino (nat. an. circ. 20 ante Chr.), qui cum philosophia graeca conciliare quae-

rebat doctrinam veteris Testamenti (Ps. 32. 6; Prov. 8. 22-31; Sap. 7. 24-30; 8. 1-4; 18. 15; Eccli. 1. 4, etc.) de Sapientia et Sermone Dei, quem rabbini in targumim vocant Memra (idest verbum externum), tribuentes ei plurima ipsi Jehova propria (1). In vetere ergo Testamento habebantur saltem in germine ea omnia quae de Verbo communia sunt S. Joanni et Philoni, nec proinde ullatenus admittendum est, quod volunt rationalistae, ab hoc hausisse Evangelistam ipsam appellationem Verbi seu λόγου, multo vero minus doctrinae substantiam. Philonis enim Logos, si vere fuit hypostasis et distinctus a principio (de qua re dubitant plures), certe fuit, sicut docuit postea Arius, summo Deo longe inferior (« natura Deo confinis : hoc quidem minor, homine vero praestantior », dicit Philo, *de Somniis*), ac verbum internum mentis fuit, non Verbum incarnatum seu Deus-homo. Cf. Westcott, « Gospel of St. John », p. XV; Franzelin, « de Trin. », thes. 18, p. 302.

Dicere ergo licet, post Maldonatum, cum pluribus recentioribus (Knabenbauer, in S. Jo., p. 65; Pesch, de Incarn., n. 22; Westcott, l. c. p. XVII; Loisy, « Rev. d'hist. », 1902, p. 455), S. Joannem terminologiam seu nomen « Logos » tunc maxime receptum usurpasse ad novi Testamenti theologiam aptius et utilius declarandam, ac simul ad notiones aliquas falsas de divinitate convellendas.

32. — **II.** Ille cui ex rei veritate attribuuntur, 1. nomina, 2. virtutes et operationes, 3. attributa, 4. honor et cultus, quae sunt divinitati propria, est vere Deus; atqui in Scriptura sacra tum ipse Jesus tum alii haec omnia Christo attribuunt; ergo Christus est verus Deus.

Prob. Min. per partes. — 1. Quoad **nomina.** Nomina « Deus » sine addito, et « Filius Dei », quae ex usu biblico nunquam in singulari numero de aliqua creatura pura dicuntur, saepe Christo in Scriptura tribuuntur.

a) Nomen DEUS quod attinet : praeter locum citatum *S. Joannis* (1. 1, « Deus erat Verbum ») : ab eodem 1. 18 (juxta lectionem quam Harnack omnino certam censet), Christus dicitur « unigenitus Deus ». Item 1 Jo. 5. 20, « Simus in vero Filio ejus. Hic (οὗτος) est verus Deus et Vita aeterna ». Ac *S. Petrus* secundam epistolam (1. 1) dedicat « iis qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi » (ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ). Saepius vero *S. Paulus :* uti, juxta unanimem SS. Patrum consensum (quem

(1) Ita v. g. Targum Jonathan alludens ad historiam serpentis aenei (Num. 21. 6, seqq.: cf. Sap. 16. 7) dicit, « Et erit, si quis percussus aspexerit eum, vivet, si cor ejus dirigatur ad Nomen Verbi [Memra] Domini».

exhibet Franzelin, « de Verbo Incarnato », thes. 41), Rom. 9. 5, « Ex quibus [Israelitis] est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula » (ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν). Etiam Ephes. 5. 5, « Omnis fornicator..... non habet haereditatem in regno Christi et Dei » (τοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ). Item Philipp. 2. 6, « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo ». Ac 2 Thess. 1. 12, « Secundum gratiam Dei nostri et Domini nostri Jesu Christi » (κατὰ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ). Et 1 Tim. 3. 16, « Quod manifestatum est in carne » (Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί). Demum Tit. 2. 13, « Exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi » (προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ).

b) Quod spectat alterum nomen : Christus FILIUS DEI, Filius ipse (cum articulo, ὁ υἱός), Filius dilectus, Filius unigenitus Dei constanter vocatur, uti a Patre (Matth. 3. 17; 17. 5), a seipso (Matth. 26. 63-66; Marc. 14. 61, 62; Jo. 3. 16-18), ab Angelo (Luc. 1. 35), ab Apostolis (Matth. 14. 33; 16. 16, 17; Jo. 6. 70), et ab aliis, uti a Centurione (Marc. 15. 39), et ab ipsis daemonibus (Luc. 4. 41). Imo propter hoc ipsum nomen, quod ex epistola ad Hebraeos 1. 5, nulli aliquando dictum est Angelorum, non semel Judaei Christum accusarunt *blasphemiae*. Ita Jo. 5. 18, « Propterea ergo magis quaerebant eum Judaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum sed et patrem suum dicebat Deum, *aequalem se faciens Deo* ». Item Marc. 14. 61, sqq., cum ad interrogationem, « Tu es Christus Filius Dei benedicti? », Jesus respondisset « Ego sum », summus sacerdos scindens vestimenta ait, « Audistis blasphemiam : quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis ». Similiter Judaei dixerunt Pilato (Jo. 19. 7), « Nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit ». — Hinc obiter colligere licet, falsitatem propositionis 30, damnatae in Decreto « Lamentabili », « In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium ». Cf. Lepin, « Jésus Messie et Fils de Dieu », pp. 281, sqq.

2. Ad **virtutes et operationes** quod attinet. Virtus creativa, scientia infinita, missio Spiritus sancti, vivificatio et illuminatio hominum, solius Dei sunt; atqui haec Christo in Scripturis tribuuntur.

a) *Virtus creativa*, ut jam dictum est, declaratur Jo. 1. 3, « omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod

factum est ». Item Jo. 5. 17-21, « Pater meus usque modo operatur, et ego operor..... Quaecumque ille fecerit, haec et Filius similiter facit ». Et Jo. 10. 37, sqq., « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi..... Pater in me est et ego in Patre. Quaerebant ergo eum apprehendere ». Ac S. Petrus Act. 3. 15, « Auctorem vitae interfecistis ». Item Coloss. 1. 16, 17, « In ipso condita sunt universa in coelis et in terra..... omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Et ipse ante omnes, et omnia in ipso constant ». De Christo etiam intelligitur Hebr. 1. 10-12, verba Ps. 101. 26, 27, « Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli..... ».

b) *Scientiam infinitam*, nempe comprehensionem ipsius Dei, sibi adscribit Christus Matth. 11. 27, « Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare ». Similiter Jo. 1. 18, « Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ». Et ibid. 7. 28, 29, « Est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum ».

c) Christus attribuit sibi *missionem Spiritus sancti* Luc. 24. 49, « Et ego mitto promissum Patris mei in vos »; Jo. 15. 26, « Quum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis..... ».

d) Christus seipsum *principium vitae* saepius declarat, sicut Jo. 5. 21, 26, « Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat: sic et Filius quos vult vivificat..... Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso ». Item, in ordine supernaturali, Jo. 10. 28, « Et ego vitam aeternam do eis [ovibus], et non peribunt in aeternum ». Alia S. Joannis loca sunt: 11. 25, « Ego sum resurrectio et vita »; 14. 6, « Ego sum via, et veritas, et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me »; 8. 12, « Ego sum lux mundi ». Praeterea ex capite primo ejusdem Evangelii (v. 4), in Christo « vita erat, et vita erat lux hominum »; et (v. 14) erat Christus plenus gratiae et veritatis, et (v. 16) de plenitudine ejus omnes nos accepimus. Cf. 1 Jo. 1. 1, 2; 5. 11-20.

3. **Attributa** quod attinet. Aeternitas et identitas numerica naturae cum alia persona sunt propria divinitatis: haec autem tribuuntur Christo.

a) *Aeternitatem* tribuere Christo verba citata Jo. 1. 1, « In principio erat Verbum », jam dictum est. Idem constat ex Jo. 8. 58, 59, « Amen, amen dico vobis, antequam Abraham *fieret*, *ego sum*. Tulerunt ergo lapides [Judaei] ut jacerent in eum ». Hic videlicet agitur de *existentia reali*, non mere ideali, seu per praedestinationem, ut voluerunt Sociniani: Judaei enim interrogarunt

(v. 57) de reali existentia ; ac praeterea, speciale non fuisset Christo ante Abrahae tempus exstitisse in *praedestinatione* divina, quippe quae circa omnes facta est ab aeterno (praeexistentia autem Domini Christi *in coelis* declaratur Jo. 3. 31, 32; 6. 41-47, 58-63; 16. 28-30; 17. 5, 24). Porro haec existentia realis est *aeterna:* quod liquet primo ex solemni Christi exordio, « Amen, amen dico vobis » ; item ex antithesi verborum « fieret » et « sum » (1); deinde ex eo quod Judaei, intelligentes Christum attributa divinitatis aperte sibi vindicare, eum juxta legis mosaicae praescriptiones contra blasphemiam (Levit. 24. 16) voluerunt lapidare; demum ex eo quod Christus hanc Judaeorum interpretationem non correxit. Huc etiam referri potest Apoc. 1. 17, 18, « Ego sum primus et novissimus [cf. Is. 41. 4; 48. 12], et vivus (ὁ ζῶν) et fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum » : iste enim « vivens » per excellentiam est idem ipse « vivens in saecula saeculorum », cui dicitur (Ibid. 4. 9, sqq.), « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens..... tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt ».

b) *Unitatem naturae* cum Patre sibi adscribit Christus, dicendo Jo. 10. 30, « Ego et Pater unum sumus » : idque auditores ita intellexisse, liquet ex versiculo subsequenti, « Sustulerunt ergo lapides Judaei, ut lapidarent eum », quasi scilicet blasphemiae reus esset (v. 33, « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, *facis teipsum Deum* »). Haec identitas naturae etiam significatur Jo. 16. 15, « Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt ».

Neque vim prioris textus ut voluerunt Ariani, infirmant verba Christi Jo. 17. 11, sqq., « ut sint [discipuli] *unum, sicut et nos*..... ut sint consummati in unum ». Haec enim verba non sunt propositio assertiva affirmans factum, sicut verba Jo. 10. 30, « Ego et Pater unum sumus » : sed sunt solummodo postulatio, non quidem ut discipuli et Pater sint unum, sed ut discipuli inter se, quantum permitteret rei natura, *imitarentur* unitatem personarum divinarum tanquam exemplar supremum (cf. Ephes. 4. 4-6) : quemadmodum et alibi desideravit Christus (Matth. 5. 48), ut essent discipuli perfecti, « sicut et Pater vester coelestis perfectus est » (cf. Levit. 21. 8; Luc. 6. 36; Ephes. 5. 1). Unitatem vero divinam imitari possunt discipuli non certe in identitate numerica naturae (habent enim unitatem mere specificam), sed praecipue *in consensione vo-*

(1) Hoc jam notaverat S. Augustinus (tr. 43 in Jo., n. 17). « Intellige, *fieret* ad humanam facturam, *sum* vero ad divinam substantiam [Exod. 3. 14] .... Non dixit, Antequam Abraham esset, ego eram; sed, Antequam Abraham *fieret*, qui nisi per me non fuisset, *ego sum*. Neque hoc dixit, Antequam Abraham fieret, ego factus sum. »

luntatum, idque ipsum deficienter tantum : unitas enim moralis divinarum personarum propter singularitatem divinae voluntatis est essentialiter necessaria et perfectissima, aliter quam in creaturis. Cf. Concilium Lateranense IV, c. 2 (Denz. 358); Franzelin, de Trin., thes. 3, coroll. 3.

4. **Supremum cultum** et adorationem Scripturae Christo vindicant, *a*) universim, uti Jo. 5. 23, ubi Christus dicit, a Patre statutum esse, « ut omnes honorificent Filium *sicut* honorificant Patrem » ; item Philipp. 2. 10, « In nomine Jesu omne genu flectatur..... Jesus Christus in gloria est Dei Patris » ; necnon iis locis ubi Christo pronuntiatur *doxologia*, uti Apoc. 5. 13, « Sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum » ; 2 Petr. 3. 18, « Ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis. Amen » ; cf. Hebr. 13. 21 ; 1 Petr. 4. 11.

b) Speciatim postulatur Jesu Christo cultus supremus *fidei* Jo. 14. 1 (« Creditis *in* Deum, et *in* me credite ») ; *spei* (1 Tim. 1. 1, « Spes nostra » : cf. Act. 4. 12), *caritatis* (Matth. 10. 37, « qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus » ; Jo. 14. 23, « si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus ») ; *adorationis* (Hebr. 1. 6, « et adorent eum omnes angeli Dei » : cf. Ps. 96. 7). Ergo. — Singulas hujus argumenti partes expendit Franzelin, « de Verbo Inc. », thesibus 2-7.

33. — **Conclusio.** — Ex his et aliis Scripturae locis concludi potest cum Perrone (de Trin., n. 165) : « Vel Christus et Scriptores sacri deceperunt nos, vel fatendum est Verbum seu Filium Dei vere et proprie Deum esse ac Patri consubstantialem. At primum dici nonnisi impie et absurde potest : quia Deus ipse auctor esset deceptionis nostrae..... Restat igitur, ut Verbum vere et proprie Dei Filium, Deum, Patrique consubstantialem profiteamur ». — Brevius alii rem exprimunt dicendo : Aut Christus erat Deus, aut non erat vir probus.

Solvuntur Objectiones

34. — Obj. 1. Contra argumentum ex nomine « Deus ». — Christus ipse explicavit se nullo alio sensu esse Deum, quam erant olim judices et prophetae (Jo. 10. 34, 35, « Nonne scriptum est in lege vestra [Ps. 81. 6] quia : Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos..... vos dicitis : Quia blasphemas : quia dixi, Filius Dei sum ») ; atqui isti erant dii sensu tantum metaphorico ; ergo et Christus.

Resp. *Nego Maj.* Etenim 1. statim provocat Christus (vv. 37, sqq.) ad opera sibi et Patri communia, nempe miracula, ut ostendat Patrem esse in ipso et ipsum in Patre; ideoque 2. Judaei (v. 39) adhuc quaerebant eum apprehendere ad lapidandum. Hinc 3. habetur tantum argumentum a minori ad majus hujusmodi: Si citra blasphemiam judices isti dicti sunt dii, quanto verius et justius Deus dicor ego, quem Pater (tum totam naturam divinam mihi communicando, tum me destinando ut victimam sacrificii pro redemptione mundi) sanctificavit et misit in mundum, quique proinde utpote Messias (ex eodem Psalmo 81. 6), « in gentibus haereditat », totamque terram et ipsos hos judices judicabit? Hinc S. Joannes Chrys. (in Jo., hom. 61, n. 2), « Si ii qui per gratiam hoc acceperunt, non accusantur, cum se deos vocant; qui ex natura sua hoc habet, quo jure increpetur? » Ac S. Augustinus (in Jo., tr. 48, n. 9), « Si lumina illuminata dii sunt, lumen, quod illuminat, non est Deus? »

Inst. 1. Moyses dicitur in Scriptura singulari numero « Deus » (Exod. 7. 1, « Constitui te Deum Pharaonis »); atqui Moyses non habuit divinam naturam; ergo non valet argumentum ex nomine « Deus » etiam in singulari numero.

Resp. *Dist. Maj.* Dicitur Moyses cum addito « Deus *Pharaonis* » (seu Pharaoni), idest ad imperandum Pharaoni nomine et auctoritate Dei, *conc.;* dicitur « Deus » simpliciter, *nego.* Fatetur in « Thesauro » ipse Gesenius (« testis non suspectus », ut ait Franzelin, l. c., p. 14), non tantum nomen incommunicabile « Jehova », sed etiam « Adonai » nunquam de singulari aliquo homine simpliciter adhiberi.

Inst. 2. Ipse Christus alloquens Patrem, dicit eum solum Deum verum (Jo. 17. 3, « ut cognoscant te, *solum Deum verum*, et quem misisti Jesum Christum »); ergo Christus non est verus Deus. — Idque confirmatur ex Apostolo 1 Cor. 8. 6, « Nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia »; item ex Ephes. 4. 6, « unus Deus, et Pater omnium ».

Resp. *Dist. Anteced.* Christus dicit Patrem « solum Deum verum », ad excludendam pluralitatem deorum (τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν), *conc.;* ad excludendas alias personas divinas, *nego*, nam et Filius etiam dicitur 1 Jo. 5. 20, « Verus Deus et vita aeterna ». — In textibus ad confirmationem allegatis excluditur tantum eadem pluralitas deorum.

Inst. 3. In Scripturis novi Testamenti ad significandum summum Deum vox θεός adhibetur semper cum articulo; atqui nunquam dicitur Christus ὁ θεός; ergo non est verus Deus.

Resp. *Nego Maj.* Etenim 1. aliquando ponitur θεός sine ar-

ticulo ad significandum summum Deum, uti v. g. Jo. 1. 6, « Fuit homo missus a Deo » (παρὰ θεοῦ) ; item ejusd. cap. vv. 12, 13, 18 ; Gal. 4. 8, 9 ; dum 2. e contra praeponitur articulus ubi agitur de deo falso seu idolo, v. g. 2 Cor. 4. 4, « In quibus Deus (ὁ θεός) hujus mundi » : cf. Act. 7. 43.

Nego Min. Vocatur enim Christus ὁ θεός a S. Thoma (Jo. 20. 28), a S. Paulo (Rom. 9. 5), a S. Joanne (1 Epist. 5. 20), etc.

35. — Obj. 2. Contra argumentum ex nomine « Filius Dei ». — Hoc argumentum supponit nomen « Filius Dei » nunquam tribui meris creaturis ; atqui saepius in Scriptura, saltem 50ies hoc nomen meris creaturis tribuitur, uti Rom. 8. 14, « Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei » ; Ibid. v. 16, « Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei » ; item 1 Jo. 3. 1, « Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus » ; ergo non valet argumentum.

Resp. *Dist. Maj.* Hoc argumentum supponit nomen « Filius Dei » in singulari numero nunquam tribui alicui individuo creato, *conc.;* supponit hoc nomen in plurali numero non tribui creaturis, *nego.*

Contradist. Min. Hoc nomen in plurali numero saepe tribuitur meris creaturis, scilicet justis, *conc.;* idque non ut appellatio extrinseca tantum, sed propter donum intrinsecum gratiae sanctificantis qua creatura fit deiformis et filia Dei adoptiva ; hoc nomen in singulari numero tribuitur alicui individuo creato, *nego.* — Etenim in aliquibus exemplis quae primo aspectu contraria videntur, nomen, quamvis grammatice singulare, aequivalenter est plurale. Adhibetur scilicet aliquando *indefinite*, uti Apoc. 21. 7, « Qui vicerit, possidebit haec, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius » : cf. Eccli. 4. 11 ; Galat. 4. 7 ; Sap. 2. 13, 18 (sed forsan hic posterior locus litteraliter agit de ipso Christo) ; aliquando *collective*, uti Exod. 4. 22, 23, « Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi : Dimitte filium meum ut serviat mihi » : cf. Jer. 31. 9, 20. Dicitur quidem de Salomone 2 Reg. 7. 14, « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium », sed sensus est *typicus* de Christo : imo istum locum S. Paulus Hebr. 1. 5, una cum verbis Ps. 2. 7, « Filius meus et tu », citat tanquam soli Christo, non angelis vel hominibus applicabilem. — In genealogia Luc. 3. 38, « qui fuit Seth, qui fuit Adam, *qui fuit Dei* », nomen *filius* non occurrit, et significatur origo aliqua quae diversa est in diversis personis, aliquando scilicet est filiatio legalis, aliquando filiatio naturalis, in casu autem Adae creatio. — Ita Franzelin, « de Verbo Incarnato », thes. 3, n. II, dissentientibus nonnullis vel ex ipsis Catholicis. Cf. P. Lagrange, « Revue biblique », Oct. 1907, p. 551.

36. — Obj. 3. Si Christus verus Deus esset, *a*) bonus esset bonitate divina, *b*) aequalis Patri, *c*) omnipotens, *d*) omniscius; atqui ipse Christus, *a*) a se excludit bonitatem divinam (Marc. 10. 18, « Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus »), *b*) distincte dicit Jo. 14. 28, « Pater major me est », quem etiam vocat Jo. 20. 17, « Deum meum et Deum vestrum », *c*) aitque Jo. 5. 19, « Non potest Filius a se facere quidquam », ac demum *d*) aperte fatetur se ignorare diem judicii (Marc. 13. 32, « De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater »); ergo Christus non est verus Deus.

Resp. *ad Min. per singula.* — Ad *a*) *Nego:* his enim verbis, ut plures interpretantur Patres (v. g. SS. Athanasius, Gregorius Naz., Basilius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus: vid. Holzclau, n. 348), voluit Christus tacite commonere adolescentem de sua divinitate, quasi dixisset: Me Deum non putas, et tamen bonum dicis: solus autem Deus per excellentiam bonus est; ergo vel bonum me non appella, vel Deum me esse crede.

Ad *b*) *Dist.* Pater major est Filio vel ratione originis e Patre qui principium est in divinis (ita exponunt Patres graeci) vel ratione humanae Filii naturae in qua ad Patrem rediturus erat (ut Patres latini explicant), *conc.;* est major Filio ratione divinae naturae, *nego:* jam enim in eodem sermone dixerat Christus (vv. 9, 10), « qui videt me, videt et Patrem..... ego in Patre, et Pater in me est..... ». Eodem sensu, loquens de humanitate in qua ascensurus erat, Christus (Jo. 20. 17) vocat Patrem *Deum* suum, dicendo tamen cum aliqua distinctione, ut exposuit S. Augustinus (tr. 121 in Jo., n. 3), « Deum *meum* sub quo et ego homo sum, Deum *vestrum* inter quos et ipsum mediator sum ».

Ad *c*) *Dist.* Filius non potest facere quidquam a se, eo quod a Patre per generationem acceperit totam virtutem divinam, *conc.;* non habet virtutem et omnipotentiam divinam, *nego:* quia subjungit statim, « quaecumque enim ille [Pater] fecerit, haec et Filius *similiter* facit ». Hinc S. Augustinus (in Jo. tr. 20, n. 4), « Quidquid Filius habet ut faciat, a Patre habet, ut faciat. Quare habet a Patre ut faciat? Quare a Patre habet, ut Filius sit? Quia a Patre habet ut possit, quia a Patre habet, ut sit. Filio enim hoc est esse quod posse. Homini non ita est ».

Ad *d*) *Dist* α) Non sciebat Filius hunc diem ad manifestandum aliis, seu ut dicit iterum S. Augustinus (enarr. in Ps. 36, serm. 1, n. 1), « in magisterio ejus non erat ut per eum sciretur a nobis », *conc.;* ignorabat illum diem simpliciter, *nego:* quod et significat modus agendi Apostolorum, iterum de fine mundi Christum post resurrectionem interrogantium (Act. 1. 6). Ut ait S. Hilarius (de

Trin., l. 9, n. 75), « Apostoli hoc quod nescit Filius diem, *dispensationem* esse intelligunt, non infirmitatem ». Quo spectat et ipsius Christi responsio (Act. 1. 7), « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate ». — In hac ergo explicatione, quae dicitur a Franzelin (de Verbo inc., thes. 42, p. 424) « obvia et planior », quamque post SS. Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, tenet Bellarminus (de Christo, l. 4, c. 5), ignorantia Christi fuit « oeconomica ».

Aliis tamen placent aliae distinctiones : v. g. *β*) ignoratus fuit iste dies ab omni creatura, ac proinde ab ipsa Christi humanitate secundum suam essentiam spectata : idest, praescindendo ab ejus elevatione ad unionem hypostaticam cum Verbo divino, *conc.;* ignoratus fuit ab ipsa humanitate Christi, uti de facto se habebat, *nego;* γ) Filius hunc diem non sciebat scientia eadem qua Pater, nempe scientia incommunicata (pariter ac Jo. 5. 19 non potuit a se facere quidquam : cf. Jo. 8. 26, 28), *conc.;* non sciebat scientia a Patre communicata, *nego:* ita explicant SS. Gregorius Nazianz. et Basilius.

Ad hanc difficultatem explicandam a pluribus Protestantibus (quasi ex Philipp. 2. 7, « Semetipsum exinanivit » : ἑαυτὸν ἐκένωσεν) asserta est κένωσις aliqua, qua, per ipsos, Verbum divinum in incarnatione omniscientiam suam aliaque divinitatis attributa deposuit. Quae tamen interpretatio nedum catholicae fidei de duplici Christi natura (vid. de Verbo incarn., nn. 34, sqq.) adversatur, sed et doctrinae ipsius Apostoli, ex quo (l. c., v. 6) Christus « cum in forma Dei esset [ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων : in natura Dei subsistens], non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo », idest fuit vere (et ideo incommutabiliter) Deus. Sed de scientia Christi iterum redibit sermo in tract. de Verbo Incarnato.

37. — Obj. 4. Non est verus Deus, qui creatus est, quique instrumentum Dei fuit in creatione mundi ; atqui *α*) Sapientia divina, seu Verbum, dicitur creata, Eccli. 24. 14, « Ab initio et ante saecula creata sum », et iterum Prov. 8. 22 (juxta LXX), « Dominus creavit me in initio viarum suarum » : item *b*) de Verbo dicitur Jo 1. 3, 10, « Omnia per ipsum facta sunt..... mundus per ipsum factus est » ; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Ad *α*) Sapientia dicitur creata sensu improprio, idest producta simpliciter, *conc.;* sensu proprio productionis ex nihilo, *nego.* Vox latina « creare » (graece, κτίζειν) non significat semper productionem ex nihilo, sicut quando dicitur v. g. cardinalis creari a Papa. Re tamen vera non constat de hac voce in textibus citatis : in priore enim (Eccli. 24. 14) Sapientia dicitur juxta LXX ante saeculum fundata, dum in altera (Prov. 8. 22),

juxta Vulgatam post Hebraeum legitur, « Deus possedit [idest genuit : cf. Gen. 4. 1 ; Deut. 32.6] me », et plures putant ἔκτισε apud LXX corruptionem esse scribarum pro ἔκτησε (« possedit »). Cf. Holzclau, n. 349. — Obiter hic notare licet, verba aliquando objecta S. Joannis Baptistae Jo. 1. 15, « Qui post me venturus est, ante me *factus* est », sumi sensu tantum morali et dignitatis, et significare Christum S. Joanni anteponi.

Ad *b*) *Dist.* Omnia per Verbum facta sunt tanquam per causam exemplarem aut efficientem, *conc.;* tanquam per causam instrumentalem, *nego.* Neque enim praepositio *per* (διά) semper significat causam mere instrumentalem : uti 1 Cor. 1. 9, « Fidelis Deus per quem vocati estis ».

38. — Obj. 5. Saepe distinguit S. Paulus Patrem a Filio, vocando Patrem Deum et Filium Dominum (v. g. 1 Cor. 8. 6, « Unus Deus, Pater, ex quo omnia..... : et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia..... » : vid. Ib. 1. 3 ; 12. 4-6 ; 2 Thess. 1. 2 ; 2. 15) ; atqui ita distinguendo manifeste supponit Filium non esse Deum ; ergo.

Resp. *Nego Min.* Nam in Scripturis aequivalenter dicitur Deus et Dominus, uti Ps. 112. 5, « Quis sicut Dominus Deus noster? » ; Luc. 1. 68, « Benedictus Dominus Deus Israel ». Imo per « Dominum » vertitur nomen divinum tetragrammaton Jehova seu Jahve. Apud S. Paulum nominatim 1. in ipso contextu loci objecti 1 Cor. 8, promiscue vocantur (v. 5) paganorum divinitates « dii multi et domini multi ». — 2. Christus dicitur Deus et Dominus, Coloss. 3. 24, 25, « A Domino accipietis retributionem haereditatis. Domino Christo servite. Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit ; et non est personarum acceptio apud Deum ». — 3. Pariter Rom. 14. 10-12 unus judex, ante cujus tribunal stabunt omnes, et cui omne genu flectetur, est simul Christus, Dominus, Deus. — Demum 4. ex S. Paulo Salvator ille (ὁ σωτήρ) qui est Christus, est etiam Deus (vid. Tit. 1. 3, 4 ; 3. 4, 6). — Proinde Apostolus, ut jam notaverat S. Ambrosius (in Epist. ad Galat. 1. 3), « Nec minorem Filium significat, cum eum Dominum nostrum vocat ; nec Patrem majorem quia eum Deum nostrum appellat ; quia non erit verus Deus Pater, nisi et Dominus sit ; neque verus Dominus Filius nisi et Deus sit ».

39. — **(3) Argumenta ex traditione.** — **I.** Cum doctrina nostra fatentibus omnibus facta sit post Concilium Nicaenum I (an. 325), unica orthodoxa, sola difficultas potest esse de tribus prioribus saeculis. Horum autem fidem eandem fuisse ac nostram, 1. a priori constat Catholicis ex unitate et infallibilitate fidei in ecclesia :

neque enim admittere licet talem progressum et profectum doctrinae, ut vetustiores Patres dicantur universim imperfecte et erronee sensisse de doctrina fundamentali ac necessaria hujusmodi, quae in ipsa baptismatis formula et in liturgiae symbolis fidelibus omnibus credenda quotidie explicite proponebatur. Cf. Franzelin de Trin., thes. 10, n. II.

Liquet deinde 2. ex eo quod ad Patres illos antiquiores, uti secum sentientes, frequenter aperte et confidenter, provocant Patres nicaeni et postnicaeni. Ita v. g. S. Athanasius (de decret. nic. n. 27), « Nos quidem hanc sententiam a Patribus ad Patres transiisse demonstramus, vos vero, o novi Judaei et Caiphae discipuli, quos Patres qui vestris voculis faverint exhibere potestis?..... fides quam synodus [Nicaena] scripto confessa est, ipsa vere est fides catholicae ecclesiae ». Et S. Augustinus (de Trin., l. 1, c. 4, n. 7), « Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, unius ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem ». Plura testimonia exhibet Petavius, de Trin., praef., c. 2, nn. 1-5.

Idque confirmatur 3. ex ipsius Arii primorumque sectatorum fraudibus : hi enim, ut querebantur SS. Athanasius et Hilarius, dum *a*) S. Alexandri episcopi alexandrini doctrinam calumniarentur, quasi sanctus praesul negasset Verbum esse genitum a Patre, ipsi *b*) ad haeresim tegendam et fucum simplicibus, tum populis tum pastoribus, faciendum, plures formulas catholicas subdole usurpabant, quibus non jam obvium et receptum sensum, sed suum haereticalem sophistice imponebant, fatendo v. g. cum ipso Ario (in epistola ad Euseb. Nicomed., apud Theodoretum, hist. eccl., l. 1, c. 5) Filium « non esse ingenitum, neque partem ingeniti ullo modo, *neque ex aliquo subjecto*, sed voluntate et consilio ante tempora et ante saecula exstitisse *plenum Deum*, unigenitum, *immutabilem* » ; attamen *c*) alias locutiones catholicas (v. g. consubstantialis) quae nulla arte in pravum eorum sensum de Filii inferioritate detorqueri potuissent, prorsus rejiciebant simulato illo praetextu, quod a Scripturae usu alienae essent, quod ansam praeberent Sabellianis, etc. : quae omnia artificia inutilia certe fuissent, nisi apud fideles in confesso esset uti fides ipsa apostolica, Filium esse Deum verum, non aliter quam Pater est. Cf. Franzelin, de Trin., thes. 8, n. I ; Newman, « Arians », chap. 3, sect. 1 (edit. 4, pp. 253, sqq).

Imo 4. hic satis fuisset solum *praescriptionis* argumentum. Cum enim *a*) difficillimum fuisset dogma hujusmodi, rationem humanam

tam longe transcendens, in religionem christianam quae primo jam saeculo per totum orbem diffusa fuit (vid. Rom. 1. 8; 15. 18, 19; Coloss. 1. 6, 23) introducere sine reclamatione, cumque *b*) nullum hujusmodi reclamationis vestigium inveniatur, licet adversus contrarios errores Praxeae, Noeti, Pauli Samosateni etc. reclamatum sit; cumque *c*) ipsi adversarii ut ex objectionum solutione constabit, hujus introductionis auctorem vel aetatem assignare nequeant: omnino concludendum est, doctrinam Trinitatis ab ipso aevo apostolico descendere.

40. — **II.** Ex particularibus priorum saeculorum testimoniis sequentia citari possunt.

Saec. I. *S. Clemens Rom.* in epistola ad Corinthios (circa an. 90), de Christo honorificentissime loquitur, dicens eum Dominum (44. 1; 49. 6), et Filium Dei (59. 3, 4). Idem forsan S. Clemens, aut auctor aliquis illius fere aevi (cf. Funk, « Patres Apost. », prol., pp. c. sqq.), in alia epistola (« ad Diognetum », c. 7, nn. 2, 4), dicit, « Ipse vero omnium regnator et omnium conditor et invisibilis Deus, ipse e coelis veritatem et Verbum sanctum et incomprehensibile inter homines locavit et cordibus eorum infixit; non quemadmodum aliquis conjicere possit, hominibus ministrum aliquem mittens aut angelum..... sed ipsum opificem et creatorem omnium, per quem coelos condidit..... hunc ad eos misit..... In clementia et lenitate ut rex mittens filium regem misit eum, ut Deum misit, ut hominem ad homines misit ».

Hujus saeculi testis insignis est *S. Ignatius M.* (m. circa an. 107). In inscriptione videlicet epistolae ejus ad Romanos Christus bis dicitur « Deus noster », sicut et postea (3. 3), « ipse Deus noster Jesus Christus »; etiam scribit (6. 3), « Concedite mihi imitatorem esse passionis Dei mei ». Ex ejusdem autem epistola ad Magnesianos (6. 1), Christus « ante saecula apud Patrem erat et in fine apparuit »; item (8. 2), « Unus est Deus, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ejus e silentio progressum ». Necnon in epistola ad Ephesios (1. 1) dicuntur Christiani « ad vitam revocati per sanguinem Dei ». In qua etiam epistola (7. 2) celeberrimum exstat testimonium, « Medicus autem unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster ». Ac postea (20. 2), « Secundum carnem ex genere David, filius est hominis et Filius Dei ».

Saec. II. Ex « Pastore Hermae » (sim. 5, c. 6: circa an. 140), « In servili conditione non ponitur Filius Dei, sed in magna potestate ponitur et honore..... Vides, inquit, eum Dominum esse po-

puli, accepta a Patre suo omni potestate ». Et (sim. 9, c. 14, n. 5), « Nomen Filii Dei magnum et immensum est ac totum mundum sustinet ». Eodem aevo (circa an. 160) ex Psalmis docet *S. Justinus M.* (dial. cum Tryph., n. 56), « Esse alterum in sacris libris, qui nominatur Deus et Dominus praeter universorum Opificem », qui videlicet (apol. 1, n. 63), « cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est ». Item (circa an. 170) *Athenagoras* (legat. pro Christianis, n. 10), « Est Filius Dei Verbum Patris in idea et operatione : ab eo enim et per eum facta omnia, cum Pater et Filius unum sint. Cum autem Pater sit in Filio, et Filius in Patre, unitate et virtute Spiritus, mens et Verbum Patris est Filius Dei ». Ac (circa an. 180) *S. Irenaeus* (l. 4. n. 2) laudando scriptorem aliquem, « Et bene, qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum. Mensura enim Patris Filius, quoniam et capit eum ». Censet autem Petavius (de Trinitate, praefat., c. 3, n. 2), haec S. Irenaei verba, « instar amplissimi voluminis » esse, « ad commendandam Patris et Filii omni ex parte absolutam aequalitatem ». Scribit (circa an. 190) *Clemens Alexandrinus* (protrept., c. 10), « Christus est homo et Deus ; Deus vivens, qui passus est et adoratur ; solus est Deus ex universis hominibus » ; ac postea, « Dominus specie tenus despectus, reipsa adoratus est, expiator, conservator, mansuetus, divinum Verbum, Deus revera manifestissimus, omnium Domino adaequatus, quia erat ejus Filius, et Verbum erat in Deo ». Ex quo etiam (paed., l. 2, c. 8), « Deus et Verbum unum sunt, nempe Deus ».

Saec. III. S. Hippolytus (contra haeres. Noeti, n. 6), dixit (circa an. 220), « Qui est super omnia Deus benedictus [Rom. 9. 5], genitus est ; et factus homo, Deus est in saecula. Sic enim Joannes ait [Apoc. 1. 8] : Qui est, et qui erat, et qui venturus est, Deus omnipotens. Recte vocavit omnipotentem Christum ». Item *Tertullianus* (m. 245) scribit (adv. Jud., c. 7), « Christi regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur..... omnibus rex, omnibus judex, omnibus Deus et Dominus est ». Qui etiam (adv. Prax., c. 22), « *Unum sumus* dicens [Christus, Jo. 10. 30], *ego et Pater*, ostendit duos esse, quos aequat et jungit ». Ac *S. Cyprianus* (m. circa an. 258) dicit (epist. 11, c. 5), « Habemus advocatum et deprecatorem pro peccatis nostris Jesum Christum Dominum ac Deum nostrum » ; qui et alibi (uti epist. 50, c. 10, epist. 63, c. 1) vocat Christum « Dominum ac Deum nostrum ». Ex *S. Dionysio Alexandrino* (m. 264), Christus est, « Dei virtus et sapientia, Verbum sempiternum ; qui cum aeternus esset, factus est puer, natus nobis filius » (in epist. ad Paul. Samos., cit. apud Petavium,

de Trin., l. 3, c. 11, n. 15). *S. Dionysius* vero *Romanus* (m. 269) declarat (contra Sabell., apud S. Athanasium, de decret. nic. syn., n. 26), « Non minus illi culpandi sunt qui Filium opus existimant, et Dominum factum esse sentiunt, quasi videlicet unum esset ex his quae vere facta sunt, cum divina Scriptura illum genitum esse, ut eidem convenit congruitque, non autem formatum et factum esse testetur..... Nam si factus est Filius, fuit aliquando, cum non esset : atqui fuit semper ». Demum *S. Gregorius Neocaes.*, dictus Thaumaturgus (m. circa an. 270), in « Expositione Fidei » quam fertur accepisse per revelationem a S. Joanne Evangelista mediante B. Virgine, haec profitetur : « Unus Deus, Pater Verbi viventis... Unus Dominus solus ex solo, Deus ex Deo, character et imago deitatis, Verbum efficax, Sapientia comprehendens omnia..... immortalis ex immortali, et sempiternus ex sempiterno ».

Citari potest et *Origenes* (m. c. 254), qui dicit (contra Cels., l. 8, n. 12), « Unum igitur Deum, ut explicavi, Patrem et Filium colimus..... Colimus igitur Patrem veritatis et Filium Veritatem, quae duae res sunt quoad hypostasim, una vero consensione et concordia et voluntatis identitate ». Hunc autem scriptorem sicut et Tertullianum putat Petavius (de Trin., l. 1, cc. 4, 5), de dignitate et aeternitate Filii manifeste errasse : quos tamen alii theologi excusant (ut videbitur postea), imo et aliquatenus ipse Petavius in « Prefatione » quam postremo scripsit.

41. — **III.** Ex Martyrum actibus. — Ita v. g. S. Marcellus, filius minimus S. Felicitatis, « Omnes qui non confitentur Christum verum Deum esse, in ignem aeternum mittentur ». Eandem fidem testantur acta S. Polycarpi, (« Illum [Christum], utpote Filium Dei adoramus »), Symphorosae (« Si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos daemones tuos magis exuro »), Achatii (« Filius Dei Verbum veritatis ex Dei corde processit »). Cf. Franzelin, thes. 10, n. I (p. 157).

42. — **IV.** Imo hanc fuisse antiquam Catholicorum fidem, vel ex ipsis Christiani nominis hostibus colligitur : scilicet 1. ex veteribus haereticis, qui, ut Apostolorum professiones de Christi divinitate eluderent (teste Tertulliano, de Praescript., c. 22), dicebant eos veritatem vel ignorasse vel discipulos celasse, 2. ex Judaeis, qui (in citationibus apud apologistas Christianos : cf. Origenes, contra Cels., l. 1, n. 66) dicunt Christum, si Deus fuisset, in Aegyptum fugere non debuisse, etc. ; 3. ex paganis, qui similiter dicunt doctrinam de Christi divinitate facere Deum mutabilem, etc. (cf. Origenes, op. cit., l. 4, nn. 5, 8, 10).

Notissimus est locus Plinii testantis (an. 107, l. 10, epist. 97, ad Trajan.), quod Christiani « essent soliti stato die ante lucem

convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem ». Lucianus item (de morte Peregrini, 13) eodem saec. II dicit de Christianis, « Primus illis legislator [Christus] persuasit omnes esse invicem fratres, postquam semel transgressi graecos deos abnegaverint, adoraverint autem affixum illum cruci suum sophistam atque ex ipsius legibus vivant ».

Solvuntur Objectiones

43. — Obj. 1. Ex Patribus antiquioribus, aliqui dixerunt *a*) Filium non esse Deum qui super omnia est (ita Pseudo-Ignatius, epistt. ad Philipp. et ad Tarsens.), *b*) Patrem esse Filio « causam ut sit » (ita S. Justinus M., dialog. cum Tryph., n. 56), *c*) Filium esse Dei administrum vel ipsi obedire (ita S. Irenaeus, l. 3, c. 8, n. 3; Theophilus Antioch., ad Autol., l. 2; Clemens Alex., Strom. 7), *d*) Filium secundo loco haberi et honorari, aut secundum esse a Patre (S. Justinus M., l. c.; Tertullianus, contra Prax., c. 3), *e*) Filium esse portionem Dei (ita Tertullianus, op. cit., c. 9, « Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio »), *f*) solum Patrem esse invisibilem, Filium autem esse visibilem (ita S. Irenaeus, l. 4, cc. 6, 20; S. Justinus, Dialog., n. 60; Tertullianus, op. cit. cc. 14-16; alii); atqui dicta hujusmodi excludunt Filii aequalitatem et consubstantialitatem cum Patre; ergo.

Resp. 1. *Generatim.* Ex hujusmodi locutionibus, licet duriusculis, nequit statim concludi, Patres illos vetustiores aliter quam nos de doctrinae *substantia* sensisse: nondum enim, tam propter temporum difficultates quam propter ipsius mysterii indolem superrationalem, determinata et in usum recepta fuit accurata terminologia (vid. Card. Newman, « Tracts theol. and eccles. », pp. 287, sqq.). Hinc de antiquioribus illis dixit S. Hieronymus (contra Rufin apol. 2, n. 17), « Si me causas vitiorum nescire respondero, non statim illos haereticos judicabo. Fieri enim potest, ut vel [*a*] simpliciter erraverint, vel [*b*] alio sensu scripserint, vel [*c*] a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint; vel certe [*d*] antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute locuti sint et quae non possint perversorum hominum calumniam declinare ». Praetermissâ corruptione textus per scribas (*c*), quae de pluribus vix obtendi potest: certe locum habent S. Hieronymi explicationes (*b*) et (*d*). « Numquid enim (scribit S. Augustinus in Ps. 55, n. 22) perfecte de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? ».

Patres vero de facto simpliciter errasse (*a*), sine praejudicio

infallibilitatis ecclesiae de *omnibus* aut fere omnibus Patribus admitti non posset. Neque est admittendum, *particulares* etiam Patres, quippe qui successive in unione ecclesiae vivebant et doctrinam a majoribus acceptam tradere profitebantur, *de ipsa re* errasse, donec ostendatur, ipsorum verba nulla probabili ratione cum doctrina catholica conciliari posse. Quamque necessaria sit haec cautio, omnino evincit historia S. Dionysii Alexandrini. Is enim cum in disputatione adversus Sabellianos exemplum agricolae et vitis (cf. Jo. 15. 1) obiter adhibuisset ad realem illustrandam distinctionem vel personarum Patris et Verbi, vel (ut eum interpretatur S. Athanasius de Sent. Dionys., nn. 15, sqq.) Christi formaliter spectati, in natura assumpta, et Patris : delatus fuit ad alium Dionysium Romanum Pontificem (m. 269), quasi dixisset Filium esse opus (ποίημα) Patris nec ipsi consubstantialem. Respondit porro Alexandrinus, huic locutioni (ποίημα : quam tamen ipse revera non videtur adhibuisse) absolute loquendo sanum subesse posse sensum, nempe *originis* Filii a Patre : quo sensu plures explicant Clementem Alex. et Tatianum vocantes Verbum *opus* (ἔργον) Patris. Cf. Franzelin, thes. 10, pp. 196, sqq.

Petavius vero in ipsa Praefatione (c. 1, n. 12) admisso *a*) scriptores quosdam ecclesiasticos antiquiores qui non sint vere Patres, perperam omnino in hac re aliquando sensisse (nempe Tatianum, Tertullianum, Origenem, Lactantium), docet *b*) aliquos Patres non quidem de doctrinae catholicae substantia, sed « in consectariis quibusdam » nonnihil errasse (ita per ipsum, S. Justinus M., Athenagoras, Theophilus Antioch.), reliquos vero *c*) in omnibus doctrinae sanae consensisse, et ad summum loquendi dumtaxat modo ab usitata praescriptione dissidere (ita S. Irenaeus, Clemens Alex., S. Gregorius Neocaes., S. Methodius).

44. — Resp. 2. *Singillatim.* — Ad *a*) *Dist.* Filius non est « Deus super omnia » sensu relativo seu hypostatice, *conc.* : solus enim Pater hanc praeeminentiam personalem habet, ut sit fons totius divinitatis et principium sine principio ; haec supereminentia super omnia quatenus est attributum *absolutum*, et respicit creaturas, negatur Filio, *nego*. Etiam post Concilium Nicaenum nomen « Deus super omnia » relative sumptum ut Patri proprium usurpatur a scriptoribus orthodoxis qui Filii consubstantialitatem quam maxime defenderunt : v. g. a S. Athanasio (apol. ad Constantium, n. 17), S. Basilio (ep. 38, n. 4), S. Gregorio Nyss. (contra Apoll., n. 77). — Pari ratione explicari potest distinctio Origenis (comment. in Jo., t. 2, nn. 2.3), ex quo Pater est ὁ θεός idest principium sine principio seu αὐτόθεος, Filius vero simpliciter θεός (sine articulo) eo quod habet divinitatem per communicationem a Patre.

Ad *b*) Pater dicitur « causa Filio, ut sit », sensu tantum improprio, quatenus nempe est ejus *principium:* et hoc sensu post Concilium Nicaenum eam locutionem usurparunt S. Basilius (l. 1, contra Eunom.), S. Gregorius Naz. (or. 20, n. 7), S. Joannes Damascenus (l. 3, c. 5).

Ad *c*) Filius dicitur post ipsum Concilium Nicaenum (v. g. a S. Basilio, de Spiritu S., nn. 19, sqq.) Patri administrare, obedire, etc., quatenus in operationibus ad extra divina voluntas et potentia qua Filius operatur, ipsi a Patre per generationem communicatur, ipseque facit Patris voluntatem (cf. Jo. 5. 17, 19, 36).

Ad *d*) *Dist.* Filius habetur secundo loco (vel etiam « alius Deus », « alter Deus ») ratione originis, et eo quod imago est Patris *conc.;* ratione dignitatis et excellentiae, *nego:* dicit enim alibi S. Justinus (dial. cum Tryph., n. 62), « Haec ipsa vero ex Patre prolata progenies ante res omnes creatas una erat cum Patre, et cum ea Pater loquebatur ». — Pari ratione « natura Filii », idest formaliter quatenus identificatur cum Filio, dicitur a Clemente Alex. (strom. 7) « soli omnipotenti propinquissima », seu conjunctissima : scilicet tum in comparatione *ad intra* cum Spiritu sancto, tum multo magis (quod videtur intendere Clemens) in comparatione *ad extra* cum creaturis.

Ad *e*) Ut clare liquet ex Tertulliani contextu, imo ex ipsis verbis objectis, non significatur Filius esse Patre inferior : illud enim « totum », nempe *ipsa deitas* quae est Patris, declaratur *derivari per generationem* in Filium : neque vocabulum « portio » divisionem importat, sed *participationem* seu communicationem, alibi enim (contra Marcion., l. 3, c. 6) explicat ipse Tertullianus, Filium esse portionem, quatenus est « *consors* plenitudinis » Patris.

Ad *f*) Certe docent hi Patres, divinam naturam, quam in Filio utique agnoscunt, in se esse oculis corporeis invisibilem ; sed cum tribuerent Filio non Patri, nedum apparitionem *in carne assumpta*, sed et veteris Testamenti *theophanias* visibiles quas ut prolusiones incarnationis interpretantur : juxta ipsos *solus Pater de facto in praesenti ordine* manet invisibilis ; idque omnino convenienter, cum Filius, imago substantialis Patris et ab ipso procedens, ad aliquem terminum mitti possit, Pater vero a nullo mitti possit. — Vid. Franzelin, thes. 11.

45. — Obj. 2. Docent plures scriptores antiqui, *a*) generationem temporalem Filii (ita v. g. Tertullianus, contra Hermog., c. 3, « Fuit..... tempus..... cum Filius non fuit », necnon, contra Prax., cc. 5, 6 ; ita et Theophilus Antioch., Athenagoras, etc.) : item *b*) hanc generationem fuisse secundum voluntatem seu voluntariam (ita S. Justinus M., dialog. cum Tryph., n. 127 ; Hippolytus, contra

Noet., n. 15); atqui haec supponunt Filium non esse Deum coaeternum Patri, sed creaturam; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* — Ad *a*) Docent hi scriptores Filium qua talem *manifestatum* esse in tempore, cum nempe inciperet operari *ad extra* in creatione mundi, sub ipsum rerum exordium, *conc.;* docent eum *non procedere* a Patre ab aeterno *ad intra, nego.* Tertullianus videlicet (contra Praxeam, cc. 5-7) distinguit ex una parte Dei *Rationem* seu Sophiam quae in mente tantum est, seu ut loquitur Theophilus Antiochenus (ad Autolyc., l. 2, c. 10), est « verbum insitum »: ex altera autem parte *Sermonem*, qui est eadem cogitatio ac Ratio quatenus externe exprimitur, quemque vocat Theophilus « verbum prolatitium ». Ex his autem auctoribus, propter essentialem Dei intellectionem, Ratio eaque perfectissima (seu Verbum internum) fuit ab aeterno apud Patrem, et quidem hypostatice, veluti in utero *concepta* (cf. Prov. 8. 22-26), non fuit tamen perfecte *nata*, saltem formaliter ut Sermo aut Verbum prolatitium, donec a Patre *proferretur* in creatione mundi (Prov. 8. 27, sqq.). Et sic in hoc sensu, « fuit tempus quando Filius non fuit », nempe *qua Filius*, licet jam fuerit ut persona divina distincta.

Ita fere rem explicat Card. Newman (« Tracts theolog. and eccles. », pp. 229, sqq.), qui et docet (vid. pp. 251-253) hunc de temporali generatione Filii *modum loquendi* usque ad annum 360 fuisse, extra ecclesias Romanam et Antiochenam, communem scriptoribus tum Orientalibus tum Occidentalibus, quorum opera ad nos pervenerunt. Cf. Franzelin, pp. 182-187, necnon schol. 2, pp. 203, sqq. — Ex Petavio autem (l. 1, c. 5, n. 5), « illud Tertulliani nulla specie vel fuco potest obtegi, quod Filium tunc a Patre productum asserit, cum mundum fabricare instituerit », et quod (n. 2) nulla alia ratione, secundum Tertullianum, fuerit Filius apud Patrem ab aeterno, quam fuerint in mente divina creaturae omnes quae in aliqua differentia temporis existere incipiunt.

Ad *b*) Generationem istam temporalem Verbi *prolatitii*, seu ejus manifestationem tanquam Filii in creatione mundi, sicut et generationem Christi in carne seu effectionem incarnationis, utpote opera *ad extra*, dici posse secundum voluntatem, per se constat. Generationem item Verbi *insiti* fuisse voluntariam, seu per voluntatem, eo sensu quod non fuerit coacta seu invita, admittunt Patres nicaeni (v. g. S. Athanasius contra Arian., orat. 3, n. 66): hi tamen Patres affirmant adversus Arianorum sophismata, voluntatem illam *non liberam* esse, sed necessariam: quemadmodum et ipsa bonitas Dei licet non sit contra voluntatem, est tamen simpliciter et absolute *necessaria*. Cf. Franzelin, pp. 177, 178, et p. 186, not.; Newman, « Arians », p. 208.

46. — Obj. 3. Vox ὁμοούσιον *a*) non invenitur in Scriptura, neque *b*) apud Patres vetustiores : imo *c*) erronea est aut ambigua, ac proinde *d*) rejecta a Concilio Antiocheno (a. 264); atqui vox hujusmodi non est admittenda ; ergo.

Resp. *ad Maj. per singula.* — Ad *a*) Vox haec, sicut et quaedam alia vocabula ecclesiae usu consecrata (v. g. Trinitas, Theotocos, Incarnatio), quoad litteras quidem et sonum non invenitur in Scriptura ; bene vero quoad significationem et sensum : nempe in iis locis, ubi declaratur Filii divinitas. E contra vox semiariana ὁμοιούσιον neque quoad sensum neque quoad sonum in Scriptura ullibi reperitur : id quod valet etiam de Patris nomine ἀγέννητον (non genitum) vel ἀγένητον (non factum), quo abutebantur Ariani contra Filii aeternitatem (vid. Petavius, l. 5, cc. 1-3). Unde merito retorquebat S. Hilarius (contra Constantium, n. 16) haereticorum sophisma : « Decernis *similem* Patri Filium. Evangelia non praedicant : quid est quod non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur : ubi autem religionis maxima et sola cautela est excluditur ».

Ad *b*) *Nego*, nedum quoad doctrinam, sed et quoad ipsam vocem. Etenim saec. III (circa an. 260) S. Dionysius Alexandrinus in Apologia seu Elencho ad cognominem suum Romanum Pontificem dicit (apud S. Athanasium, de sent. Dionysii, c. 18), « Variis excogitatis exemplis quae tibi in alia epistola scripsi..... criminationem eorum depuli mendacemque ostendi, qua aiebant me Christum negare esse Deo consubstantialem (ὁμοούσιον). Tametsi enim fateor me hoc vocabulum nusquam in Scripturis sacris vel invenisse vel legisse, attamen argumenta mea, quae subsequuntur, quaeque isti tacuerunt, ab hac sententia nihil discrepant ». Origenem quoque, S. Dionysii magistrum, jam antea vocabulum istud adhibuisse, infertur ex apologia S. Pamphili pro Origene (c. 5, resp. ad prim. incrim. : P. G. 17. 381); ac fatetur Eusebius Caesariensis, insignis ille consubstantialitatis Filii adversarius (apud Socratem, Hist. Eccles., l. 1, c. 5), « quosdam ex priscis eruditos et praeclaros antistites aliosque scriptores, de Patris et Filii deitate loquentes voce ὁμοούσιος esse usos ».

Ad *c*) Licet vox ὁμοούσιος vi sua nativa plures habere posset significationes philosophicas aut etiam in hac materia haereticas, v. g. α) ad significandam specificam tantum unitatem cum numerica distinctione naturarum, vel β) personarum realem identitatem cum distinctione tantum nominali : attamen γ) ex usu recepto Christianorum stricte significat in distinctis personis unitatem numericam naturae. Cf. Newman, « Arians », pp. 186, sqq.

Ad *d*) *Dist.* Vocabulum rejectum est in sensu haeretico α)

vel β), *transeat;* in sensu nostro orthodoxo, *nego.* Ad primum distinctionis membrum dicitur *transeat:* etenim in toto exordio et progressu controversiae arianae ab anno 310 deinceps, nunquam allegata est ab haereticis, licet maximi eorum interesset, hujus locutionis damnatio: et primo asserta est (quoad sensum β, contra Paulum Samosatenum) a Semiarianis in pseudoconcilio Ancyrano an. 358: unde de tali condemnatione auctores plurimi dubitant. Vid. Franzelin, schol. 1, pp. 198, sqq.

47. — **Propositio II. Spiritus sanctus est persona divina, Patri Filioque consubstantialis.** — De fide ex Synodo Romana sub Damaso Papa (an. 380: Denz. 37-40), et ex Concilio Constantinop. I. (an. 381: Denz. 47), contra Macedonianos, divinitatem Spiritus sancti negantes: ita v. g. Synodi Romanae can. 22, « Si quis non dixerit adorandum Spiritum sanctum ab omni creatura sicut Filium et Patrem, a. s. » (Denz. 43): vid. et cann. 3, 10, 16, etc. Est etiam contra Socinianos, qui statuunt (ut ait Petavius, l. 3, c. 7, n. 8), Spiritum sanctum neque Deum esse, neque personam a Patre distinctam et Filio, sed Dei efficientiam et ἐνέργειαν, ut graeci theologi nominant, ἀνυπόστατον.

48. — **Prob. I.** Ex 1 Cor. 6. 19, 20, « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro ». — Spiritus sanctus, de quo hic agitur est persona et quidem distincta a Patre; atqui ei illa tribuuntur quae soli Deo competunt; ergo Spiritus sanctus est persona divina.

Prob. Maj. per partes. 1. Spiritus sanctus est persona. Dicitur iste Spiritus non tantum nobis inesse, sed nos *jure possidere* (« non estis vestri »: cf. Cornely in loc.); atqui solius personae est jure quidquam possidere. — Haec pars ulterius confirmatur ex probatione Minoris principalis.

2. Est persona distincta a Patre: dicimur enim recipere et habere hunc Spiritum a Patre; qua locutione significatur datum a dante distinctum; ergo.

Prob. Min. principalis, scilicet: Huic personae ea tribuuntur quae soli Deo competunt. 1. Corpus nostrum propter inhabitantem Spiritum sanctum dicitur « templum »; atqui sola divinitatis habitacula dicuntur templa; ergo Spiritus inhabitans est Deus. — 2. Apostolus hortando nos ad istum Spiritum inhabitantem rite venerandum vocat eum simpliciter « Deum » (« Glorificate..... Deum in corpore vestro »); atqui nomen « Deus » in singulari numero sine addito soli divinitati in Scriptura tribuitur; ergo. — Cf. 1 Cor. 3. 16,

« Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis »; 2 Cor. 6. 16, « Vos enim estis templum Dei vivi ».

49. — **II.** Spiritus sanctus vere est persona divina, si 1. distinctus est a Patre et Filio, et tamen 2. tribuuntur ipsi ea quae soli personae divinae propria sunt; atqui utrumque verum; ergo.

Prob. Min. per partes. 1. Spiritus sanctus distinctus est a Patre et Filio: quia, ut jam antea dictum est (supra, n. 16), mittitur a Patre (Jo. 14. 16), in nomine Filii (Ib. v. 26), item ab ipso Filio, cui etiam testimonium perhibet (Ib. 15. 26).

2. Ille in cujus nomine *a*) ministratur baptisma, qui *b*) dona confert spiritualia hominesque sanctificat, qui *c*) in creaturis intellectualibus tanquam in templo inhabitat, quique *d*) constituit et mittit ministros Evangelii et ecclesiae, vere Deus est; atqui haec omnia et singula tribuuntur Spiritui sancto in Scriptura: ita *a*) Matth. 28. 19, « Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti »: *b*) Rom. 5. 5, « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis », et 1 Cor. 6. 11, « Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri »: Ibidem. 12. 11, « Haec autem omnia [dona gratuita] operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult »: *c*) 2 Tim. 1. 14, « Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis »: *d*) Act. 13. 4, « Et ipsi quidem [SS. Paulus et Barnabas] missi a Spiritu sancto »: Ibid. 20. 28, « In quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei »; ergo.

Haec pars amplius *confirmatur* ex iis locis ubi Scriptura asserit et explicat de Spiritu sancto quae de Deo vero alibi dicit. Ita *v. g.*: *a*) Dum Is. 6. 8, 9 dictum esset, « Audivi vocem *Domini* dicentis..... Vade et dices populo huic: Audite audientes et nolite intelligere », dicitur Act. 28. 25, « Bene *Spiritus sanctus* locutus est per Isaiam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos: Aure audietis et non intelligetis ». — *b*) Ubi S. Petrus dixerat Act. 5. 3, « Anania! cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te *Spiritui sancto?* », mox subdit (v. 4), « Non es mentitus hominibus, sed *Deo* ». — *c*) Postquam S. Paulus scripserat 1 Cor. 12. 6, « Divisiones operationum sunt, idem vero *Deus*, qui operatur omnia in omnibus », deinde subjungit (v. 11), « Haec autem omnia operatur unus idemque *Spiritus*, dividens singulis prout vult ». — *d*) Capite sexto ejusdem epistolae (v. 20) dicitur, « Glorificate *Deum* in corpore vestro », cum versu praecedente dictum esset, « membra vestra [graece, « corpus vestrum »] templum sunt *Spiritus sancti* ».

50. — **III.** Ex Act. 19. 2, 3, « Dixitque [Paulus] ad eos: Si

Spiritum sanctum accepistis credentes [graece, « postquam credidistis », scilicet in sacramento confirmationis]? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero [suspicatus ex responsione, eos Christianos non esse] ait : In quo ergo [graece, « in quod »] baptizati estis? Qui dixerunt : In Joannis baptismate ». — Si Spiritus sanctus de quo hic agitur est distinctus a Patre et virtute ejus, ita tamen ut vere sit Deus, est persona divina ; atqui res ita se habet ; ergo.

Prob. Min. per partes. 1. Spiritus sanctus est distinctus a Patre et virtute seu efficacia illius. Isti homines utpote Judaei et discipuli S. Joannis Baptistae certe non ignorabant Patrem et efficientiam ejus ; atqui nondum (defectu institutionis christianae) audierunt de Spiritu sancto cujus existentiam S. Paulus iis declarabat ; ergo Spiritus sanctus non est Pater nec efficientia ejus, sed tamen existit.

2. Iste Spiritus vere est Deus. Ex hoc loco collato cum Matth. 28. 19, Christiani dum in ecclesiam initiantur, Spiritui sancto consecrantur (vel, nomine, auctoritate et virtute illius sanctificantur : vid. supra, n. 15) ; atqui soli Deo homines consecrantur, et a solo Deo sanctificatio habetur ; ergo Spiritus sanctus est persona divina.

51. — **IV.** Traditionis argumentum quod spectat : Ex *antiquioribus Patribus* citari possunt : 1. *S. Ignatius M.* (ad Philad., 7. 1, 2), « Quamquam enim nonnulli secundum carnem me decipere voluerunt, Spiritus tamen non decipitur a Deo ortus. Novit enim, unde veniat et quo vadat et secreta coarguit ». — 2. *S. Irenaeus* qui dicit (l. 5, c. 12, n. 2), « Aliud autem est, quod factum est, ab eo qui fecit. Afflatus igitur [quo animatus est Adam], temporalis, Spiritus autem [qui eum sanctificavit] sempiternus ». — 3. *S. Dionysius Alex.* qui aliquando falso accusatus fuit de errore in hac re, dicit (in respons. ad prop. Pauli Samos.), « Non enim impune feret is, qui adversus benignum Spiritum sanctum blasphemus est. Spiritus autem est Deus ». Et iterum (in epist. ad Samos.), « Nullus enim non obnoxius est peccato, nisi unus Christus, ut et Pater Christi et sanctus Spiritus » : quibus verbis, ut ait Petavius (l. 3, c. 7, n. 9), qui haec loca refert, gravissimus et antiquissimus hic scriptor, « Christum et Spiritum sanctum non minus quam Patrem, summum Deum esse praedicat, et personas invicem distinguit, et quod unius ac supremi numinis proprium est, τὸ ἀναμάρτητον [impeccabilitatem] pari tribus solis jure concedit ». — 4. *S. Gregorius Thaumaturgus* (in expos. fidei), « Unus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit hominibus : imago Filii perfecti perfecta ; vita, viventium causa ; fons sanctus ;

sanctificationis suppeditator ». — 5. *S. Hilarius Pictaviensis* quem Crellius Socinianus et Erasmus doctrinae orthodoxae adversari asserunt, dicit (commentar. in Matth., c. 13, n. 6), « in Patre et Filio et Spiritu sancto omnia unum esse ». Ex quo etiam (de Trin., l. 2, n. 14), illi qui negant trium personarum aequalitatem, « dissolvunt perfecti hujus sacramenti veritatem, dum substantias diversitatum in rebus tam communibus moliuntur ». — 6. *S. Athanasius* (de Incarn. et contra Arianos, c. 9), « Impium est, creatum aut factum dicere Spiritum Dei, ubi omnis Scriptura vetus et nova cum Patre et Filio ipsum annumerat et glorificat, quia ejusdem est deitatis, ejusdem potentiae ac substantiae ». Et (de Trin. et Spir. S., n. 8), « Neque enim in Deum credunt, qui non credunt in Spiritum sanctum..... Ita plane et creatorem Spiritum sanctum agnoscimus ». In cujus operis conclusione profitetur (n. 1), « Sicut credimus in Deum Patrem, et in Filium ejus unigenitum, ita credimus et in Spiritum sanctum ». — 7. *S. Basilius* « Consentaneam baptismati confessionem fidei, consentaneam etiam fidei doxologiam adhibemus, Spiritum sanctum una cum Patre et Filio glorificantes, eo quod persuasum sit nobis, illum a natura divina non esse alienum. Neque enim eorundem honorum esset particeps, quod alienum foret secundum naturam ». — 8. *S. Cyrillus Alexandrinus* (dialog. 7 de Trin.: M. 75. 1122), « Sanctus igitur est non per participationem neque externa relatione ad Filium, sed natura et veritate Spiritus ejus ».

Ex *Actibus Martyrum* citari potest inter alia testimonium S. Polycarpi (c. 14, n. 3), « Te glorifico per sempiternum et coelestem pontificem Jesum Christum, dilectum tuum Filium, per quem tibi cum ipso et Spiritu sancto gloria et nunc et in futura saecula. Amen ». Et S. Epodii professio (apud Ruinart, Acta SS. Martyrum, p. 65), « Christum cum Patre et Spiritu sancto Deum esse confiteor ».

Eandem fidem declarat *Symbolum* Constantinopolitanum « in Spiritum sanctum..... qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur »; ita et doxologia antiquissima, « Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto ».

Solvuntur Objectiones

52. — Obj. 1. Omne quod existit, per Verbum factum est, juxta illud Jo. 1. 3, « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil »; atqui quod factum est, non est Deus; ergo Spiritus sanctus nequit esse Deus.

Resp. *Dist. Maj.* Omne quod existit, per Verbum factum est: si non existit propria virtute et necessario, *conc.;* id, quod propria virtute et necessario existit, seu quod est ipsum Esse subsistens, per Verbum factum est, *nego*, alioquin enim tum Pater tum ipse Filius per Verbum facti essent.

53. — Obj. 2. Spiritus sanctus dicitur *a*) postulare et gemere (Rom. 8. 26), *b*) contristari (Ephes. 4. 30), *c*) exstingui (1 Thess. 5. 19), *d*) effundi (Tit. 3. 6), *e*) esse donum (Act. 2. 38); demum *f*) in ipso baptizari dicimur sicut et in aqua (Jo. 3. 5); atqui haec omnia vel personalitati cuicumque, vel saltem personalitati divinae repugnant; ergo.

Resp. *ad Maj. per singula.* — Ad *a*) Postulat et gemit Spiritus sanctus non formaliter sed efficienter, faciendo scilicet nos orare et gemere. Unde S. Augustinus (epist. 194, c. 4, n. 16), « Dictum est, *interpellat*, quia interpellare nos facit nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum ». Cf. Matth. 10. 20; Rom. 8. 15; Gal. 4. 6. — Ad *b*) Dicitur metaphorice Spiritus sanctus contristari, ut significetur ejus offensio: sicut et de Deo dicitur Gen. 6. 6, «*Poenituit eum* quod hominem fecisset in terra: et *tactus dolore cordis* intrinsecus..... ». — Ad *c*) Dicitur Spiritus sanctus exstingui, ratione donorum suorum et specialis operationis in corde hominum. — Ad *d*) Dicitur item metaphorice effundi ratione eorundem donorum: quemadmodum homo bonorum prodigus dicitur effusus. — Ad *e*) Quia donum ex amore procedit, Spiritus sanctus utpote procedens ex amore Patris et Filii bene dicitur *donum:* donum autem intelligitur personale, sicut et ipse Filius, qui dicitur datus Jo. 3. 16 (cf. Rom. 8. 32). — Ad *f*) Dicitur quidem Spiritus sanctus regenerationis causa una cum aqua, diversa autem causalitate: aqua enim est causa tantum secundaria et instrumentalis, Spiritus vero sanctus est causa efficiens principalis.

54. — Obj. 3. Ex Jo. 16. 13, Spiritus sanctus non loquitur a semetipso, sed quaecumque audit loquitur; atqui si Deus esset, omnia cognosceret et loqueretur a semetipso; ergo non est Deus.

Resp. *Dist. Maj.* Dicitur Spiritus sanctus propter processionem a Patre et Filio non loqui a semetipso, eodem sensu quo Filius propter processionem a Patre dicitur (Jo. 5. 30) non posse facere quidquam a seipso, *conc.;* negatur Spiritui scientia infinite perfecta, *nego*. Videlicet, quia in Deo scientia et operatio est ipsa essentia divina, et quia Filius et Spiritus sanctus essentiam habent ab alio, Filius nempe a Patre, Spiritus autem a Patre et Filio, hoc sensu dicuntur non loqui aut operari a semetipsis. Cf. S. Thomas, contra gent., l. 4, c. 23 (« Similiter autem, nec ex hoc »). — Pari

sensu dicitur Spiritus sanctus, sicut et Filius, mitti, ut explicabitur postea (n. 186).

55. — Obj. 4. Haud valet argumentum ex actionibus quae Spiritui sancto tribuuntur, si similes actiones iis etiam rebus quae non sint verae personae tribuuntur; atqui res ita se habet: dicitur v. g. 1 Cor. 13. 4, 5, de caritate, « non aemulatur, non agit perperam,..... non quaerit quae sua sunt », et Ps. 97. 8, « Flumina plaudent manu, simul montes exsultabunt »; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Non valet argumentum, si rebus quae non sint personae, revera et non tantum metaphorice tribuuntur actiones, quae requirunt intelligentiam et voluntatem, *conc.;* si aliae actiones, aut hae actiones metaphorice tantum, *nego.*

Contradist. Min. Rebus quae non sunt personae tribuuntur actiones quae non requirunt intelligentiam et voluntatem, *conc.;* quae requirunt intelligentiam et voluntatem, *subd.:* tribuuntur sensu metaphorico, *conc.;* revera, *nego* — Ad textum ex 1 Cor. 13, dicendum est, caritati attribui per metaphoram ea quae homini caritate instructo proprie conveniunt. Similiter quando dicitur Gal. 3. 8, « *Providens* autem *Scriptura* quia ex fide justificat gentes Deus, *praenuntiavit* Abrahae: Quia benedicentur..... », constat Apostolum loqui de Scripturae auctore, Deo.

Inst. A S. Paulo Spiritus sanctus in divinis assimilatur animae intellectuali in homine (secundum 1 Cor. 2. 11, « Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei »); atqui anima hominis non est persona distincta; ergo nec Spiritus Dei.

Resp. *Dist. Maj.* Quoad propriae substantiae intimam cognitionem (aliquo saltem gradu), *conc.;* quoad alia, v. g. quoad partialitatem substantiae, *nego:* Spiritus enim sanctus habet totam divinitatem, anima autem non est integer homo.

Conclusio. Cum ergo nomen *persona* significet subsistentem in rationali natura distinctum ab aliis ejusdem naturae; cumque revelatione constet juxta probata, in divinis tres esse subsistentes ad invicem distinctos, Patrem, Filium et Spiritum sanctum; cumque horum natura communis non sit multiplicabilis: tres omnino admittendae sunt personae in una natura divina.

QUAESTIO SECUNDA

DE SS. TRINITATIS COGNITIONE

56. Praenotanda. I. Trinitatis existentia jam ex revelationis fontibus probata, nunc inquirendum est, utrum doctrina haec ex ratione naturali cognosci possit, sicuti cognosci potest v. g. existentia aut absoluta attributa Dei. De omni autem re quaestio potest esse duplex, *an* sit, et *quid* sit, seu de existentia et de natura ejus. Catholici vero post Patres tenent veritatem intrinsecam seu naturam Trinitatis, etiam supposita revelatione facti, proprio conceptu apprehendi non posse in hac vita; ac contraria sententia ut a fide catholica non minimum aberrans damnata est a Pio IX in Günthero asserente intellectum creatum posse naturaliter intelligere Trinitatem (*quid* sit) eodem modo ac res generatim intelligit (Denz. 1513-1515). Sola proinde quaestio remanet, utrum existentia hujus mysterii (*an* sit), aut supposita aut non supposita illius revelatione, *demonstrari* possit ex ratione naturali.

57. II. De hujus mysterii demonstrabilitate erraverunt per excessum Abaelardus (saec. XI), Raymundus Lullus (saec. XII), ac recentiori aetate praeter Güntherum, Froschammer et alii, dicentes Trinitatem personarum, nulla supposita revelatione omnino aut saltem supposita tantum notitia historica facti, posse ratione pure naturali *positive* demonstrari. Huc etiam spectat propositio 25 damnata in Rosmini (Denz. 1790): « Revelato mysterio SS. Trinitatis, potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut ceterae: si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica purae rationis non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens annihilaretur ». Docuerunt quidem S. Anselmus et Richardus Victorinus dogma hoc, supposita revelatione, posse rationibus *necessariis* demonstrari, scilicet saltem per deductionem logicam ex veritate revelata: haud constat vero, eos putasse id fieri posse *unice* ex principiis rationalibus. Cf. Franzelin, thes. 19, n. II.

21,843

58. III. Haec communiter docent theologi Catholici, post S. Thomam (1, qu. 32, a. 1) et veteres scholasticos: 1. existentiam Trinitatis non posse naturali ratione *positiva* demonstrari: censetque S. Thomas eum qui id attentaret, fidei derogare tum per defectum debitae reverentiae erga tam sublime mysterium, tum ex periculo inducendi infidelium irrisionem propter rationum et argumentorum futilitatem. Tentamina quaedam hujusmodi (scilicet Raymundi Lulli, Marci Mastrofini, Güntheri) expendit Franzelin, thes. 18, n. I. — Ex alia vero parte 2. fatentur theologi intellectum humanum facta revelatione mysterii posse existentiam ejus *negative* demonstrare, ostendendo scilicet nullam evidentem rationem ipsi evidenter repugnare; imo 3. posse in rebus creatis, et maxime in spiritu creato, reperire *analogias* et adumbrationes quasdam ad efformandum conceptum aliquem processionum et personarum divinarum. Hinc triplex propositio.

59. Propositio I. Existentia mysterii SS. Trinitatis cognosci non potest, nisi revelatione divina.

Prob. I. Ex Matth. 11. 25, 27, « Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis..... Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare». — Hic agitur de divinarum personarum cognitione quacúmque, non solum comprehensiva aut intuitiva, sed et prima et simplici; atqui haec cognitio declaratur prorsus impossibilis citra revelationem divinam; ergo mysterium Trinitatis cognosci nequit nisi revelatione divina.

Prob. Maj. per partes. — 1. Hic agitur de cognitione *personarum* divinarum. Non agitur certe de ea Dei cognitione, quae communis est etiam Judaeis et ethnicis (« abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis »); atqui cognitio qua Deus citra distinctionem personarum cognoscitur ut Creator et Rector omnium, non est abscondita, sed est communis Judaeis et ethnicis cum fidelibus; ergo agitur de ea notitia quae fidelibus est propria, qua scilicet Pater et Filius ut personae distinctae agnoscuntur.

2. Hic agi non solum de cognitione *perfecta* divinarum personarum (videlicet vel *comprehensiva*, quae ipsis personis divinis est peculiaris, vel *intuitiva* quae beatis conceditur), sed etiam de ea notitia prima et simplici quae « parvulis », idest fidelibus omnibus, donatur, ipso textu constat.

Minor principalis patet ex locutionibus « *abscondisti* haec a sapientibus et *revelasti*..... *Nemo* novit Filium..... neque Patrem

quis novit nisi Filius et *cui voluerit Filius revelare* » (cf. Jo. 1. 18); ergo.

60. — **II.** Simile argumentum sumitur ex Matth. 16. 16, 17, « Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei : Beatus es Simon Bar-Jona ; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est ». Cognitio enim qua Christus cognoscitur ut « Filius Dei vivi » est cognitio illius ut personae a Patre *distinctae* et simul *divinae;* atqui haec cognitio declaratur explicite non esse naturalis (« a carne et sanguine »), sed ex revelatione Patris ; ergo.

61. — **III.** Patrum doctrina de hac re constat ex eorum *modo agendi cum haereticis* ac praecipue cum Eunomianis, qui dicebant dogma Trinitatis divinae contrarium esse rationi ; ad hos enim haereticos refellendos non afferebant Patres (v. g. SS. Basilius, uterque Gregorius, Nyssenus et Nazianzenus, Cyrillus Hieros., Chrysostomus), sicut in aliis controversiis, v. g. de existentia Dei, argumenta *rationalia*, quae tamen, si darentur, quam maxime opportuna fuissent ; sed praedicabant tantum, hanc Trinitatis doctrinam, quamvis eam intelligere non valeamus, recipiendam et firmiter tenendam esse *ob auctoritatem Dei revelantis*, nec de ea curiose philosophandum esse. Cf. Franzelin, thes. 17, n. II. — *Specialia* quaedam Patrum *testimonia* citat idem Franzelin, v. g. S. Fulgentii, ex quo (ad Trasimund., l. 2, c. 1), Trinitas divina « sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus ». Item dicit S. Hieronymus (Prooem. in Is.), « de mysterio Trinitatis recta confessio est ignorantia scientiae ».

62. — **IV.** Ratione. Nihil de Deo possumus cognoscere per rationem naturalem nisi ex effectibus creatis : de Deo enim a priori et per causam nihil novimus, cum nulla sit causa Dei aut Trinitatis ; atqui ex effectibus creatis saltem naturalibus, ad tanti mysterii cognitionem devenire non possumus ; ergo.

Prob. Min. Effectus quantumvis perfecte cognitus non exhibet nobis causam nisi quatenus haec in opere aut effectu manifestatur : sic v. g. opus procedens ab artifice, puta domus ab aedificatore, manifestat quidem artem a qua per se procedit, et hominem qua artificem vel etiam plures artifices diversarum partium, non autem alia artificis accidentia ad artem non pertinentia, v. g. quod fuerit magnus vel parvus, albus vel niger, pinguis vel macer, indutus rubro, vel viridi, etc. ; atqui effectus creati non procedunt nec pendent per se a Deo ut trino, sed solum quatenus uno : opera enim Dei ad extra sunt indivisa et procedunt a virtute *una* omnipotente, ita ut si per impossibile Deus non esset trinus, manerent tamen creaturae, quia maneret virtus earum productiva. — Vid. S. Thomam, 1, qu. 32, a. 1.

63. — **V.** Cognitionem naturalem analogicam Dei acquirimus, attribuendo Deo gradu eminentiori perfectiones quas in creaturis percipimus, et removendo imperfectiones; atqui in rebus creatis universis quas cognoscimus, multiplicatis suppositis seu personis multiplicantur semper et naturae numero saltem distinctae, nec ullum datur principium mere rationale, ex quo multiplicationem personarum in una numero essentia positive intelligere valeamus; ergo. Cf. Franzelin, thes. cit., n. III, 3°.

Obs. Argumenta haec posteriora ex ratione desumpta probant hoc mysterium, etiam supposita revelatione, non posse ratione naturali demonstrari. Revelatio enim divina (ut argumentatur Kleutgen, n. 932) quae de fide suscipitur non immutat naturalem nostrum cognoscendi modum, scilicet per sensus et ex creaturis sensibilibus: his autem ut dictum est, nonnisi unitas Dei exprimitur.

Solvuntur Objectiones

64. — Obj. 1. Antiqui philosophi gentiles, ac praesertim Plato et sectatores, videntur Trinitatem divinam non obscure docuisse; atqui illi non habebant revelationem supernaturalem; ergo naturalis ratio sine revelatione potest Trinitatis existentiam probare.

Resp. 1. Quoad ipsum Platonem, *nego Maj.* Ille quidem, praeter mundum concretum rerum existentium (quem tamen, utpote imaginem aliquam mundi et mentis intelligibilis, vocat Deum, Filium Dei, unigenitum), distinguit *a*) *mundum* intelligibilem (idearum); *b*) *Mentem intelligibilem*, quae sit omnium idearum pater et causa, ac caput mundi intelligibilis; *c*) *Bonum*, seu Boni Ideam, quae ipsam Mentem intelligibilem comprehendit et continet: et haec tria vocat Deum.

Videtur aliquibus haec doctrina esse pantheistica; juxta alios, *Bonum*, de quo agit Plato est Deus personalis intelligens et volens, a quo non distinguuntur realiter et in hypostasi Mens et mundus intelligibilis: et haec doctrina esset monotheistica (naturalis: citra distinctionem personarum); juxta alios, *Bonum* et *Mentem* habuit Plato ut duas essentias distinctas, alteram supremam, inferiorem alteram: et haec esset anticipatio aliqua arianismi. Nonnisi ergo propter ejus obscuritatem et ambiguitatem hanc Platonis theoriam, ut advertit Newman (« Arians », p. 91), potuerunt aliqui Patres (praesertim saecc. IV et V) doctrinae revelatae de Trinitate assimilare. Nec carebat haec agendi ratio utilitate polemica: conciliabat enim animos paganorum ad doctrinam quae in ipsa ethni-

corum terminologia exprimi posset, et videretur analogiam aliquam cum philosophorum placitis habere. Urgebant tamen Patres isti (quod et advertit Franzelin, p. 305), integram de Deo veritatem nonnisi in revelatione christiana haberi, atque ipsa illius veritatis fragmenta, quae pluribus admixta erroribus a philosophis retinebantur, indirecte a revelatione mosaica derivata fuisse per Judaeos Aegyptum incolentes.

Resp. 2. Quoad neo-platonicos (ex quibus fuerunt Plotinus, Porphyrius, Jamblichus, Proclus, Julianus Apostata), *transeat Major.* Illorum enim theogonia non est doctrina trium aequalium personarum in una natura divina, sed gravibus erroribus, ut plurimum, admiscetur. Sed hoc omisso,

Nego Min. Quemadmodum enim Philo ex vetere Testamento (ut jam dictum est supra, n. 31), ita recentiores (saecc. III-VI) ex novo Testamento et ex Christianorum scriptis plurima mutuati sunt. « Hi namque », ut ait Theodoretus (de graec. affect. curat. serm. 2), « cum post adventum Redemptoris nostri exstiterint, multa christianae theologiae suis sermonibus commiscuerunt ». Imo neoplatonicorum coryphaeus, Ammonius Saccas, fertur Christianus fuisse. Vid. Petavius, l. 1, cc. 1, 2; Franzelin, thes. 18, schol. (pp. 298, sqq.); cf. S. Thomas, 1, qu. 32, a. 1, ad 1.

Quae in plurium gentium mythologiis habentur de trinitate aliqua in divinis, licet forsan quaedam *vestigia* sint primitivae et obscurae revelationis, nunc certe non ipsam doctrinam christianam sed polytheismum important. Notissima est Indorum trinitas (seu Trimorti), quae repraesentatur ut corpus humanum tria habens capita, in medio videlicet Brahmani seu creatoris, ad dextram Vishnu seu servatoris, ad sinistram Siva seu destructoris. Ex his porro personis creditur secunda seu Vishnu plures successive incarnationes habuisse, in forma v. g. simiae et elephantis, sed praecipue in carne humana sub nomine Krishna (seu *Niger*). Similitudo autem remota hujus doctrinae cum christiana nonnisi apparens est: nam tres isti non tantum distinctae personae intelliguntur esse, sed diversae et olim pugnantes deitates, quae diversos habuerunt cultores. Imperfecta quoque est similitudo quam cum Christo habuit in mythologia Assyriorum Merodach, apud Aegyptios Osiris, apud Persas Mithra.

65. — Obj. 2. De ratione boni infiniti est, ut se communicet modo infinito et perfectissimo; atqui non potest infinito modo et perfectissime se communicare, nisi suam naturam communicet; ergo. — Huc fere recidunt quae somniavit Raymundus Lullus de « bonificativo, bonificabili, et bonificare » (vid. Suarez, l. 1, c. 11, nn. 3, 7. sqq.).

Resp. *Dist. Maj.* Et haec revelavit Deus de natura sua, *conc.;* haec liquent ipsa ratione naturali, *nego.* Quoad communicationem enim ad extra, Deus prorsus liber est, ut definitivit Concilium Vaticanum; supponere autem communicationem ad intra, est assumere quod probandum fuit, videlicet quod ratio naturalis aliquid nos docere potest de vita interna Dei.

Dist. pariter Min. Ita docet revelatio, *conc.;* ita ratio naturalis citra revelationem, *nego.* Ratio enim naturalis agnosceret tanquam infinite perfectum, opus creationis, qua res ex nihilo producuntur: *productio* autem personae aeternae et infinitae, si spectaretur in solo lumine rationis naturalis, citra revelationem, potius repugnare videretur. Cf. S. Thom., l. c., ad 2.

Inst. Ipsa ratio naturalis docet omne ens actu intelligens et volens utriusque actionis terminum producere a producente realiter distinctum; atqui in Deo uterque terminus hujusmodi distinctus necessario est substantialis ac naturae ipsius divinae particeps; ergo ipsa ratio docet in Deo esse tres distinctas hypostases divinas.

Resp. *Dist. Maj.* Ita docet ratio de agente intellectuali creato, in quo actus est modificatio substantiae, *conc.;* ita de Deo, *nego.* Imo cum in ipso, propter simplicitatem ejus infinitam, actus non distinguatur ab essentia, et cum nihil sese producat, ratio naturalis sibi relicta nullatenus suspicaret intellectum et voluntatem divina esse productiva ad intra. Hinc S. Thomas (de potent., qu. 8, a. 1, ad 12), « Licet ratio naturalis possit pervenire ad ostendendum, quod Deus sit intellectus, modum tamen intelligendi non potest invenire sufficienter ». Sed etiam hoc omisso, et *concessa Minore,*

Nego conclusionem. Supposito enim, quod de cetero solâ revelatione notum est, intellectum aut voluntatem divinam producere ad intra terminum *a se distinctum*, hic terminus non posset quidem esse *accidentalis: substantialis* autem terminus, juxta analogiam omnium productionum quae inter creaturas fiunt, videretur, si daretur, non tantum alia esse hypostasis divina in una numerice natura, sed et numerice distincta *in natura* a suo principio, et esse proinde *alter Deus* intellectûs et voluntatis fecunditate quoque gaudens: et sic haberetur multitudo infinita deorum, quod repugnat.

66. — Obj. 3. Demonstrabitur propositione sequenti, mysterium Trinitatis non esse impossibile; atqui quod demonstratur non esse impossibile, eo ipso demonstratur possibile, cum inter possibile et impossibile non detur medium; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Supposita revelatione facti, demonstrabitur negative mysterium non esse impossibile (ostendendo scilicet nul-

lam evidentem repugnantiam in eo evidenter involvi), *conc.;* demonstrabitur positive, *nego.*

Contradist. Min. Si habetur demonstratio *positiva*, *conc.;* aliter, *nego.* — *Ad probat. Minoris*, *dist.* Inter ipsum possibile et impossibile objective nullum est medium, *conc.;* subjective et quoad nos, *nego.* Etenim inter id quod nobis probatur impossibile et id quod ostenditur possibile, medium habetur illud quod videtur dubium et incertum, utrum sit possibile, et de quo proinde admittenda est nostra ignorantia: et tale est mysterium SS. Trinitatis comparate ad rationem naturalem. — Hinc dicit Suarez (l. I, c. II, n. 10), « Absque revelatione divina non solum demonstrari non potest Trinitatis mysterium, verum nec cogitari potest tanquam possibile, cum aliquo assensu probabili vel opinativo aut formidoloso ». Ita et Franzelin, p. 279, « Nullum est principium rationale, ex quo multiplicationem personarum in una numero essentia ut possibilem positive intelligere valeamus ». — Unde, generare sibi similem esse perfectionem quae Deo possibilis sit et ideo ipsi adscribenda, nulla naturali ratione inferri potest.

67. — Propositio II. Demonstrari nequit, SS. Trinitatis mysterium rectae rationi adversari.

Prob. Ad demonstrandum hoc mysterium esse non tantum supra sed et contra rationem: aliis verbis, prorsus repugnare, ut sint tres personae in una numerice divina natura, minime sufficit inhabilitas nostra ad rem secundum analogiam personarum creatarum explicandam, sed omnino requireretur ut sciremus quid sit natura divina et quid sit persona divina; atqui hac cognitione propter supereminentiam Dei caremus, praesertim cum agatur de perfectione ad intra, quae nullatenus inferri potest, sicut attributa absoluta, ex rebus creatis; ergo demonstrari nequit mysterium Trinitatis rationi adversari.

Hoc argumentum 1. illustrari potest ex naturali theologia. Dum enim ex ratione naturali tribuimus Deo unam, *necessariam* et immutabilem voluntatem, hanc tamen simul asserimus in operationibus ad extra esse omnino liberam: id quod in creatura absolute impossibile foret.

Praeterea 2. in ipso mundo materiali plurima cognoscimus phaenomena (*quia* sunt), quae nullatenus, aut imperfecte tantum, explicare possumus (*quid* sint, *quomodo* sint), v. g. electricitatis, lucis, imperii voluntatis in membra corporalia, etc. Unde sapienter monet S. Anselmus (de fide Trin., c. 7), « Si negat [adversarius, nempe Roscelinus] tria dici posse de uno, et unum de tribus: ut tria non dicantur de invicem; sicut in his tribus personis et uno

Deo facimus, quoniam hoc in aliis rebus non videt, nec in Deo intelligere valet; sufferat paulisper, aliquid quod intellectus ejus penetrare non possit, esse in Deo, nec comparet naturam, quae super omnia est libera ab omni lege loci et temporis et compositionis partium, rebus [aliis]; sed credat, aliquid in illa esse, quod in istis esse nequit, et acquiescat auctoritati Christianae, nec disputet contra illam ».

Demum 3. commemorandum est, viros eximii ingenii non tantum ecclesiasticos sed et rerum naturalium peritos per plura saecula hanc doctrinam credidisse: quod sane suadet eam non esse *evidenter* repugnantem et absurdam.

Solvuntur Objectiones

68. — Obj. 1. Infinitas naturae divinae excludit multiplices Deos (cf. de Deo Uno, p. 2, qu. 3, c. 1); atqui persona divina est etiam infinita et maxime perfecta; ergo repugnat pluralitas personarum in Deo.

Resp. 1. *Dist. Min.* Persona divina omnes possibiles perfectiones simpliciter simplices habet, et ex hac parte non distinguitur una persona divina ab alia, *conc.;* habet perfectiones simplices, seu relationes personales aliarum personarum, *subd.:* habet eas identice, *conc.;* formaliter, *nego.*

Vel responderi potest 2. cum pluribus post S. Thomam (1, qu. 42, a. 4, ad 2), *negando consequentiam et conclusionem:* relatio enim non est *aliquid* sed *ad aliquid*, neque plus est perfectionis in tribus personis quam in una. Dicit S. Augustinus (de Trin., l. 5, c. 5, n. 6), « In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim *ad aliquid*, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens: quia et ille semper Pater, et ille semper Filius..... Non secundum substantiam [tamen] haec dicuntur, quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad invicem atque ad alterutrum isti dicuntur..... ». Vid. supra, n. 21.

Inst. Posita definitione Boëthiana personae (« rationalis naturae individua substantia »), sunt in Deo juxta nostram doctrinam tres substantiae; atqui in Deo est una tantum substantia; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Sunt in Deo tres substantiae *individuae*, idest tres subsistentiae, et tres hypostases, seu tria supposita,

conc.; sunt tres essentiae, naturae, substantiae *absolutae, nego.* Dicit S. Thomas (1, qu. 30. a. 1, ad 1), « Substantia non ponitur in definitione personae, secundum quod significat essentiam: sed secundum quod significat suppositum. Quod patet ex hoc, quod additur: individua. Ad significandum autem substantiam sic dictam habent Graeci nomen hypostasis. Unde, sicut nos dicimus tres personas, ita ipsi dicunt tres hypostases. Nos autem non consuevimus dicere tres substantias, ne intelligerentur tres essentiae propter nominis aequivocationem ».

Contradist. Min. In Deo est una tantum substantia *absoluta*, seu natura et essentia, *conc.;* est una tantum substantia *individua*, seu subsistentia et hypostasis, *nego.*

Proinde non eodem prorsus modo dicitur, tres esse personas in Deo, quo dicitur v. g. tres esse personas in familia humana: in posteriori enim casu significantur tres naturae absolutae, numero distinctae, dum in Deo nomen « persona » supponit tantum pro *relatione reali subsistente.* Assumitur scilicet nomen « persona » ad significandum distinctum in se subsistentem: et cum in divinis omnia absoluta sint communia, subsistens distincte in natura divina distingui potest sola *relatione originis opposita;* imo ex S. Thoma (1, qu. 29, a. 4, corp.; de pot., qu. 9, a. 4), persona divina est ipsa relatio, v. g. paternitas, ut subsistens. Cf. Franzelin, thes. 24, n. I.

69. — Obj. 2. Ex axiomate recepto, quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; atqui in doctrina nostra personae divinae sunt quid unum cum essentia divina; ergo sunt unum et idem inter se, et repugnat trinitas personarum.

Resp. 1. Juxta aliquos (v. g. Suarez, l. 4, c. 3, n. 7) hoc axioma non est necessario et universaliter verum, sed notum tantum per experientiam et inductionem ex particularibus, nempe ex creaturis: nec potest logice ad Deum infinitum extendi.

Resp. 2. *Dist. Maj.* Axioma verum est de iis, quae sunt eadem uni tertio quod sit incommunicabile multis realiter distinctis, *conc.;* de iis, quae sunt eadem uni tertio quod est communicabile multis realiter distinctis, *nego.*

Contradist. Min. Personae divinae sunt eadem uni tertio (nempe naturae divinae) quod est communicabile multis realiter distinctis, *conc.;* quod est incommunicabile multis, *nego.* Ita Molina, in Primam Partem, qu. 28, a. 2: disp. 2; ita fere et Billuart, diss. prooem. a. 3, § 3 (p. 469).

Resp. 3. Cum liqueat, has duas solutiones negare axioma de Deo valere, alii, admisso hoc principium identitatis comparatae esse a priori et ex natura rerum verum, imo et in ipsa revelatione praesuppositum (v. g. in triplice propositione: Pater est Deus;

Filius est Deus; Pater et Filius sunt unum): sic cum S. Thoma (1, qu. 28, a. 3, ad 1) *Dist. Maj.* Quae sunt uni tertio eadem simpliciter, seu re et ratione, sunt identica, *conc.;* quae uni tertio vel re tantum vel ratione tantum sunt eadem, sunt inter se eadem, *nego*, vel *subd.:* sunt eadem sub ea ratione aut respectu, quo sunt eadem uni tertio, *conc.* (ita v. g. duo homines sunt idem quoad unam naturam specificam quam habent, licet differant hypostatice); sunt eadem sub omni alia ratione aut respectu, seu sunt identica, *nego.* — Proinde axioma philosophicum hoc tria *sub una* aliqua eademque *ratione* considerat, sub qua concludit ea unum esse: minime autem affirmat axioma, tria quae in concreto aliquo casu comparantur, esse sub omnibus aliis conceptibus perfecte unum, seu esse *identica:* imo si essent identica, non jam tria sed *unum* essent, nec locum amplius haberet axioma.

Contradist. Min. Divinae personae sunt quid unum cum divina essentia, re, *conc.;* re et ratione, *nego:* persona enim ratione et virtualiter differt a divina essentia, et Pater unum est cum ea formaliter ut ingenitus et producens, dum Filius unum est cum ea formaliter ut genitus et procedens. Ut ait S. Thomas (1, qu. 42, a. 4, ad 2), « Eadem essentia, quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio..... Sed in Patre est secundum relationem *dantis*, in Filio secundum relationem accipientis ». Ac Franzelin (thes. 3, p. 25), « Distinctio igitur inter duos (« ego et Pater ») non est in eo, quod Pater sit divinae naturae et sit Deus, Filius autem naturae inferioris, sed in eo unice, quod Pater habet naturam divinam *non communicatam*, Filius habet eandem *communicatam* a Patre ».

Pariter dist. Concl. Personae divinae sunt unum et *idem* inter se sub ea ratione et respectu quo sunt unum cum essentia divina, nempe in natura: seu, sunt unus Deus, *conc.;* in omni alio respectu: seu sunt *eaedem* personae, *nego.* Etenim, ut dicit iterum S. Thomas (1, qu. 28, a. 3, ad 1), « licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, et similiter filiatio; tamen haec duo in suis propriis rationibus important *oppositos respectus:* unde distinguuntur ab invicem ». Cf. Franzelin, pp. 331, 332; Billot, pp. 99, sqq.

Inst. 1. Extrema quae sola ratione a tertio aliquo distinguuntur eodem modo etiam a se invicem distinguuntur, sicut v. g. divina attributa absoluta; atqui relationes personales in Trinitate solo conceptu seu ratione ab essentia divina differunt; ergo personae divinae realiter non distinguuntur.

Resp. *Dist. Maj.* Si non adest major oppositio inter extrema, quam cum tertio, *conc.;* aliter, *nego.* « In quo quidem, ait Billot

(p. 103), juvari potest imaginatio exemplo duorum punctorum, quae si aequaliter a tertio distent, non est consequens ut aequaliter distent inter se, nisi supponas illa duo, nec plus nec minus a se invicem repelli, quam repelluntur ab alio ».

Contradist. Min. Relationes formales in Trinitate ratione ab essentia ita differunt, ut sint inter se oppositae ratione originis (ut dicit S. Thomas jam cit.), *conc.;* carent ista oppositione, *nego.* Proinde si nulla esset distinctio, nec rei nec rationis, inter essentiam et personas, nulla posset esse distinctio realis inter ipsas personas. Distinctio autem virtualis inter essentiam et personas (quam quidem sola revelatione cognoscimus, quin comprehendere possimus) per se non sufficeret, ut constat ex attributis absolutis, ad realem distinctionem personarum, nisi adessent relationes oppositae originis, principii nempe et principiati.

Inst. 2. Repugnat unum et idem tertium simul identificari cum duobus quae realiter opposita sunt; atqui in nostra doctrina unum et idem identificatur cum extremis realiter oppositis; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Si duo realiter opposita extrema essent absoluta, *conc.;* si essent relativa, *nego.*

Contradist. Min. Unum et idem identificatur cum realiter oppositis extremis quae sunt relativa, et quae non tam *aliquid* sed *ad aliquid* important, nempe originem, *conc.;* quae sunt absoluta, *nego.* Proinde in catholica doctrina juxta verba Concilii Lateranensis IV, « una quaedam summa res est....., quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; tres simul personae, ac singillatim quaelibet earum..... et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus sanctus, qui procedit; ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura ».

70. — Obj. 3. Ubicumque est numerus secundum rem, ibi est majus et minus, quia tria sunt plus quam duo; atqui in Deo nihil est majus aut minus; ergo non possunt esse in Deo tres personae realiter distinctae.

Resp. *Dist. Maj.* Ibi est majus et minus eo saltem sensu quod unum vel duo non sunt *tot* quot sunt tria, *conc.;* eo semper sensu quod sit aliquid majus aut minus in perfectione, *nego.*

Contradist. Min. In Deo non est majus vel minus in perfectione, *conc.;* non sunt plures personae, *nego.*

71. — Obj. 4. In doctrina nostra, eo quod Pater sit persona divina, Filius persona divina, et Spiritus sanctus persona divina, tres sunt personae divinae; atqui pari ratione eo quod Pater sit Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, tres sunt dii; ergo repugnat nostra doctrina.

Resp. *Conc. Maj.* Nam Pater est persona divina *distincta* a Filio et Spiritu sancto; Filius item est persona divina *distincta...;* ac Spiritus sanctus est persona *distincta.....*; ergo sunt tres personae *distinctae.*

Nego paritatem Minoris: Pater enim est Deus, sed *non distinctus Deus* a Filio et Spiritu sancto; item Filius est Deus, sed *non distinctus Deus* a Patre et Spiritu sancto.

72. — Obj. 5. Ex doctrina nostra sic argumentari licet: *a*) Hic Deus est Pater: hic Deus est Filius: ergo Filius est Pater; et *b*) Haec essentia divina est paternitas: haec essentia divina est filiatio: ergo filiatio est paternitas. Sed haec sunt absurda. Ergo.

Resp. *Nego Maj.* Termini enim « hic Deus », « haec essentia », licet quoad formam singulares, sunt aequivalenter universales, seu habent vim termini communis: quia haec singularis essentia, communis est pluribus suppositis, quorum unumquodque propter eam vere est Deus, quod est proprium termini communis. — Proinde ut recte concluderetur, sic argumentandum esset: Omne quod est Deus est Pater; atqui Filius est Deus; ergo Filius est Pater. Cf. Suarez, l. 4, c. 3, n. 8.

73. — Propositio III. Trinitate divina per revelationem jam cognita, potest mysterium rationibus naturalibus probabile suaderi, et variis exemplis licet imperfectis illustrari.

Prob. Illud mysterium potest probabile suaderi, cujus in rebus creatis variae reperiuntur imagines imperfectae, quae illud aliquatenus adumbrant; atqui in rebus creatis variae exstant imperfectae imagines, quae hoc mysterium aliquatenus adumbrant; ergo.

Prob. Min. 1. Auctoritate ipsius Scripturae, quae de personis divinis loquens exemplis lucis et splendoris, fontis et fluminis, oris et verbi, substantiae et figurae utitur. Cf. Sap. 7. 25, 26; Eccli. 24. 5, 12, 14, 40, 41; Hebr. 1. 3.

2. Exemplis quae adhibent Patres. — *a*) In eadem anima est memoria, intellectus et voluntas, et tamen una est: ita S. Augustinus (de Trin., l. 14, c. 8; et l. 15, c. 27, n. 50). — *b*) Aliam similitudinem petit idem Doctor (de fide et symb., c. 9, n. 17) ex aqua, quae quoad substantiam una est, et tamen in fonte, fluvio et potione distinguitur. — *c*) Tertiam ibidem similitudinem sumit S. Augustinus ex arbore, in qua distinguuntur radix, truncus, et rami, et tamen una est arbor. — *d*) Quartam similitudinem profert idem, aut alius auctor (serm. 384, al. 1, de verb. Apost., c. 3), a sole in quo distinguuntur et tamen separari non possunt, cursus,

splendor et calor. — *e*) Quintam similitudinem ducit S. Basilius (epist. 38, al. 43, n. 5) ex iridis fulgore, qui est « et in se continuus, et divisus », scilicet in varios colores. Huic etiam Patri adscribitur alia similitudo petita a grano frumenti, quod licet unum sit, tamen fructum modo vocamus, modo semen, ac rursus alimentum. — His adjungere licet similitudinem trifolii, quam fertur adhibuisse S. Patritius ad hoc mysterium antiquis Hibernis suadendum.

3. Ex internis processionibus intellectûs et voluntatis in homine : quam congruentiam saepe adhibet S. Thomas. Ita (contra Gentes, l. 4, c. 26, « Hujusmodi autem »), « Ipsa enim mens, ex hoc quod se actu intelligit, verbum suum concipit in se ipsa ;... quae, dum ulterius seipsam amat, seipsam producit in voluntate ut amatum..... Et sic tria in mente inveniuntur : mens ipsa quae est processionis principium in sua natura existens, et mens concepta in intellectu, et mens amata in voluntate ». Cf. Summa Theol., I, qu. 27, artt. 1, 3.

4. Ex numero ternario. Hic enim numerus utpote perfectus, congrue ponitur in Deo ; nequit autem esse in divina substantia aut natura ; ergo in personis. — Numerum ternarium esse perfectum ostendit Billuart (diss. prooem., a 3, § 3), *a*) ex mundo ipso in quo habentur tria genera entium : esse, vivere, intelligere ; tres partes temporis : praeteritum, praesens, et futurum ; tres durationis mensurae : aeternitas, aevum, tempus ; tres quantitatis species : linea, superficies, corpus ; tres corporis dimensiones : longitudo, latitudo, profunditas ; *b*) ex homine, in quo invenitur triplex facultas : memoria, intellectus, voluntas ; triplex vita : vegetativa, sensitiva, intellectualis ; triplex mentis operatio : simplex apprehensio, judicium, discursus ; *c*) ex angelis, quorum tres sunt hierarchiae, et tres chori in unaquaque hierarchia ; *c*) ex universa creatura, in qua perspiciuntur : unitas, species, ordo ; unum, verum, bonum ; esse, posse, operari.

QUAESTIO TERTIA

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS

74. — Praenotiones. — I. « Processio » derivatur a verbo « procedere », quod translatum est a motu locali ad significandam originem vel productionem rei a suo principio vel causa : sic lux a sole, filius a parentibus, cogitationes a mente, desideria a corde procedere dicuntur. Hinc processio generali sensu definitur, « origo seu productio unius ab alio ».

II. Dividitur processio in transeuntem et immanentem. Illa dicitur *transiens*, quae est extra suum principium vel causam ; cujusmodi est calefactio seu processio caloris ab igne in lignum ; *immanens* dicitur quae manet intra suum principium vel causam, cujusmodi est productio verbi nostri mentalis.

III. Distinguitur adhuc processio immanens in physicam et metaphysicam. Ea dicitur *physica*, qua unum ab alio procedit actione quadam physica, id est includente mutationem, dependentiam et diversitatem saltem numericam naturae ejus, quod ab alio procedit, cujusmodi est nostra intellectio, qua verbum mentale procedit ; ea dicitur *metaphysica*, quae in suo conceptu includit tantum emanationem seu originem, qua unum ab alio producitur seclusa omni imperfectione mutationis, diversitatis et dependentiae, remanentibus tantum istis duobus respectibus, *a quo alius*, et *qui ab alio*, inter ipsum productum et producentem. Cf. Ysambert, in qu. 27 : d. 3, a. 1.

IV. Non de processione divina externa seu transeunte, scilicet de creatione, sed de processione immanente, hîc inquiritur : 1. Utrum detur in Deo processio immanens et quotuplex, 2. quaenam in genere sint divinarum processionum principia, 3. de processione Filii nominatim, 4. de processione Spiritus sancti, 5. de duarum processionum discrimine.

CAPUT PRIMUM

De Existentia et Numero divinarum Processionum

75. — **Propositio I. Datur in Deo vera processio metaphysica.** — De fide.

Prob. prima pars, scilicet, « datur in Deo vera processio ». — **I.** Ex Scriptura. Processio est origo unius ab alio; atqui in divinis talem esse originem, docet Scriptura, Jo. 8. 42, « Ego enim a Deo processi et veni »: item Ibid. 15. 26, « Qui [Spiritus S.] a Patre procedit ».

76. — **II.** Ex Traditione idem multipliciter constat, v. g. ex Conciliis Nicaeno I, Constantinopolitano I, Lugdunensi, et Florentino, dicentibus Filium esse « Deum de Deo, lumen de lumine »: de Spiritu vero sancto, « Qui ex Patre Filioque procedit », etc. Imo hoc praedicat universa Traditio catholica, cum tota doctrina de Trinitate personarum in Deo fundetur et contineatur in processionibus divinis.

77. — **Prob. secunda pars,** scilicet, « ista processio est metaphysica ». — Processio metaphysica ea est, quae excludit mutationem, dependentiam, et diversitatem naturae in principiato; atqui talem esse processionem in divinis, exigit ipsa divinae naturae perfectio; ergo.

Solvuntur Objectiones

78. — Obj. 1. Personae divinae quae in nostra doctrina procedere dicuntur, nempe Filius et Spiritus sanctus, sunt primum principium; atqui primum principium non potest produci; ergo nulla est processio in Deo.

Resp. *Dist. Maj.* Sunt primum principium ad extra, respectu omnium creaturarum, *conc.;* primum principium ad intra, *nego,* hoc enim principium est solus Pater.

Dist. Min. Primum principium non potest produci ad extra, *conc.* (tunc enim esset creatura); ad intra, *nego.*

79. — Obj. 2. Qui habet principium, a quo procedit, ab eo pendet, et non est aequalis; atqui ita dicendum de Filio et Spiritu sancto in nostra doctrina; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Qui ita procedit, ut vel *a*) libera principii voluntate producatur, vel *b*) ab ipso recipiat naturam numero di-

stinctam, pendet a principio, nec est ei aequalis, *conc.;* qui procedit necessario, et eandem numero naturam accipit, a principio pendet, *nego.*

Nego Min., nempe divinam personam procedentem in nostra doctrina pendere a suo principio et esse ei inaequalem. Etenim *a*) non ex libera voluntate aut beneficio Patris, sed ex necessitate naturae divinae Filius generatur et est : et Deus eadem necessitate est Filius qua est Pater. Pater scilicet non esset Pater nec haberet suam proprietatem personalem, si Filius non existeret : sicut in creatura rationali mens non esset actu intelligens et careret propria perfectione, nisi in ea esset verbum mentale, quamvis verbum istud ab ipsa mente generetur.

Item *b*) Filius accipit a Patre eandem numero naturam quam habet ipse Pater : et cum haec natura sit actus purissimus et necessarius essendi, qui nullam causam habet, Filius in ea natura subsistens propria virtute existit et habet aseitatem non aliter quam ipse Pater. Unde S. Leo M. (serm. 51, c. 6 : brev. rom., Dom. 2 Quadrag., lectt. 7-9), « Hic est Filius meus, cui ex me et mecum esse, sine tempore est. Quia nec genitor est genito prior, nec genitus est genitore posterior..... Hic est Filius meus..... *de mea essentia mihi natus aequalis*..... Et cum alius ego sim qui genui, alius ille quem genui, non aliud tamen de illo vobis cogitare fas est, quam de me sentire possibile est ». Ac S. Augustinus (de Trin., l. 15, c. 14, n. 23), « Tanquam seipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quam in ipso ». Post quos S. Thomas (in l. 1 sent., d. 5, qu. 2, ad 2), « Filius quamvis totum esse suum habeat ab alio, nihilominus tamen esse suum non est dependens, quia accipit a Patre idem numero esse, quod ipse [Pater] habet ».

80. — Obj. 3. Persona divina producens est prior personâ productâ ; atqui hoc repugnat divinae aeternitati ; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Est prior prioritate originis, *conc.;* prioritate durationis aut naturae, *nego.* Propter naturam enim quam a principio suo recipit, persona procedens, ut jam dictum est, est aeterna et necessario existens aeque ac principium. Docet decretum pro Jacobitis (Denz. 598), « Nullus alium aut *praecedit aeternitate*, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. *Aeternum* quippe et *sine initio* est, quod Filius de Patre exstitit ; et aeternum et sine initio est, quod Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit ».

Inst. 1. Quod transit ad esse a non-esse, est suo principio posterius tempore ; atqui quod producitur, eo ipso transit a non-esse ad esse ; ergo.

Resp. *Conc. Maj., Dist. Min.* Quod producitur libere et in tempore transit a non-esse ad esse, *conc.;* quod producitur necessario et ab aeterno, *nego.* — Res aliquatenus illustrari potest *a*) ex hypothesi solis aeterni qui naturae suae necessitate emitteret radium, quod exemplum jam adhibuit S. Dionysius Alex. (cit. apud S. Athanasium, « De sent. Dionys. », nn. 15, 16); vel *b*) ex homine imaginem suam ab aeterno in speculo intuente: quamvis enim ille sol et iste homo priores essent ratione et origine, re tamen vera ipsis coexisterent ab aeterno radius et imago respective. Praeterea *c*) omnes fatentur, quod et ratio naturalis docet, Deum seipsum cognoscere et amare ab aeterno: et tamen ex nostro concipiendi modo prius existit objectum quam actus circa ipsum.

Inst. 2. Id quod jam est, non indiget ut producatur; atqui Filius ab aeterno est; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Non indiget ut producatur, si existit *antequam* producatur, *conc.;* si existit *dum* producitur, *nego.*

Contradist. Min. Filius ab aeterno est, et producitur ab aeterno, *conc.;* fuit antequam produceretur, *nego.*

81. — Obj. 4. Operatione immanente operans mutatur, seu fit melior aut deterior; atqui hoc repugnat in Deo; ergo nulla est processio divina ad intra.

Resp. *Dist. Maj.* Mutatur operans, si aut ipsa operatio aut terminus ejus, re differat ab operantis essentia, ut in creaturis, *conc.;* si ratione tantum distinguatur, *nego.* In divinis autem *a*) Patris operatio, v. g. intellectio, non re sed ratione tantum differt ab ejus essentia, et *b*) hujus intellectionis terminus, nempe Filius ab eadem Patris essentia non distinguitur *re*, sed ratione tantum. Ut docet Concilium Lateranense IV (Denz. 358), « Una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.....; quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina..... et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus sanctus, qui procedit ».

82. — **Propositio II. Duae sunt in Deo processiones, nec plures nec pauciores.**

Prob. I. Ex Scriptura, duae personae, nempe Filius et Spiritus sanctus, procedunt, seu duae sunt in Deo processiones immanentes; atqui praeter has duas processiones nulla est alia: Pater enim utpote Filii et Spiritus sancti principium nequit ab his procedere: neque ab alio, quia tunc non jam trinitas, ut jam probatum est, sed quaternitas foret in divinis; ergo.

83. — **II.** Idem liquet ex Symbolis, v. g. Athanasiano, « Pater a nullo est factus nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est : non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre et Filio : non factus, nec creatus, nec genitus sed procedens ». Similiter Symbolum Concilii Toletani XI (a. 675 : Denz. 222), « Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur : ipse enim a nullo originem ducit, ex quo et Filius nativitatem et Spiritus sanctus processionem accepit : fons ergo ipse et origo est totius divinitatis ». Ita et Concilium Florentinum (decr. pro Jacobitis : Denz. 598) praedicat, « Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedentem..... Pater quidquid est aut habet, non habet ab alio, sed ex se : et est principium sine principio ». — Patres quoque perplures (SS. Gregorius Naz., Basilius, Athanasius, Hilarius, Augustinus, Joannes Damascenus, etc.) nomen « ingenitum » tanquam Patri proprium adhibent, licet aliquando orthodoxis suspectum fuit, cum ambiguitate ejus abuterentur Ariani ad significandum Filium nedum genitum, sed et creaturam esse. Vid. Suarez, l. 8, c. 2, n. 2 ; Petavius, l. 5, cc. 1-3.

84. — **III.** Tot sunt processiones in Deo quot sunt actiones immanentes, seu operationes ad intra ; atqui in Deo sunt duae tantum actiones immanentes, nempe *intellectio* per quam producitur Verbum, quod intellectus divini *adaequata et infinita expressio* est, et *volitio* per quam producitur Spiritus sanctus qui est terminus adaequatus et infinitus divini amoris ; ergo. Cf. S. Thomas, 1, qu. 27, a. 5, ad 3, « Deus uno simplici actu omnia intelligit, et similiter omnia vult. Unde in eo non potest esse processio verbi ex verbo, neque amoris ex amore, sed est in eo solum unum verbum perfectum, et unus amor perfectus. Et in hoc ejus perfecta foecunditas manifestatur ».

Obs. Cum processio vera sit origo, manifeste dici nequit ipsa *essentia* divina a principio procedere : (« non est generans, neque genita, neque procedens », Later. IV) ; tunc enim esset essentia numerice distincta a suo principio et ab ipso dependens, ac persona in ipsa procedens verus Deus non esset.

CAPUT SECUNDUM

De Principiis divinarum Processionum generatim

85. — **Praenotanda.** — I. Duplex vulgo distinguitur a scholasticis principium actionis, unum *quod*, et est ipsum suppositum

agens (id *quod* agit), alterum *quo*, et est forma, vis seu virtus per quam agit (id *quo* agens agit), quae cum duplex sit, remota et proxima, duplex distinguitur principium *quo*: *remotum* unum, et est ipsa natura, *proximum* alterum, et est naturae facultas aut potentia. Sic v. g. Petrus intelligens est principium *quod*, natura rationalis est principium *quo* remotum, et intellectus est principium *quo* proximum intellectionis.

86. — II. Circa divinarum processionum principia, 1. consentiunt omnes theologi, juxta definitionem Concilii Lateranensis IV, principium *quod* esse personas divinas: scilicet Patrem esse principium *quod* generationis Filii, Patrem vero et Filium esse principium *quod* processionis Spiritus sancti. Hoc constat *a*) ratione generali: Nam ad cujusvis naturae operationem quamcumque, requiritur imprimis, ut natura sit individua, quae in supposito (sive proprio sive alieno) subsistat; unde axioma: « actiones sunt suppositorum ». Et haec quidem conditio ex natura rei tam necessaria est, ut essentia ipsa divina nequeat concipi operans, nisi quatenus in personis subsistat. Constat *b*) speciatim ex processionis indole; quia quod procedit realiter, debet realiter distingui a producente: nihil enim producit seipsum; nulla autem est in divinis realis distinctio nisi inter personas. — 2. Omnes etiam fatentur, principium *quo remotum* divinarum processionum esse naturam divinam, in qua virtus processionum remote continetur. Hoc constat *a*) ratione generali mox indicata: Natura enim est *radix* omnium operationum. Constat *b*) ratione speciali processionis: quia natura divina est id in quo procedens assimilatur et convenit cum producente: imo identice communicatur in processione.

87. — III. De principio *quo proximo* maxime proinde disputatur. — 1. Durandus docuit principium quo proximum esse ipsam naturam divinam in se spectatam, quatenus *natura* est; ita ut praecisis per mentem nostram intellectu et voluntate divinis, adhuc Filius et Spiritus sanctus censerentur procedere. Haec tamen opinio communiter rejicitur, tum *a*) propter rationem generalem, quod essentia quaevis non operatur immediate per se, sed per facultates; tum *b*) propter incommoda: Durandi enim sententia non sufficit ad explicanda praecipua capita doctrinae catholicae de processionibus, videlicet cur *α*) processio Verbi sit prior origine processione Spiritus sancti, cur *β*) illa sit generatio non autem haec, cur *γ*) sint duae processiones, non plures vel pauciores.

2. Alii dixerunt solas *relationes originis*, paternitatem scilicet et spirationem activam, esse principium quo proximum processionum divinarum; pro qua opinione citatur apud Billuart (d. 2, a. 2) S. Bonaventura: vid. tamen Suarez, l. 1, c. 5, n. 4. Hanc autem

sententiam etiam rejiciendam esse, suadent hae rationes: *a*) Principium quo proximum diversarum processionum debet esse activum; relationes autem originis non sunt activae: nam paternitas v. g. spectata *α*) ut forma hypostatica Patris est quidem ipsius forma constitutiva (sicut humanitas in homine), sed non producit eum: spectata autem *β*) ut respectus Patris ad Filium supponit hunc jam productum, et ergo non est productiva ipsius. Item *b*) principium quo proximum processionis est id, per quod procedens assimilatur producenti (v. g. facultas generativa); atqui relatio in divinis non est id per quod procedens assimilatur producenti, sed e contra est id quo et per quod differt.

Hinc 3. juxta communem sententiam, ut exponit Billuart (l. c.) post S. Thomam (per totam qu. 27, et qu. 41, a. 5), principium quo proximum et immediatum divinarum processionum non est natura divina praeintellecta intellectui et voluntati, sed sunt *ipse intellectus et ipsa voluntas*, non praecise secundum se, sed *modificata relationibus paternitatis et spirationis activae:* ita ut principium quo proximum divinarum processionum non solum importet quid absolutum, scilicet intellectum et voluntatem, sed etiam relationes, non tamen ut comprincipia, sed ut conditiones et modos duntaxat.

88. — Propositio. Principium quo proximum processionum sunt (1) intellectus et voluntas, prout (2) sunt notionales seu quatenus connotant relationes paternitatis et spirationis activae.

Prob. prima pars argumentis theologicis generalibus (postea enim distinctius ostendetur ubi de processionibus in specie). — **I.** Processiones divinae sunt per operationes vitales et immanentes; atqui in Deo non sunt aliae operationes vitales et immanentes quam intellectûs et voluntatis; ergo.

89. — II. Ea sententia praeferenda est, quâ positâ facilius explicantur praecipua capita doctrinae catholicae de processionibus; atqui talis est praesens sententia: ipsâ enim positâ explicatur cur 1. processio Filii sit prior origine processione Spiritus sancti: quia videlicet actus voluntatis supponit actum intellectus; cur 2. processio Filii sit generatio: nimirum quia intellectus vi sua est assimilativus (ut postea dicetur); cur 3. duae tantum sint processiones: quia nempe duae tantum sunt operationes ad intra; ergo.

90. — Prob. secunda pars. — I. Si intellectus et voluntas sine ulla modificatione aut connotatione relationum, seu quatenus omnibus personis communia sunt, essent principium proximum *quo* processionum, potentia generandi et spirandi communis esset omnibus divinis personis (perfectiones enim absolutae sunt com-

munes); atqui hoc repugnat: Pater enim est qui generat, Filius qui generatur; ergo.

91. — **II.** Distingui debet realiter, saltem secundum aliquid, principium quo proximum processionis a procedente: nihil enim est suî principium; atqui intellectus et voluntas divina in se spectata ac sepositis relationibus, non differunt realiter a procedentibus; ergo nonnisi quatenus connotant relationes sunt principium quo proximum processionum.

Obs. Notat Kleutgen (n. 107), tum personam (principium *quod*) tum naturam (principium quo remotum) recte dici processionis principium *de quo* sive *ex quo*: unde dicitur Verbum procedere de Patre, ex Patre, de Deo, ex Deo. Est tamen inter locutiones discrimen aliquod (quod indicat S. Thomas, 1, qu. 41, a. 3). Praepositio scilicet *ex* originem tantum, praepositio vero *de* originem a principio consubstantiali significat. Itaque quidquid *de* aliquo esse dicitur, etiam *ex* illo est; at non vicissim omne, quod *ex* aliquo est, *de* eo est. Nam Filius, qui *de* Patre, seu de Patris substantia nascitur, etiam *ex* Patre esse recte dicitur; creata vero, licet *ex* Deo esse ab ipso Apostolo dicantur, non tamen *de* Deo sunt.

CAPUT TERTIUM

De Processione Filii

Praecipue inquirendum est 1. utrum per operationem intelligendi procedat Filius, et 2. ex quarum rerum intelligentia.

ART. 1. — UTRUM PER OPERATIONEM INTELLIGENDI PROCEDAT FILIUS

92. — **Praenotandum.** — De hac re erravit Durandus, ut jam indicatum est, ejusque opinio juxta Suarez (l. 1, c. 5, n. 4), « temeraria et errori proxima censenda est, quia in re gravissima et supernaturali singularis est, et aliena a sensu sanctorum et a modo loquendi Scripturae sacrae ».

93. — **Propositio. Filius procedit a Patre per operationem intellectus.** — Communis.

Prob. I. Ea Scripturae loca quae Filium vocant « Verbum » (Jo. 1); « Verbum Dei » (Apoc. 19. 13: cf. 1 Jo. 1. 1; 5. 7), Verbum quod fuit ab aeterno « apud Deum », idest Verbum Dei mentale, sensu proprio et non metaphorico accipienda sunt; atqui Filius non esset Verbum Patris sensu vero et proprio, nisi ab ipso per operationem intelligendi procederet; ergo.

Major constat. Principium enim generale hermeneuticae est, ut quod saepius et simpliciter dicitur in Scriptura, sensu naturali et ordinario intelligatur, nisi aliter exigat analogia fidei. Ac si haec nominatim loca ubi Filius vocatur Verbum, liceat per tropum exponere, Patris quoque et Filii nomina (ut advertit Kleutgen, n. 969), impropria dices, et eodem interpretandi genere pleraque dogmata et mysteria tolles. Imo, tam manifeste declarant haec loca Filium esse verum et proprium Patris Verbum, ut veteres illi haeretici (Alogi) qui verbum in Deo esse negabant, libros S. Joannis (Evangelium et Apocalypsim) rejecerint. Cf. Suarez, l. c., n. 5.

Minor ipso nomine constat: de conceptu enim verbi mentalis est, ut procedat ab intelligente per operationem intellectus; et sine intellectu cogitante nullum est verbum proprie dictum.

94. — **II.** In pluribus Scripturae locis (Prov. 8. 22, sqq.; Sap. 7. 21, sqq.; Eccli. 24. 5, sqq.; supra n. 13), Filius Dei vocatur proprio sensu « Sapientia »; atqui non est proprio sensu Sapientia nisi per intellectum paternum procedat; ergo.

Major probatur 1. ex interpretatione fere universali (paucos antiquissimos scriptores si excipias) tum orthodoxorum tum haereticorum, ut constat ex historia controversiae Arianae in qua utriusque partis fautores loca praedicta librorum sapientialium de Christo intelligebant, et disputabant tantum, utrum ostendant eum Deum verum esse (cf. Franzelin, thes. 7, n. II); 2. ex praedicatione de Filio in novo Testamento eorum, fere ad verbum, quae de Sapientia in vetere dicuntur (cf. loc. cit. Prov. cum Jo. 1, 1-5; loc. cit. Sap. cum Hebr. 1. 3; loc. cit. Eccli. cum Jo. 1. 14) (1).

Minor constat 1. ex ipso nomine « sapientia », quae ab intellectur oritur; 2. ex subsistentis illius Sapientiae testimonio (Eccli. 24. 5), « Ego *ex ore* Altissimi prodivi »: nomine autem *oris* in re spirituali, nihil nisi intellectus significari potest.

95. — **III.** Ex Hebr. 1. 3, ubi Filius dicitur « splendor gloriae » Patris (cf. Sap. 7. 26, jam cit. in annot.; et Coloss. 1. 15, « Imago Dei invisibilis »). — Gloria illa, cujus splendor dicitur Filius, est perfecta divinae excellentiae cognitio quam habet Pater; atqui hujus gloriae (seu divinae naturae intellectionis) splendor, irra-

(1) Prov. 8. 22, « Dominus possedit me in initio viarum suarum..... ante colles ego parturiebar..... Quando praeparabat coelos, aderam..... Cum eo eram cuncta componens... »: Jo. 1. 1, « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt ». — Sap. 7. 21, « Omnium enim artifex docuit me Sapientia... attingit autem ubique... emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera... Candor est enim lucis aeternæ et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius »: Hebr. 1. 3, « Splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae » — Eccli. 24. 25, « In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis »: Jo. 1. 4, « Gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis ».

diatio et refulgentia (ἀπαύγασμα) Filius dici nequit, nisi a Patre per intellectum procedat; ergo.

Prob. Maj. Gloria (δόξα) est manifesta et clara cognitio quae de bonitate alicujus habetur; atqui gloria de qua hic agitur et cujus splendor dicitur Filius, est in ipso Patre non ad extra, estque proinde perfectissima; ergo.

Minor constat. Splendor enim est id quod a re fulgente emittitur, sicut radius qui procedit a sole dicitur et est solis splendor. (Cf. Billot, p. 37).

96. — **IV.** Apud Patres frequens est nostra doctrina. Dicit v. g. S. Augustinus (in Jo., tract. 14, n. 7), « Cor tuum attende..... quando concipis verbum quod proferas, rem vis dicere, et ipsa rei conceptio in corde tuo jam verbum est..... verbum quod loqueris in corde habes, et apud te est, et ipsa conceptio spiritualis est..... sic Deus edidit Verbum, hoc est genuit Filium. Et tu quidem ex tempore gignis verbum etiam in corde, Deus sine tempore genuit Filium, per quem creavit omnia tempora ». Ita, ex S. Gregorio Naz. (orat. 30, al. 36, n. 20), Filius appellatur Verbum, « quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter conjunctionem ipsius cum Patre, vimque enuntiatricem..... Brevis et compendiosa faciliorque paternae naturae declaratio est Filius. Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit ». Et S. Basilius (hom. 16, n. 3, in illud « In principio erat »), « Cur Verbum? ut conspicuum sit, processisse ex mente. Cur Verbum? quia sine passione genitum est. Cur Verbum? quia imago est Genitoris, totum in se Genitorem ostendens ». Alia testimonia apud Kleutgen, n. 968, et annot.

97. — **Scholion 1. de comparatione Verbi interni increati cum creato.** — Verbum *insitum* seu mentale magis proprie verbum vocatur quam *prolatitium* seu externum, quod potius sermo aut oratio dicitur. — Verbi autem mentalis, divini et creati similitudines et dissimilitudines explicant theologi post Patres. 1. *Similitudines* praecipuae sunt, quod utrumque verbum est *a*) expressa imago et repraesentatio rei cognitae, *b*) ex mente ortum, *c*) ab illa distinctum, et tamen *d*) in ipsa permanens. — 2. A Verbo autem divino *discrepat* verbum mentis creatum praecipue in his quod sit *a*) adventitium, non essentiale et necessarium, *b*) accidens, non substantia aut hypostasis, *c*) temporale, non aeternum et perpetuum, *d*) multiplex, non singulare et ùnicum. Cf. Petavius, l. 6, c. 2, ubi singula haec ex Patribus illustrat.

98. — Scholion 2. utrum dicendus sit Pater intelligere Verbo. — Cum nomen « Verbum » non intellectionem essentialem, quae tribus personis communis est, sed Filii personam designet, dici non debet « Pater *intelligit Verbo* », qua locutione in ablativo significari videretur Pater intelligentiam a Filio accipere, aut esse formaliter intelligens non per suam propriam essentiam, sed per alium a se distinctum. Recepta tamen est locutio ista « Pater se et omnia *dicit Verbo* », qua significatur Verbum produci tanquam expressio intellectionis paternae. Loquendi modum, « Pater est sapiens Sapientia genita » retractavit S. Augustinus (Retract., l. 1, c. 26). Neque contradicit his S. Athanasius dicendo v. g. (orat. 1 contra Arianos, n. 24), Patrem non posse esse intelligentem sine Verbo : illud enim tantum urgebat S. Doctor, quod aeternus et necessarius intelligendi actus non potuisset esse sine *termino suo*, verbo nempe mentali : quia, ut explicat S. Thomas (contra gent., l. 4, c. 14), « intellectus in actu nunquam est sine verbo ». — Recte tamen dicuntur divinae personae, sicut et Beati comprehensores, intelligere *in Verbo*, idest in divina Verbi essentia : quamvis enim in hoc sensu omnia videantur et intelligantur etiam in Patre et Spiritu sancto, tamen per appropriationem (cf. infra, n. 201) in Filio praesertim dicuntur videri, propter ipsius processionem per intellectum. Cf. Franzelin, thes. 29, n. III. (pp. 430, sqq.).

ART. 2. — EX QUARUM RERUM COGNITIONE PROCEDAT FILIUS

99. — Praenotanda. — I. Jam vidimus, ex doctrina communi et sana, Filium per operationem intellectus paterni procedere. Objectum autem intellectionis et cognitionis divinae duplex praecipue distinguitur, *necessarium*, nempe essentia ipsa divina, attributa absoluta, divinae personae, res possibiles ; ac *contingens*, seu res creatae in aliqua differentia temporis existentes (cf. de Deo Uno, p. 3, qu. 1, c. 1, schol.) : et inquiritur, quodnam objectum aut quaenam objecta comprehendat cognitio illa, ex qua procedit Verbum.

1. Omnes utique admittunt, Deum Patrem eâ ipsâ *unicâ* divinâ cognitione, ex qua procedit Filius, cognoscere objecta praedicta omnia tum necessaria tum contingentia seu libera, sive Verbum procedere per eam intellectionem quae est *etiam* intellectio creaturarum existentium, id quod alii exprimunt dicendo Filium procedere *concomitanter* (per accidens, aut identice) ex cognitione omnium rerum, etiam creatarum.

Quaestio autem est 2. quaenam ex his objectis attingat cognitio paterna *formaliter* quatenus est productiva Verbi, ita ut

si per impossibile intellectus Patris cognosceret tantum determinata illa objecta (v. g. essentiam divinam et attributa absoluta) non vero reliqua (v. g. alias personas, et res possibiles aut creatas), Filius tamen procederet essentialiter idem qui nunc est. — Statum quaestionis illustrat Kleutgen, n. 979 : « Sic, ut e rebus naturalibus assumam exemplum, in herba medica multae saepe proprietates insunt naturaliter, non omnes tamen ad medendum efficaces. Eo pertinet distinctio, qua utuntur : *formaliter, concomitanter* ».

100. — II. Constat apud omnes theologos (vid. Witasse, qu. 9, a. 2, s. 2), Verbum procedere formaliter ex cognitione essentiae divinae et attributorum absolutorum : sed de reliquis variae sunt opiniones. — 1. Est Scoti existimantis, juxta quosdam, Verbum ex nulla alia, quam divinae *essentiae* ejusque *absolutorum attributorum* cognitione procedere ; 2. Puteani, qui definit illud *insuper* procedere ex cognitione *Patris*, non vero ceterarum personarum aut rerum creatarum ; 3. Vasquesii, qui statuit *Verbum* praeterea produci ex cognitione *sui ipsius*, sed nullatenus ex cognitione Spiritus sancti aut reliquorum ; 4. Turriani, qui dicit Verbum procedere formaliter ex cognitione *Spiritus sancti*, non vero rerum possibilium.

Sententia autem quae communis vocatur a Billuart (d. 5, a. 3), docet 1. Verbum procedere per se et formaliter ex cognitione non tantum essentiae et attributorum absolutorum, sed et *personarum divinarum ac rerum possibilium :* non vero 2. (contra ipsum Witasse), formaliter ex cognitione rerum *existentium*, sed tantum per accidens et concomitanter, ut dictum est. Hinc duplex propositio.

101. — Propositio I. Verbum essentialiter et necessario procedit, non solum ex cognitione essentiae divinae et attributorum absolutorum, sed etiam ex cognitione trium personarum et creaturarum possibilium.

Prob. Verbum, utpote terminus adaequatus intellectionis paternae procedit ex cognitione *essentiae* perfectissima et comprehensiva ; atqui cognitio essentiae perfectissima et comprehensiva attingit non solum ipsam essentiam et attributa, sed etiam relationes et creaturas saltem possibiles ; ergo.

Prob. Min. Essentia divina non cognoscitur comprehensive, seu quatenus est cognoscibilis, nisi cognoscatur *ut fecunda* et communicabilis, atque *ut imitabilis ad extra* et omnipotens ; atqui 1. non potest cognosci ut fecunda et communicabilis nisi cognoscantur relationes (quae sunt termini aeterni et necessarii communicabilitatis et fecunditatis et realiter cum ipsa essentia iden-

tificantur), neque 2. ut imitabilis ad extra et omnipotens, nisi omnes effectus in omnipotentia necessario contenti, scilicet creaturae possibiles cognoscantur : virtus enim non potest comprehendi, nisi cognoscatur ad quos effectus sese extendere possit.

102. — **Dices.** Cognitio ex qua procedit Verbum est prior ipso Verbo, ac proinde Spiritu sancto ; atqui paterna intuitio seu cognitio personarum nequit prior esse ipsarum personarum productione ; ergo non potest Verbum procedere ex cognitione divinarum personarum.

Resp. *Dist. Maj.* Cognitio ex qua procedit Verbum est ipso Verbo producto prior prioritate originis, seu *a quo*, *conc.;* est prior prioritate existentiae, seu *in quo*, *nego.* Pater enim ab aeterno et suae naturae necessitate seipsum intelligit ut fecundum Verbi, idest tanquam principium Verbi et *tanquam Patrem*, ac consequenter ut ab aeterno habentem actu *Filium*, terminum intellectionis suae actualis ; imo sine illo, Pater nec esse nec concipi potest. Praeterea, simul eâdem una et *aeterna* intellectione intelligit Pater seipsum et Filium tanquam unam dilectionem, ut unum principium, Spiritum sanctum aeternaliter producens : ac hujus intellectionis naturae divinae et personarum terminus aeternus et adaequatus est Verbum. Verbum ergo propter simplicitatem ineffabilem et aeternitatem ipsius non ita a Patre procedit ac si de potentia educeretur, sed existit ab aeterno simul cum Patre et ex Patre tanquam actus aeternus ab actu aeterno. « Neque Pater (ait Kleutgen, n. 985), cum se intelligens concipit Verbum, videt Filium tanquam nascentem, qui *nondum sit*, sed tanquam eum, qui non a se sed ipsius intellectione est et eatenus tantum nascitur ». Et S. Thomas (1, qu. 42, a. 2, corp.), « Filius fuit quandocumque fuit Pater » ; qui postea (ad 3), « Filius semper generatur, et Pater semper generat » ; et (ad 4), « Generatio Filii non est in nunc temporis, aut in tempore, sed in aeternitate ».

Dist. Min. Paterna cognitio personarum non potest propter earum aeternitatem prior esse ipsarum productione, prioritate *in quo* seu durationis, *conc.;* prioritate originis et rationis, *nego.* Neque enim (argumentatur Suarez, l. 9, c. 5, n. 3), « ex parte termini supponitur necessario actualis existentia ad visionem intuitivam pro omni signo rationis, sed potest esse prior existentia visionis, quam rei visae. Nam si Deus potest intueri futuras creaturas prius duratione, imo aeternitate, quam ipsae existant, cur non poterit Deus ut sic, videre personas prius ratione, vel origine, quam producantur? ».

103. — Inst. 1. Verbum est imago Patris tantum ; atqui si

procedit ex cognitione ipsius Verbi et Spiritus sancti est illorum etiam imago; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Est imago naturalis et proprie dicta Patris tantum, *conc.;* non est imago repraesentativa seu similitudo aliorum, *nego.*

Contradist. Min. Videlicet *a*) ad imaginem proprie dictam non sufficit *similitudo*, sed requiritur etiam *b*) *derivatio* hujus similitudinis ab archetypo, idest ab eo cujus dicitur imago. Ad imaginem autem strictissime dictam, requiritur *c*) ut *modus ipse derivationis* seu processionis, ex sua formali ratione tendat ad exprimendam similitudinem (ut exponetur postea, n. 140). Jamvero liquet Verbum non ex ipsis rebus a Patre intellectis procedere, sed ex solo Patre, vera omnia in essentia divina intelligente. Patris proinde perfecta imago est Verbum, aliorum vero est tantum similitudo.

Inst. 2. Objectum scientiae concurrit active cum intellectu ad terminum seu verbum mentale producendum; atqui in nostra sententia objectum cognitionis paternae, ex qua procedit Verbum sunt tres personae divinae; ergo in nostra doctrina omnes tres personae concurrunt active ad producendum Verbum, quod repugnat.

Resp. *Dist. Maj.* In scientia creata, cujus objectum est determinativum intellectus, *conc.;* in scientia divina, cujus objectum est tantum terminativum, *nego:* haec est enim tanquam speculum in quo omnia exhibentur citra ullam ipsius mutationem.

Contradist. Min. Divinae personae sunt objectum terminativum scientiae paternae, *conc.;* sunt illius objectum determinativum, *nego.*

104. — **Propositio II. Verbum non procedit per se ex cognitione creaturarum in aliqua differentia temporis existentium, sed concomitanter tantum et per accidens.**

Prob. I. Verbum cum necessario producatur, procedit formaliter per eam tantum intellectionem quae est absolute necessaria; atqui intellectio creaturarum existentium (seu potius relatio intellectionis ad creaturas existentes) non est in se absolute necessaria, sed solum in hypothesi creaturae pro aliqua temporis differentia existentis; ergo.

105. — **II.** Illud per se non concurrit ad productionem Verbi, quod si abesset, nihilominus procederet Verbum essentialiter invariatum et ejusdem rationis ac nunc est; atqui si non existerent creaturae, ac proinde abesset earum cognitio, nihilominus procederet Verbum essentialiter invariatum et ejusdem omnino rationis ac nunc est: intellectus enim divinus non est mutatus per creaturarum existentiam; ergo.

106. — **Dices.** Si procedit Verbum ex cognitione rerum in aliqua differentia temporis existentium, contingens est; atqui Verbum divinum est absolute necessarium; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Contingens est quoad entitatem et essentiam, *nego ;* quoad repraesentationem, *subd.:* quoad repraesentationem objectorum secundariorum, nempe creaturarum, *conc.;* objecti primarii, *nego.*

Contradist. Min. Verbum divinum est absolute necessarium quoad entitatem et essentiam, *conc.;* quoad repraesentationem, *subd.:* absoluta necessitate repraesentat objectum primarium, *conc.;* objectum secundarium, *nego.*

Proinde etiamsi nullae exstitissent creaturae, Verbum divinum utpote terminus adaequatus infinitae intellectionis qua Deus necessario intelligit omne verum, fuisset infinite perfectum in se, licet creaturas ut existentes intellectus divinus tunc non cognosceret et Verbum divinum non repraesentaret. Hinc S. Thomas, I, qu. 34, a. 3, « Deus cognoscendo se cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repraesentativum omnis ejus quod actu intelligitur..... Quia Deus uno actu et se, et omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum ». Et ut alibi (I, qu. 37, a. 2, ad 3) loquitur, « Pater dicit se et omnem creaturam Verbo ».

CAPUT QUARTUM

De Processione Spiritus sancti

Inquirendum est 1. ex quibus personis procedat Spiritus sanctus, 2. per quamnam operationem.

ART. 1. — EX QUIBUS PERSONIS PROCEDAT SPIRITUS SANCTUS

107. — **Praenotandum.** — Hîc agendum est adversus Graecos schismaticos, qui fatentes quidem nobiscum, contra Macedonianos, Spiritum sanctum, utpote personam divinam, procedere a Patre, doctrinam tamen processionis ipsius etiam a Filio tanquam falsam rejiciunt, hujusque doctrinae insertionem in Symbolo per particulam « Filioque » corruptionem dicunt. — Tria hic inquirunt theologi, 1. utrum revera procedat Spiritus sanctus a Patre et Filio, 2. utrum particula « Filioque » jure et rationabiliter Sym-

bolo sit addita, 3. utrum Spiritus sanctus esset omnino persona distincta a Filio, si ab ipso non procederet.

§ 1. — *Utrum Spiritus sanctus procedat a Patre Filioque*

108. — **Praenotanda.** — I. Videtur aliquibus de hac re primus errasse Theodoretus cum incusaret blasphemiae doctrinam S. Cyrilli Alex., statuentis (in nono ex duodecim anathematismis), « Spiritum sanctum e Filio existentiam habere », quam tamen doctrinam alii probabilius putant intellectam et damnatam fuisse a Theodoreto sensu tantum Macedonianorum, quasi scilicet Spiritus sanctus diceretur creatura Filii. Primi, quos certo constat de hac quaestione errasse sunt Monothelitae (medio saec. VII) idque eo fine ut doctrinam Sedis Romanae, a qua damnati fuerant, veluti haereticam denuntiare possent. Ita ex eodem ipso ultionis motivo tum Iconoclastae (labente saec. VIII) tum Photiani (saec. IX).

109. — II. Contra hos Concilia oecumenica Lateranense IV (1215), Lugdunense II (1274), Florentinum (1439-1445) docuerunt, assentientibus ipsis Graecis qui Conciliis interfuerunt, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Haec sunt verba Concilii Florentini (Denz. 586), « Spiritus sanctus *ex Patre et Filio* aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit ».

110. — **Propositio. Spiritus sanctus vere a Filio procedit.**

Prob. I. Spiritus sanctus dicitur in Scripturis Spiritus Patris et Filii; atqui Spiritus Patris dicitur quia procedit ex Patre; ergo eadem ratione dicitur Spiritus Filii, seu procedit a Filio.

Major constat ex pluribus locis, v. g. Matth. 10. 20, « Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis »; Rom. 8. 9, « .... si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum *Christi* non habet, hic non est ejus »; Act. 16. 6, « Vetati sunt [Paulus et comites] a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia..... tentabant ire in Bithyniam; et non permisit eos *Spiritus Jesu* »; Galat. 4. 6, « Misit Deus *Spiritum Filii sui* in corda vestra », etc.

Minor liquet ex axiomate recepto (de quo postea, n. 126), quod in divinis sola distinctio realis est relatio originis. Hinc S. Augustinus (de Trin., l. 4, c. 20, n. 29), « Nec possumus dicere quod Spiritus sanctus et a Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur ».

111. — **II.** Spiritus sanctus dicitur missus a Filio, Jo. 16. 17, « Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero

mittam eum ad vos », item Ib. 15. 24, « Quum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre », et Luc. 24. 49, « Et ego mittam promissum Patris mei in vos »; atqui ista missio importat processionem a Filio; ergo.

Prob. Min. Missio est egressio unius ab alio tanquam a principio ad aliquem terminum, v. g. per imperium, aut consilium, aut per processionem seu originem (qua posteriori ratione radius v. g. emittitur a sole, flos ab arbore); atqui Spiritus sanctus non potest dici missus ratione imperii tanquam servus, nec ratione consilii sicut minus sapiens a sapientiore; ergo ratione processionis.

112. — **III.** Spiritus sanctus dicitur in Scriptura *accipere a Filio*, seu de iis, quae sunt Filii: sicut ipse Filius dicitur accipere a Patre, ut habeat vitam in semetipso (Jo. 5. 26), audire a Patre quae loquitur in mundo (Jo. 8. 26), nec posse a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem (Jo. 5. 19); atqui accipere in divinis nihil aliud significat quam procedere; ergo.

Major constat ex Jo. 16. 13, sqq., « Non enim loquetur [Spiritus veritatis] a semetipso: sed quaecumque audiet loquetur..... Ille me clarificabit: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt ».

Prob. Min. (scilicet accipere, in divinis nihil aliud est quam procedere). Scientia quam Spiritus sanctus accipit non est qualitas menti accidens, quod repugnaret simplicitati divinae, sed est ipsa intellectio subsistens, natura scilicet divina tribus personis communis; atqui qui naturam ab alio accipit ab ipso procedit; ergo.

113. — **IV.** Filius (Jo. 16. 15, jam cit.) testatur se omnia habere quae Patris sunt, excepta profecto paternitate; atqui Pater habet virtutem spirandi, quae non est idem ac paternitas (alioquin Spiritus sanctus esset Filius Patris); ergo et hanc virtutem habet Filius, qui proinde cum Patre principium est Spiritus sancti. — Dicit S. Augustinus (de Trin., l. 15, c. 26, n. 47), « Sicut habet Pater in semetipso ut de illo procedat Spiritus sanctus, sic [dedisse] Filio ut de illo procedat idem Spiritus sanctus..... si enim quidquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet utique ut et de illo procedat Spiritus sanctus ».

114. — **V.** Traditionem quod attinet, *ex Graecis* citari possunt haec testimonia. — 1. *Origenes* (in Jo. t. 2, n. 6: M. 14. 130), « Solus unigenitus a principio natura Filius est, quo indigere videtur Spiritus sanctus, ministrante ipsius hypostasi, non solum ut sapiens sit, et rationis particeps, et justus, et omne id quod eum esse intelligendum est, ex Christi notionum, quae a nobis paulo ante commemorata sunt participatione ». Hunc tamen locum tanquam haeresi Macedonianorum faventem reprobarunt Patres

aliqui. — 2. *S. Gregorius Thaumat.*, qui discipulus fuit Origenis (in expos. fidei), « Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit: imago Filii perfecti ». — 3. Ex *S. Athanasio* (orat 1. contra Arianos, n. 48), « Spiritum ut sui proprium sanctis [Veteris Testamenti] ministrabat » Verbum; et (orat. 3, nn. 24, 25), « Ipse [Filius] dat Spiritui; et quaecumque Spiritus habet, haec a Verbo habet..... Verbum est in Patre, et Spiritus ex Verbo datur ». Docetque (epist. 3 ad Serap., n. 1), « Qualem scimus proprietatem esse Filii ad Patrem, eandem ad Filium habere Spiritum sanctum ». Item (de Incarn. et contra Arianos, n. 9), « Ait David: Quoniam apud te est fons vitae..... Noverat enim apud Deum Patrem Filium esse fontem Spiritus sancti ». — 4. *S. Epiphanius* (ancor., n. 67), « Christus ex Patre creditur, Deus ex Deo, et Spiritus ex Christo seu ab utroque, sicut ait Christus: Qui a Patre procedit, et: Hic de meo accipiet ». Et (haer. 62), « Non alienus est a Patre et Filio Spiritus sanctus, sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre et Filio ». — 5. *S. Gregorius Nyss.* (hom. 3. in orat. dom.), « Spiritus sanctus et ex Patre dicitur, et ex Filio esse simul testimonio confirmatur. Etenim: Si quis, inquit [Apostolus Rom. 8. 9], Spiritum Christi non habet, hic non est ejus ». — 6. *S. Cyrillus Alex.* (explic. duod. cap., declarat. 9: M. 76. 307), « Et si unigenitum Dei Verbum homo factum est, mansit tamen Deus, *omnia praeter solam paternitatem cum Patre communia habens:* Spiritumque sanctum, qui *ex ipso est*, ipsique essentialiter inest, *proprium habens* ». — 7. *S. Basilius* (de Spir. s., c. 18, n. 46), « Quin et Spiritus Christi dicitur, tanquam illi natura conjunctus..... Solus Spiritus digne glorificat Dominum. Ille enim inquit, me glorificabit [Jo. 16. 14]... Tanquam Paracletus in se ipso exprimit Paracleti [Jo. 14. 16] a quo missus est, bonitatem: et in sua propria dignitate, ejus a quo processit, majestatem exhibet ». Item (l. 3, contra Eunom., n. 1), « Quemadmodum Filius ordine quidem a Patre secundus est, quoniam ab illo est..... profecto et Spiritus sanctus, etsi tum ordine tum dignitate secundus a Filio est (ut tandem hoc etiam concedamus), tamen non jure [sequitur] ut sit alienae naturae ». De hoc autem posteriori loco valde disputatum est inter Graecos et Latinos in Concilio Florentino. Cf. Petavius, de Trin., l. 7, c. 3, n. 15; et annot. in ipsum S. Doctoris textum apud Migne (P. G., 29. 655).

Ex *Patribus latinis*, dicit 1. Tertullianus (contra Prax., c. 8), « Tertius enim est Spiritus a Deo et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine, et tertius a sole apex a radio ». — Ita 2. et *S. Ambrosius* (de Spiritu S.,

l. 1, c. 11), « Spiritus quoque sanctus cum procedit a Patre et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio ». — Similiter 3. *S. Augustinus* (contra Maximin., l. 2, c. 14, n. 1), « Non est a seipso Spiritus sanctus, sed ab illo de quo procedit. Et quia de utroque procedit, sicut jam ostendimus: unde et Spiritus Patris dictus est [Rom. 8. 11] et Spiritus Filii [Rom. 8. 9]. Non enim duo sunt Spiritus sancti tanquam singuli singulorum, unus Patris, alter Filii; sed unus potius Patris et Filii ». — Item 4. *S. Fulgentius* Ruspensis (ad quem Graeci quidam recentiores appellant), dicit (de Fide ad Petrum, c. 11, seu reg. 8, n. 54), « Firmissime tene, et nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum, qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et de Filio procedere..... De Filio quoque procedere Spiritum sanctum, prophetica atque apostolica nobis doctrina commendat ».

115. **VI.** Argumentum ergo generale ex traditione sic breviter proponi potest, cum Perrone, n. 347. — Ex dictis constat, 1. ecclesiam latinam semper dogma tenuisse de Spiritus sancti a Patre Filioque processione; 2. ecclesiam graecam dum in communione cum latina persisteret idem professam esse tum implicite, cum nunquam reclamasset contra latinos, tum directe, illud in S. Cyrilli epistola ad Nestorium in Conciliis Ephesino, Chalcedonensi, et Constantinopolitano II approbando; 3. utriusque ecclesiae Patres et scriptores ecclesiasticos in eandem sententiam convenisse. — Ergo dicendum est, vel universam ecclesiam per plura saecula veram amisisse fidem, vel graecos schismaticos in turpi haeresi versari; at primum ipsis fatentibus repugnat, posterius igitur unice remanet. Et ita argumentatus est ex ipsis Graecis in Concilio Florentino (in Oratione Dogmatica, cap. 9: Labbe, t. 13, col. 450, sqq.) Card. Bessarion.

116. **VII.** Ratione theologica ex S. Thoma (1, qu. 36, a. 2, corp.). Spiritus sanctus realiter distinguitur a Filio; atqui si non procederet a Filio, realiter ab ipso non distingueretur; ergo.

Minor (quae postea distinctius ostendetur) constat ex axiomate recepto S. Anselmi (l. de process. Spir. s., c. 2): in Deo omnia esse unum, « ubi non obviat aliqua relationis oppositio »: relationis enim oppositio in eo consistit, quod unus est ab alio; ergo nisi Spiritus sanctus a Filio procederet, non esset ab eo distinctus.

Solvuntur Objectiones

117. — Obj. 1. Non est admittenda processio divina, quae non sit aliquo modo tradita in Scripturis; atqui Scriptura *a*) nullibi dicit Spiritum a Filio procedere: dum *b*) ipse Christus di-

stincte docet eum procedere a Patre (Jo. 15. 26, « qui a Patre procedit ») : nec valet *c*) argumentum (II) desumptum ex missione Spiritus sancti a Filio, quippe quae intelligi possit de missione temporali ad extra : imo *d*) ipse Filius dicitur missus a Spiritu (Luc. 4. 18, « Spiritus Domini super me..... evangelizare pauperibus misit me ») : neque demum *e*) firmum est argumentum (III) ex verbis « de meo accipiet » (ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται) quippe quae exponi possint « de meo Patre accipiet », et, utpote in futuro (juxta receptum textum), certe intelligi nequeant de processione *aeterna;* ergo.

Resp. *Nego Maj.* Règula enim fidei est Traditio aeque ac Scriptura, ut fatentur ipsi Graeci. Sed hoc omisso,

Ad Min. per partes. — *a*) Scriptura implicite saltem (ut interpretantur Patres) docet Spiritus sancti processionem a Filio, quando dicit eum Spiritum Filii, mitti a Filio, accipere a Filio, etc.

Ad *b*) Spiritus dicitur procedere simul a Patre et Filio, ut in ipso versiculo objecto, « Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre » ; imo etiamsi dictus esset Spiritus a *solo* Patre procedere, non ideo excluderetur Filius (ut notat S. Thomas, 1, qu. 36, a. 2, ad 1) : Filius enim propter divinam simplicitatem prorsus unum est cum Patre in omnibus ubi non intervenit relationis oppositio. Hinc S. Cyrillus Alex. (thesaur., assert. 14 : M. 75. 238, sqq.), « Multa dicuntur inesse soli Patri, tametsi Filius iis omnibus non caret..... Omnia enim quae Patri insunt, naturaliter ac necessario in Verbum, quod ex ipso procedit, transeunt ».

Ad *c*) Mitti potest persona divina (non incarnata) ad effectum temporalem *ab illo solo a quo aeternaliter procedit.* Ait S. Thomas (contra gent., l. 4, c. 24), « Mittens autem auctoritatem habet in missum. Oportet igitur dicere quod Filius habeat aliquam auctoritatem respectu Spiritus sancti ; non autem dominii vel majoritatis, sed secundum solam originem. Sic igitur Spiritus sanctus est a Filio ».

Ad *d*) Filius dicitur missus a Spiritu sancto secundum naturam assumptam, ut respondet S. Thomas, l. c.

Ad *e*) Cum mentio Patris non praecesserit, phrasis τοῦ ἐμοῦ versiculi 14 non in masculino genere de ipso Patre, sed neutro genere de eo quod Filio inest intelligi debet ; idque confirmatur ex v. 15, « Omnia, quaecumque habet Pater, *mea* (ἐμά) sunt. Propterea dixi : Quia de meo (ἐκ τοῦ ἐμοῦ) accipiet (λαμβάνει) » ; imo teste Bessarione (Opusc. de procèss. Spir. s. : M. 161. 382) grammatica graeca interpretationem objectam prohibet. — Quod attinet multorum codicum futurum λήψεται (plurimi enim codices habent tempus praesens) : nequit certe Spiritus sanctus, qui est Deus, accipere

decursu temporis scientiam aut perfectionem ullam quam non habeat ab aeterno: sed quia sine initio et sine fine, sempiterne procedit et accipit a Filio, relate ad effectum aliquem ponendum ad extra in aliqua temporis differentia, vere dicitur: « Spiritus accepit, accipit, accipiet ». Ita S. Augustinus (in Jo., tract. 99, n. 5), « Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit: ergo et scivit et scit et sciet..... Ab illo igitur audivit, audit, et audiet, a quo est; ab illo est, a quo procedit ».

118. — Obj. 2. Scriptores ecclesiae graecae *a*) passim docuerunt Spiritum sanctum procedere ex Patre *per Filium:* item *b*) Patrem solum esse principium: ita S. Maximus in fragmento epistolae lecto in Concilio Florentino (Labbe, t. 13, col. 375) dicit « Unam causam [αἰτίαν] Filii ac Spiritus sancti Patrem; illius quidem secundum generationem, hujus autem secundum processionem »: imo *c*) S. Joannes Damasc. (de fide orthod., l. 1, c. 8, sub fin.) dicit, « Filium, item nec causam nec Patrem dicimus, verum potius eum ex Patre esse ac Patris Filium esse: denique Spiritum sanctum et ex Patre esse et Patris Spiritum nominamus; at vero cum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum vocitamus »; atqui haec manifeste adversantur nostrae doctrinae; ergo.

Resp. *Nego Min.* Ad *a*) in constructione hujusmodi veram aliquam rationem principii significat non tantum particula *a* vel *ex*, sed et particula *per*. Etenim α) ubi subjecta quae particulis reguntur non sunt hypostases distinctae, particula *per* formalem indicat causam (uti in propositionibus: a Deo per omnipotentiam factus est mundus; ab homine per intellectum intelligitur verum); β) indicat vero particula *per* causam secundariam efficientem, ubi subjecta sunt supposita distincta creata (v. g. ab artifice opus fit per instrumentum: rex loquitur per ministrum); γ) in divinis operationibus ad extra causalitatem *aequaliter principalem* sed *communicatam* significat particula *per* (v. g. mundus creatus est a Patre per Filium: quam locutionem non importare Filii inferioritatem, saepe defendunt Patres contra Arianos: cf. Franzelin, pp. 531, sqq.).

Jamvero δ) his translatis ad processiones divinas, quando dicitur Spiritus sanctus procedere a Patre per Filium, virtus spirativa utrique tribuitur, Filio tamen ut derivata a Patre. Aliis verbis, hac locutione significatur Pater esse Spiritus sancti principium non principiatum, Filius vero esse principium principiatum. Dicit proinde S. Cyrillus Alex. (in Jo., l. 9: M. 74. 282), « Licet enim ex Patre Spiritus sanctus procedat, venit tamen per Filium, et proprius est ejus. Omnia quippe sunt a Patre per Filium ». Hunc ipsum ordinem originis indirecte declarat etiam formula latina, non quidem particulis *ex* et *per*, sed ipsis nominibus *Pater* et *Filius* (« ex

Patre Filioque»). Proinde sensus manet idem : et revera dicunt nonnunquam Latini, Spiritum sanctum procedere ex Patre per Filium (ita Tertullianus, contra Prax., c. 4, « Spiritum non aliunde, puto, quam a Patre per Filium » ; S. Hilarius, de Trin., l. 12, n. 57, « Spiritum sanctum tuum, qui ex te per Unigenitum tuum est »), dum ex adverso aliqui Graeci docent Spiritum sanctum procedere ex Patre et Filio (ita praesertim S. Epiphanius et S. Cyrillus Alex., jam citati in probatione, n. 114).

Hinc S. Thomas, 1, qu. 36, a. 3, corp., « Quia igitur Filius *habet a Patre, quod ab eo procedat Spiritus sanctus*, potest dici, quod Pater per Filium spiret Spiritum sanctum, vel quod Spiritus sanctus procedat a Patre per Filium, quod idem est ». Et jam antea dixerat S. Augustinus (l. 15, de Trin., c. 17), Spiritum sanctum procedere *principaliter* a Patre, « quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur, sed *hoc quoque illi Pater dedit* », illum scilicet gignendo. Cf. Franzelin, thes. 36, n. 1.

Ex his facile respondetur ad *b*) et *c*). Nonnisi enim ut servarent modum loquendi determinatum et receptum et in sensu explicato, dicebant isti scriptores saecc. VII et VIII, solum Patrem esse Spiritus sancti principium, ac Spiritum ex solo Patre procedere. S. Joannem Damascenum a nobis in re dissentire, admisit quidem S. Thomas (1, qu. 36, a. 2, ad 3) : contrarium autem contendunt alii cum Card. Bessarione in citato opusculo « de process. Spir. S. » (col. 395, sqq.).

119. — Obj. 3. Vel virtus spirandi in Patre est inadaequata, vel spiratio Filii est superflua ; atqui dici nequit virtus spirandi in Patre esse inadaequata ; ergo.

Resp. *Nego Maj.* Quia eadem omnino et *unica virtus spirativa communis* est Patri et Filio. Quod ut declaretur sit :

120. — Scholion de unica spiratione Patris et Filii. — Spiritum sanctum a Patre et Filio tanquam *ab uno principio* et non a duobus principiis (quod opponebant Photiani) procedere, semper tenuit ecclesia latina, et expresse docuerunt Concilia Lugdunense et Florentinum (supra n. 109). Ita et decretum pro Jacobitis (Denz. 598), « Sed Pater et Filius non duo principia Spiritus sancti, sed unum principium : sicut Pater et Filius et Spiritus sanctus non tria principia creaturae, sed unum principium ». Et ratio hujus constat : etenim cum *Filius omnia quae Patris sunt, identice habeat a Patre praeter paternitatem*, una est et indivisa in utroque spiratio activa seu vis producendi Spiritum sanctum, ac proinde per eam Spiritum sanctum producentes, Pater et Filius etsi sint duo spirantes sunt unum tantum principium et *unus Spi-*

rator, non secus ac tres personae creantes, propter unitatem operationis creativae sunt unus solus Creator. Hoc totum jam clare exposuit S. Augustinus (de Trin., l. 5, c. 14, n. 15), « Fatendum est, Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia, sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum sanctum unum principium; ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus sanctus unum principium, sicut unus Creator et unus Dominus ».

§ 2. *Utrum particula « Filioque » jure et rationabiliter Symbolo sit addita*

121. — **Praenotanda.** — I. De quaestione *facti*, scilicet de auctore et tempore additionis hujus, res est valde obscura. Videtur consuetudo cantandi in Missis solemnibus symbolum Constantinopolitanum cum hac additione jam saec. V vel VI in ecclesiis Hispaniae praevaluisse, unde in Galliam, Angliam, Germaniam et Italiam successive transiit: sed nonnisi saec. XI sub Benedicto VIII Romae plene obtinuisse cernitur. Cf. Denz. 48.

II. Quaestio *juris* acriter disputata est inter Graecos et Latinos per plures sessiones Concilii Florentini. Non negabant quidem Graeci Symboli sensum posse explicari, sed vel illi qui doctrinam catholicam admiserunt, contendebant explicationem non posse jure ipsi Symbolo inseri, propter vetitum Conciliorum antiquorum, praecipue Ephesini (an. 431).

122. — **Propositio. Particula « Filioque » jure ac rationabiliter addita fuit Symbolo.**

Prob. I. Practice ex Decreto Unionis Concilii Florentini ab ipsis Graecis (excepto Marco Ephesino) admisso, ubi dicitur, « Definimus insuper explicationem verborum illorum, « Filioque », veritatis declarandae gratia, ac imminente tunc necessitate, licite et rationabiliter Symbolo fuisse appositam » (Denz. 586); necnon ex Symbolo Constantinopolitano, hac additione aucto, cantato inter Missarum solemnia a Patribus utriusque nationis in eodem concilio.

123. — **II.** Ratione theologica. — Ut jure et rationabiliter fiat additio hujusmodi, sufficit quod sit 1. explicatio veritatis jam in Symbolo contentae, quod 2. adsit necessitas vel justa causa eam faciendi; quod 3. fiat a legitima auctoritate; atqui additio « Filioque » his conditionibus gaudet; ergo jure ac rationabiliter facta est.

Major constat tum *a priori:* alioquin enim ecclesia munere suo fidem revelatam tuendi et haereses suborientes profligandi fungi non posset; tum *a posteriori* seu practice ex articulo Symbolo Nicaeno adjecto a Concilio Constantinopolitano I (an. 381), de Spiritus sancti divinitate contra Macedonianos.

Ad Minorem. — 1. Doctrinam hac particula declaratam jam in Symbolo (scilicet in verbis, « qui ex Patre procedit ») contentam esse, ex argumentis praecedentis paragraphi constat, et a Graecis in Concilio Florentino admissum est. — 2. Justam causam et necessitatem praebuit error, qui tunc latius grassabatur, contra processionem Spiritus sancti a Filio. — 3. Additionem factam esse a legitima auctoritate, scilicet a Concilio generali a Papa approbato, per se constat.

124. — **Dices.** Decrevit Concilium Ephesinum (act. 6), « Aliam fidem nemini licere proferre aut conscribere aut componere praeter definitam a SS. Patribus, qui in Nicaea cum Sancto Spiritu congregati fuerunt »; atqui additio « Filioque » huic decreto contrariatur; ergo rejicienda est.

Resp. *Dist. Maj.* Prohibuit Concilium Ephesinum ne quid doctrinae revelatae *contrarium* addatur, *conc.:* quam vim particulae graecae παρά illustrat textus Galat. 1. 8, 9; prohibet Concilium ne quid verae fidei *declarativum* addatur, *subd.:* particularium auctoritate, *conc.;* ab ipso ecclesiae magisterio supremo, quod prohibitionem istam constituit, *nego:* aliter enim Concilium Ephesinum damnasset Concilium Constantinop. I, quod symbolo Nicaeno post articulum « et in Spiritum sanctum », adjunxit verba, « Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit », etc.

Noluit quidem saec. IX Romanus Pontifex Leo III admittere additionem « Filioque » in Symbolo, quemadmodum postulaverat Concilium Aquisgranense, veteremque formulam tabulis argenteis inscriptam in confessionibus SS. Petri et Pauli apposuit. Id autem a suprema auctoritate sapienter factum est, ad uniformitatem inter ipsos Latinos servandam, et ne Graecis offensa daretur, nulla tunc necessitate declarationem fidei explicitam exigente.

§ 3. *Utrum Spiritus sanctus esset persona distincta a Filio si ab ipso non procederet.*

125. — **Praenotandum.** — Ex jam dictis, extra controversiam est inter Catholicos, quod Spiritus sanctus, si non procederet a Filio, essentialiter differret ab eo qui nunc est: non esset nempe

Spiritus ille sanctus qui nobis revelatus est; quaeritur autem ulterius, an ab intellectu humano omnino concipi posset existens *ut persona divina distincta a Filio*, si ab ipso non procederet.

1. Theologi aliqui Catholici, praesertim Scotistae, confitentes Spiritum sanctum *de facto* realiter distingui a Filio etiam per relationem oppositam originis (eo quod, secundum fidem catholicam, ab ipso procedat), dicunt nihilominus personas divinas non solum per oppositam originis relationem ab invicem *realiter* distingui, sed etiam per relationes *disparatas*, scilicet per modum diversum processionis, per intellectum et per voluntatem; ita ut si per impossibile Spiritus sanctus a Filio non procederet, adhuc ab ipso realiter distingueretur propter diversum modum procedendi, scilicet per operationem voluntatis. Haec Scotistarum sententia quamvis ab aliis theologis communiter rejecta, imo ab aliquibus « in fide non tuta » dicta, censurâ non est notanda (cf. Franzelin, p. 589, not.). — 2. Graeci schismatici ulterius progressi affirmant Spiritum sanctum *sola* relatione disparata, nullomodo relatione opposita originis realiter a Filio distingui.

126. — Propositio. Si Spiritus sanctus a Filio non procederet, non distingueretur realiter ab eo: seu generalius, personae divinae solis relationibus originis realiter inter se distinguuntur.

Prob. I. Auctoritate Patrum. — Ita v. g. S. Gregorius Nyssenus (contra Eunom., l. 1), « Excepta ratione principii sancta Trinitas nulla re in se ipsa discernitur ». Et S. Augustinus (tr. 39 in Jo., n. 4), « Hoc solo numerum insinuant, quod *ad invicem* sunt, non quod ad se sunt ». Ac S. Anselmus (l. de Process. Spir. S., c. 4) ait, « Quando confitemur Spiritum sanctum esse de Deo Patre: si idem Deus est, Pater et Filius, sequitur secundum eandem Deitatis unitatem, ut sit et de Filio ». Item ex Graecis S. Joannes Damascenus (de fide orth., l. 1, c. 8), « In his duntaxat personalibus proprietatibus tres sanctae Trinitatis personae inter se distinguuntur; non essentia, sed peculiari cujusque personae nota indivisim discretae ».

127. — II. Ratione theologica. — Non possunt personae ab invicem realiter distingui per ea quae sunt ipsis identice communia; atqui praeter solas relationes *oppositas* originis formaliter spectatas, omnia divina sunt tribus personis identice communia; ergo per solas relationes oppositas originis personae divinae realiter distinguuntur.

Prob. Min. Unaquaeque persona divina, utpote infinite perfecta habet ea omnia quae alia persona divina habet (imo ista omnia sunt unum simplicissimum *Esse* sine distinctione ulla reali),

iis solis exceptis quae in aliqua persona *repugnantiam* involverent; atqui in aliqua persona divina sola opposita relatio originis alterius personae repugnantiam involveret, v. g. paternitas divina in Filio, spiratio activa in Spiritu sancto: nihil enim potest esse sui ipsius principium; ergo praeter solas relationes oppositas originis omnia divina sunt tribus personis identice communia.

128. — **Corollarium.** — Hinc dicit Billuart (d. 5, a. 5), « Sicut in Patre intellectus et voluntas est eadem entitas virtualiter distincta, item generatio et spiratio activa sunt eadem entitas virtualiter distincta, ita [in hypothesi proposita, Spiritûs sancti a solo Patre procedentis] Filius et Spiritus sanctus foret eadem persona, quae quatenus procederet per intellectum diceretur Filius, quatenus per voluntatem diceretur Spiritus sanctus; sicut nunc una et eadem persona, quatenus producit per intellectum, dicitur Pater, quatenus per voluntatem, Spirator ».

Solvuntur Objectiones

129. — Obj. 1. SS. Patres (v. g. Gregorius Naz., Orat. 31, n. 9; Augustinus, de Trin., l. 5, c. 14) ex ipso diverso modo processionis (nempe per generationem, et spirationem) repetere solent distinctionem Filii et Spiritus sancti; atqui haec diversitas processionis adhuc haberetur, etiamsi Spiritus sanctus a Filio non procederet; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Patres, jam supposito personas esse distinctas, diversos processionis modos assignant ad explicandum, cur unus sit Filius et generatus, non vero alter, *conc.;* ad explicandum, cur procedat ut distincta persona, *nego.*

Inst. S.-Anselmus (l. de process. Spir. S., c. 4) docet Filium et Spiritum sanctum realiter distingui propter diversum modum procedendi (« alter nascendo, alter procedendo..... Et ideo..... etsi per aliud non essent plures [realiter distincti] Filius et Spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi »); atqui diversus esset modus procedendi utriusque, etsi Spiritus sanctus a Filio non procederet; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* S. Anselmus docet eos distingui nativitate et processione, quae nunc sunt et ut nunc sunt (idest per processionem quae sit ex Patre et Filio), *conc.;* nativitate et processione quibuscumque et quomodocumque consideratis, *nego.* Videlicet supposito, Filium jam procedere ab intellectu, habet a Patre omnia

divina, excepta generatione activa seu paternitate, ac proinde spirationem activam : unde si Spiritus sanctus supponitur per voluntatem procedere, eo ipso a Filio procedit. De cetero, difficultas est hermeneutica, cum S. Anselmus distincte dicat (op. cit. c. 2), in divinis omnia esse unum, « ubi non obviat aliqua relationis oppositio ».

130. — Obj. 2. Si Spiritus sanctus procederet a solo Filio, adhuc distingueretur a Patre ; atqui tunc nulla esset oppositio relationis inter Patrem et Spiritum sanctum ; ergo a pari realiter distingueretur Spiritus sanctus a Filio, etiamsi ab ipso non procederet.

Resp. *Dist. Min.* Nulla esset oppositio immediata, *conc.;* mediata, *nego:* quia Spiritus sanctus procederet a Filio per virtutem acceptam a Patre : quemadmodum nepos, licet non sit ab avo nisi mediante patre habet tamen ordinem originis ad avum. Obiter tamen notandum est, in divinis unicam tantum esse generationem, ac proinde Spiritum sanctum non esse nepotem : cf. Petav., l. 7, c. 16, n. 3.

Inst. Filiatio realiter distinguitur a spiratione passiva (quatenus videlicet est in Spiritu sancto) ; atqui inter eas nulla est relatio opposita ; ergo etiamsi Spiritus sanctus non procederet a Filio, esset persona distincta.

Resp. *Dist. Maj.* Filiatio quatenus nunc est, idest, quatenus est simul spiratio activa, realiter distinguitur a spiratione passiva, *conc.;* realiter distingueretur, si Spiritus sanctus a Filio non procederet, *nego.* Esset enim tunc virtualis tantum distinctio, et eadem persona foret Filius ut procedens per intellectum, ac Spiritus sanctus ut procedens per voluntatem.

Contradist. Min. Nulla est oppositio inter filiationem et spirationem passivam abstracte consideratas, *conc.;* spectatas ut revera sunt, *nego.*

131. — Obj. 3. Constitutivum unius est distinctivum illius ab omni alio ; atqui filiatio est constitutiva Filii ; ergo et distinctiva illius a quolibet alio et consequenter a Spiritu.

Resp. *Negari potest Major.* « Sic rationabile, v. g. (ait Billuart, l. c.) quod est constitutivum hominis, distinguit illum ab omni alio distincto [puta, ab animali bruto], non tamen distinguit illum ab animali quod identificatur cum homine ; similiter Paternitas constituit Patrem, et tamen non distinguit illum a Spiratore, quia identificatur cum Patre ». Sed hoc omisso,

Dist. Min. Filiatio, quatenus importat totum quod nunc est, v. g. spirationem activam, constituit Filium, *conc.;* quatenus importat tantum acceptionem naturae divinae, quae non includeret

totum quod nunc est in filiatione, *nego;* quia (ut notat Witasse) non esset in Filio idem, quod nunc est, constitutivum ac distinctivum; nec forent duae personae, sed una sub diversa ratione genitae et spiratae.

ART. 2. — PER QUAM OPERATIONEM PROCEDAT SPIRITUS SANCTUS

132. — Propositio. Spiritus sanctus per operationem voluntatis procedit. — Communis sententia contra Durandum.

Prob. I. Nomen « spiritus sanctus » quod tertiae personae in Scriptura tribuitur, significat quatenus proprium est, ipsam esse sanctitatem spiratam; atqui non est sanctitas spirata, nisi per voluntatem procedat; ergo.

Prob. Maj. Tertia persona non proprie dicitur « Spiritus sanctus » quia naturam incorpoream et sanctitatis proprietatem habet: in hoc enim sensu Pater et Filius sunt spiritus et sancti, et hoc nomine, tanquam omnibus communi, nonnunquam vocantur a Patribus (v. g. a S. Irenaeo, l. 5, c. 1, n. 3; a Tertulliano, contra Prax., n. 27; a S. Hilario, de Trin., l. 2, n. 26); reliquum ergo est, ut dicatur Spiritus (ait Kleutgen, n. 1018), « quatenus *spiritus* halitum significat ex vivente natura procedentem, et *sanctus* quemadmodum sanctum est, quod ex sancto principio prodit ». Idque confirmatur ex S. Cyrillo Alex. (in Jo. l. 9, 14, 16, 17: M. 74. 258) dicente Patrem et Filium ita in se habere Spiritum, « quomodo unusquisque nostrum suum in seipso spiritum continet, et ex intimis visceribus foras profundit. Idcirco enim Christus insufflavit ipsum [Spiritum] corporaliter, ostendens quod sicut ex ore humano spiritus prodit corporaliter, sic et ex divina substantia deitati convenienter [i. e. modo, qui Deo congruat] Spiritus, qui ex eo est profunditur ».

Minor constat: sicut enim Filius dicitur sapientia genita eo quod procedit per intellectum, ita ille qui est sanctitas spirata procedat necesse est per voluntatem, cum sanctitas ex voluntate oriatur.

133. — II. Post Patres plurimos (v. g. SS. Gregorium M., Augustinum, Ambrosium, Bernardum, apud Kleutgen, n. 1019, et annot.), theologi omnes, si Durandum excipias, vocant Spiritum sanctum « amorem » et « caritatem » speciali nomine, idque cum aliquo fundamento in Scriptura, quae (Rom. 5. 5) tribuit Spiritui sancto diffusionem caritatis; atqui haec supponunt Spiritum sanctum per voluntatem procedere; ergo.

Prob. Min. Lex appropriationis est, ut ea attributa personis singulis addicantur, quae cujusvis personae proprietati adeoque

origini respondeant, sicut v. g. potentia attribuitur Patri quia primum principium est, et Filio sapientia quia est Patris verbum (infra, n. 201); atqui nisi Spiritus sanctus per voluntatem procedat, non potest ipsi appropriari « amor », quippe qui certe per voluntatem oritur. Cf. Franzelin, thes. 26, n. II, pp. 398, sqq.

134. — **III.** Spiritus sanctus per appropriationem speciali modo dicitur « donum Dei »; atqui hoc non jure diceretur, nisi per voluntatem procedat; ergo.

Major constat ex modo loquendi traditionali: etsi enim tota Trinitas se justis donet, tamen ut dicit S. Augustinus (de Trinit., l. 15, c. 17, n. 29), « non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec Donum Dei nisi Spiritus sanctus »: et hoc videtur fundamentum habere in Scriptura (v. g. Act. 2. 38, « Accipietis donum Spiritus Sancti »; 8. 20, « Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri »).

Prob. Min. Spiritus sanctus dici nequit per appropriationem speciali modo donum Dei nisi ob personalem proprietatem et originem; atqui ad rationem doni necesse est ut per voluntatem oriatur: etenim non omnis res data, sed ea tantum dicitur donum, quae ex amore aut benevolentia datur; ergo.

135. — **IV.** Ratione theologica confirmatoria: Processio Spiritus sancti est per operationem vitalem immanentem, eamque diversam ab illa per quam procedit Verbum; atqui praeter operationem intellectus per quam procedit Filius, remanet tantum operatio voluntatis; ergo per ipsam procedit Spiritus sanctus.

Solvuntur Objectiones

136. — Obj. 1. Spiritus sanctus dicitur saepe Spiritus veritatis, et mitti dicitur ut homines doceat; atqui haec ostendunt eum procedere per intellectum; ergo.

Resp. *Nego Min.* Propter alias enim rationes ita vocatur: v. g. *a*) quia adversatur spiritui mundi, qui est spiritus mendacii; *b*) quia est Spiritus Christi, qui est ipsa Veritas: ita explicant S. Cyrillus Alex (in Jo. l. 9: M. 74. 258) et S. Basilius (hom. contra Sabell., n. 6); *c*) quia veritatem hominibus ex amore nuntiat.

137. — Obj. 2. Si Spiritus sanctus procedit per voluntatem, processio ejus eadem est ac processio creaturarum; atqui hoc dici nequit; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Si processio ejus esset ex libero consilio voluntatis et ad extra, *conc.;* si Spiritus sanctus aeque necessario est ac ipse Pater et Filius, *nego.*

138. — Obj. 3. Modus processionis qui est personae alicui divinae proprius, nomine communi designari nequit; atqui nomen « amor » aut « caritas », ex quo suadetur Spiritus sancti processio per voluntatem, commune est omnibus personis; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Modus processionis designari nequit nomine communi ea ratione sumpto qua est omnibus commune, *conc;* sumpto ratione qua uni est proprium, *nego.* Ita nomen « sapientia », quod simpliciter dictum commune est tribus personis, sumptum ut Verbum prolatum et genitum, de solo Filio dicitur.

Pariter dist. Min. Amor simpliciter dictus communis est tribus personis, *conc.;* amor spiratus, seu terminus internus dilectionis, est communis, *nego.* In casu videlicet intellectûs habentur distincta nomina diversimode significantia, nempe *intellectus* essentialiter, *dictio* notionaliter, *Verbum* personaliter; de voluntate vero, « propter vocabulorum inopiam », ut dicit S. Thomas (1, qu. 37, a. 1), unum et idem nomen *amor* dicitur essentialiter de operatione amandi tribus personis communi, personaliter de persona procedente, et notionaliter tanquam spiratio amoris. Cf. S. Thomas, 1, qu. 37, art. 1, 2.

Obs. ex S. Thoma (l. c., a. 2, ad 3). « Sicut Pater dicit se, et omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repraesentat Patrem, et omnem creaturam: ita diligit se, et omnem creaturam Spiritu sancto, in quantum Spiritus sanctus procedit ut amor bonitatis primae, secundum quam Pater amat se, et omnem creaturam. Et sic etiam patet, quod respectus importatur ad creaturam et in Verbo, et in Amore procedente quasi secundario, inquantum scilicet bonitas, et veritas divina est principium intelligendi, et amandi omnem creaturam ».

CAPUT QUINTUM.

De duarum Processionum Discrimine

139. — Jam vidimus Filium a Patre per operationem intellectûs, Spiritum vero sanctum a Patre et Filio per operationem voluntatis procedere: nunc declarandum est et ex jam traditis aliquatenus explicandum harum processionum praecipuum discrimen, nempe quod processio Filii, juxta definitionem Concilii Nicaeni I contra Arianos, sit vera generatio, non ita vero processio Spiritus sancti.

ART. I. — DUARUM PROCESSIONUM DISCRIMEN STATUITUR

140. — **Praenotanda.** — *Generatio* definita fuit a S. Thoma (1, qu. 27, a. 2), « Productio viventis a vivente ex principio conjuncto in similitudinem naturae »: addunt theologi recentiores, ut sensum formalem exprimant, « vi processionis formaliter », aut, « ex ipso modo processionis ». Cf. Franzelin, thes. 31.

Dicitur 1. « Productio », seu « origo »: quae particula stat in loco generis, et convenit omnibus productionibus.

2. « Viventis a vivente »: qua particula excluditur productio unius ab alio in inanimatis (sicut dicitur v. g. ignis aut vapor generari ab igne), quae nonnisi improprie vocatur generatio. — Locutio « a vivente » exprimit causam efficientem generationis.

3. « Ex principio conjuncto »: idest, ex substantia generantis, seu per aliquam activam communicationem substantiae, aut *partialem* videlicet ut in creaturis, aut *totius substantiae* ut in divinis. — Defectu hujus conditionis, quae causam materialem exprimit, angeli et homines non sunt a Deo geniti, quia licet sint viventes a Deo vivente procedentes, nihil tamen in se habent divinae substantiae. Proinde metaphorico tantum sensu dicitur Deut. 32. 18, « Deum qui te *genuit*, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui » (cf. Is. 46. 3). Similiter in novo Testamento Jac. 1. 18, « Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae ejus ».

4. « In similitudinem naturae ». Haec verba indicant causam finalem: finis enim generationis in creaturis est propagatio et conservatio naturae in alio simili. Defectu hujus conditionis, capilli v. g. et ungues, etsi ex substantia hominis sint, non sunt filii.

5. « Vi processionis formaliter ». Idest, genitus debet esse similis generanti *ex ipso modo processionis*, nec sufficit ut similitudo de facto existat, nisi ratio ejus in ipso originis modo habeatur. Aliis verbis, juxta hanc conditionem genitus debet procedere a generante *modo ex natura sua assimilativo:* vel, ut ait Franzelin (p. 445), requiritur, « ut ex ipso modo processionis producatur substantialis imago producentis ». — Defectu hujus conditionis (quae indicat causam formalem), productio Evae v. g. ex costa Adami, licet fuerit quodam sensu *a*) origo viventis a vivente, *b*) ex substantia Adami, et *c*) in similitudinem naturae, non fuit generatio: potuisset enim ex illa costa fieri equus aut quidquam aliud. Actio scilicet « aedificandi » Adae costam ex se *indifferens* fuit ad plurima, juxta specialem aedificantis voluntatem: actio vero gene-

rativa, qua productus fuit v. g. Cain, ex se *naturaliter determinata* est ad *simile producendum.*

141. — **Propositio. Processio Verbi est generatio, non vero processio Spiritus sancti.** — De fide quoad utramque partem.

Prob. prima pars. — Illius processio est vera et propria generatio, qui in Scripturis dicitur simpliciter et specialiter Filius a Deo Patre genitus; atqui in Scriptura Verbum dicitur « Filius proprius Patris » (Rom. 8. 32), « tanquam Filius in domo sua » (Hebr. 3. 6), « Filius verus » (1 Jo. 5. 20), « Filius unigenitus » (Jo. 1. 18; 3. 16; 1 Jo. 4. 9): de ipsius etiam generatione aeterna, secundum communem Patrum interpretationem, intelligenda sunt, « Filius meus es tu, ego hodie genui te » (Ps. 2. 7), « ex utero ante luciferum genui te » (Ps. 109. 3); ergo processio Filii est generatio.

142. — **Prob. secunda pars.** — **I.** Ex una parte Spiritus sanctus in Scripturis nunquam vocatur Filius (hoc enim nomen in connumeratione trium personarum secundae tantum tribuitur), nec dicitur gigni aut nasci, sed tantum procedere (v. g. Jo. 15. 26, « Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis qui a Patre procedit »): ex alia vero parte Verbum dicitur *unigenitus* Filius (Jo. 1. 14; 3. 16, 18; 1 Jo. 4. 9); atqui haec vera non essent, si Spiritus sancti processio generatio esset; ergo.

143. — **II.** Ita docent et Patres, v. g. S. Athanasius (epist. 1 ad Serap., n. 16), « Nusquam in Scripturis sacris Spiritus filius dictus est, ne frater esse existimaretur: uti nec filius Filii, ne Pater avus crederetur. Sed Filius, Patris est filius; et Spiritus, Patris Spiritus dictus est ». Sic et S. Basilius (hom. contra Sabell., n. 7), « Filius quidem ex Patre per generationem, Spiritus vero ex Deo arcano modo et ineffabili ». Ac S. Augustinus (de fide et symb., c. 9, n. 19), « Servant tamen [Scripturarum tractatores] ut non genitum Spiritum S. tanquam Filium de Patre praedicent; unicus enim est Christus ».

III. Idem liquet ex Symbolis, nempe 1. Apostolorum, « Et in Jesum Christum, *Filium* ejus *unicum* »; 2. Nicaen., « Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei *unigenitum* »; 3. Athanas., « Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed *genitus*: Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, *nec genitus, sed procedens* ».

144. — **Scholion de termino generationis divinae.** — Inquirunt theologi, qui sit terminus formalis, qui terminus adaequatus generationis divinae. — Generatim, terminus *adaequatus*, qui etiam simpliciter terminus appellatur, res ipsa tota est, quae ope-

ratione procedit; terminus *formalis* vocatur, id quod in re tanquam forma, seu tanquam id, quod determinat, inest. Sic terminus adaequatus sculpturae statua est, formalis terminus est figura in ligno vel marmore efficta; similiter generationis humanae effectus adaequatus est homo, formalis natura humana. — Jamvero generationis divinae terminus adaequatus est Filius, ut patet. De termino autem formali dissentiunt theologi, sed communis nunc sententia, quam tradit ultimo S. Thomas in Summa (1, qu. 41, a. 3), docet hunc terminum esse ipsam naturam divinam, ut communicatam Filio, non vero proprietatem personalem seu filiationem: natura enim divina est id quod communicatur Filio in generatione, et in quo Filius Patri assimilatur: dum e contra per proprietatem potius ab ipso discernitur. — De processione Spiritus sancti pariter dicendum est

Art. 2. — De ratione discriminis inter duas processiones

145. — Praenotanda. — De hac re dicit S. Augustinus (contra Maxim., l. 2, c. 14, n. 11), « Amborum [Patris et Filii] ergo est Spiritus, procedens de ambobus. Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest?..... Distinguere inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio ». Ita postea S. Joannes Damascenus (de fide orth., l. 1, c. 8), « Et quidem generationem inter et processionem discrimen intercedere edocti sumus: ceterum quis sit hujus distinctionis modus, prorsus nescimus ». Hujus ergo quaestionis probabiles tantum, non decretorias solutiones afferre profitentur theologi. Ut vero solutio quaevis sit probabilis, explicare profecto debet, quomodo ex duobus qui in divinis procedunt viventes a vivente ex principio conjuncto, in similitudinem naturae, unus tantum procedat *vi processionis formaliter principio suo naturâ similis* ac proinde Filius, non vero alter.

I. Richardus Victorinus (l. 6, de Trin., c. 18), Alensis (p. 1, qu. 42, m. 2), et alii dicunt processionem Verbi esse generationem, quia vi processionis suae accipit Verbum naturam fecundam ad producendam aliam personam, et sic procedit similis Patri in natura: secus autem Spiritus sanctus.

Contra est: 1. Si ad similitudinem naturae requireretur fecunditas, *a*) soboles steriles in creaturis diversae essent naturae a parentibus: ac *b*) in divinis Spiritus sanctus alteram naturam haberet ac Pater et Filius: imo *c*) ipse Filius non foret perfecte similis Patri in natura, eo quod fecundus non est quoad intel-

lectum sed tantum quoad voluntatem. — 2. Etiamsi Spiritus sanctus produceret aliam personam, non esset tamen Filius.

II. Suarez (l. 11, c. 5, n. 16) docet (saltem ut explicationem ulteriorem sententiae S. Thomae, quae mox probanda est), essentiam divinam juxta nostrum concipiendi modum primario et specifice consistere in intellectione actuali (« ipsam actualem intellectionem esse quasi formale constitutivum illius naturae », sicut v. g. homo constituitur in esse hominis per *rationale*, quod reliqua omnia propria hominis consequuntur); Verbo autem vi suae per intellectum processionis primario communicari intellectionem, ut intellectio est; ac proindè vi processionis Verbum esse simile Patri in essentia; quod verum non est de Spiritu sancto, cui, vi processionis per voluntatem, primario communicatur volitio: intellectio autem tantum per concomitantiam et consecutive.

Contra est: 1. Negant perplurimi theologi intellectionem actualem esse formale constitutivum naturae divinae. — 2. Verbum divinum vi processionis est simile rei cognitae qua tali; atqui res cognita est essentia divina non solum qua intellectiva, sed etiam qua volitiva; ergo vi processionis communicatur Verbo non solum intellectio sed volitio et omnia attributa. Cf. Coninck, d. 5, dub. 5, sect. 4.

II. Henno (qui apud Billuart, d. 2, a. 5, sententiam tribuit S. Bonaventurae et Scoto) dicit solam processionem Verbi esse generationem, quia Verbum procedit ex agente *naturaliter determinato* ad producendum simile, scilicet ex intellectu: Spiritum sanctum vero ex voluntate, quae etiam in divinis habet libertatem essentialem.

Contra alteram saltem hujus explicationis partem dicendum: Per essentialem illam divinae voluntatis libertatem intelligitur vel 1. libertas indifferentiae, vel 2. libertas a coactione. Si 1: sequeretur, Patrem et Filium potuisse non producere Spiritum sanctum, quemadmodum Creator potuit non producere creaturas: quod esset haereticum asserere. Si 2. libertas a coactione intelligitur: processio Verbi aeque gauderet immunitate a coactione ac processio Spiritus sancti: ergo nulla explicatio.

His ergo et nonnullis aliis opinionibus, quas exhibet Billuart, sepositis, videtur omnino praeferenda cum communiori sententia explicatio S. Thomae, 1, qu. 27, a 4.

146. — Propositio. Ideo processio Verbi est generatio, et non processio Spiritus sancti, quia processio Verbi est per intellectum, qui vi sua est assimilativus, et processio Spiritus sancti est per voluntatem, quae non est vi sua assimilativa.

Prob. prima pars. — **I.** Ex Patribus, qui dicunt Filium ideo esse genitum, quia est Verbum seu terminus intellectionis. Sic S. Augustinus (Epist. 102, qu. 2, n. 11), « Christum [dicimus] Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, et ideo Filium, quia Verbum; nec verbum dictum, atque transactum, sed apud incommutabilem Patrem incommutabile ipsum, atque incorruptibiliter manens »; et alibi (Tr. 49 in Jo., n. 6), « Verbum Dei semper cum Patre, et semper Verbum: et quia Verbum, ideo Filius ». Ita et alii plurimi, v. g. Theophilus Antiochenus, Clemens Alex., SS. Athanasius, uterque Gregorius Nyssenus et Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius (apud Petavium, l. 7, c. 14, nn. 3, sqq.).

147. — **II.** Processio ista est vera generatio, quae est origo viventis a vivente, ex principio conjuncto, in similitudinem naturae vi processionis; atqui 1. processio Verbi est origo viventis a vivente: nam « sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso » (Jo. 5. 26); 2. processio Verbi est ex principio conjuncto, scilicet per communicationem totius substantiae divinae; 3. est in similitudinem naturae vi processionis: omnis enim intellectus vi propria sua tendit ad producendum terminum rei cognitae similem, idque eo perfectius quo perfectior est intellectus: intellectus autem quo Pater naturam suam cognoscit perfectissimus est, ac proinde propria vi sua producit perfectissimam sui imaginem, scilicet Verbum; ergo.

148. — **Prob. secunda pars.** — Spiritus sanctus procedit per voluntatem, et est terminus productus divinae dilectionis (amoris affectus immanens); atqui terminus hic divinae dilectionis non est, vi processionis, similis suo principio; ergo Spiritus sanctus non est generatus.

Minor constat ex ipsa notione amoris (quatenus est terminus productus): est enim impulsus, seu tendentia erga bonum amatum, et complacentia in illo: non est vero ex natura sua hujus objecti amati imago, similitudo aut effigies. — Ait Franzelin (thes. 31, p. 446), « voluntas volendo ex natura sui actûs non similitudinem rei amatae producit, sed inclinationem ad rem amatam et complacentiam in illa ».

149. — **Dices. 1.** Non admittunt omnes, intellectum producere verbum repraesentativum objecti cogniti; atqui principium incertum hujusmodi non est de dogmate revelato adhibendum; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Non licet ex principio incerto doctrinam demonstrare, *conc.;* non licet doctrinae certae explicationem aliquam ex principio probabili desumere, *nego.*

Inst. Intellectus vi sua tendit in similitudinem non substantialem sed intelligibilem tantum; atqui Filius est imago substantialis Patris; ergo non valet explicatio.

Resp. *Dist. Maj.* Intellectus imperfectus et creatus vi sua tendit in similitudinem tantum intelligibilem, *conc.;* divinus et perfectus, *nego:* neque enim in Deo potest esse aliquid accidentale.

150. — Dices 2. Ille procedit per generationem qui procedit perfecte similis principio suo; atqui Spiritus sanctus procedit ut Deus et ideo perfecte similis principio suo; ergo procedit per generationem.

Resp. *Dist. Maj.* Si procedit perfecte similis principio suo, vi processionis formaliter, *conc.;* aliter, *nego.*

Dist. Min. Spiritus sanctus procedit ut Deus, et ideo identice est perfecte similis principio, *conc.;* formaliter vi processionis, *nego.*

Inst. Homo procedens ab homine semper est filius; atqui Spiritus sanctus procedit Deus a Deo; ergo est Dei filius.

Resp. *Dist. Maj.* Homo procedens ab homine modo per se assimilativo est filius, *conc.;* aliter, *nego.* — *Contradist. Min.*

151. — Obs. Ex dictis, Spiritus sanctus non est *genitus*, nec tamen dici debet *ingenitus:* hoc enim nomen semper habitum est ut proprium et characteristicum Patris, quippe qui principii est expers (cf. Petavius, l. c., n. 11; Franzelin, thes. 25, n. II). Multo minus dicit potest Spiritus sanctus *factus* aut creatus: hinc generali vocabulo dicitur *procedens* (« non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens »: Symb. Athanas.). Illius proinde origo, cum proprio nomine careat, dicitur simpliciter « processio », vel exprimitur nomine metaphorico « spiratio », quod a S. Thomae temporibus adhiberi coepit, et a Concilio Florentino sancitum et consecratum est. Cf. S. Thomas, 1, qu. 27, a. 4, ad 3.

QUAESTIO QUARTA

DE IIS IN QUIBUS DIFFERUNT DIVINAE PERSONAE

Agendum est duplici capite de relationibus et notionibus divinis.

CAPUT PRIMUM

De Relationibus divinis

152. — **Praenotanda.** — I. *Relatio* est ordo, respectus vel habitus unius ad alterum; hinc ejus essentia et ratio formalis est « ad aliud se habere », ac proinde in omni relatione habentur *subjectum* seu id quod ad aliud refertur, *terminus* seu id ad quod subjectum refertur, et *fundamentum* seu ratio propter quam subjectum ad terminum refertur: ita in relatione patris ad filium, pater est subjectum, filius est terminus, generatio est fundamentum.

153. — II. Relatio distinguitur in *realem* et *rationis*. — 1. Relatio realis est ea quae in rebus ipsis invenitur: et ad eam requiritur *a*) ut extrema (subjectum et terminus) sint realia, *b*) ut sit realis inter ea distinctio, *c*) ut sit reale relationis fundamentum in utroque extremo: ita v. g. relatio inter patrem et filium, inter substantiam et accidentia. — 2. Relatio rationis ea est quae in mentis tantum consideratione est; seu ea est in qua unum et alterum refertur non secundum rationem existendi sed secundum rationem intelligendi: ita v. g. relatio substantiae ad naturam, puta, Jacobi ad suam humanitatem.

154. — III. Relatio tum realis tum rationis potest habere duplicem respectum, vel 1. ad subjectum in quo est, et respectus ille dicitur *esse in:* ita v. g. paternitas quatenus est in patre; vel 2. ad terminum oppositum, et hic respectus dicitur *esse ad:* ita paternitas relate ad filium.

155. — IV. *In Deo*, relationes personarum divinarum ad se invicem (nec enim de relationibus ad creaturas hic agimus) sunt vel 1. *communes*, nempe identitas, similitudo, aequalitas: de quibus

id tantum notandum est, quod juxta S. Thomam et communem sententiam, contra Scotum, non sunt reales : vel 2. *personales* seu *originis*, v. g. paternitas, filiatio : et de iis inquiritur, 1. an, quot, et quid sint, 2. an et quomodo distinguantur tum ab essentia tum a se invicem, 3. quod sit earum munus.

Art. 1. — De numero et quidditate relationum originis

156. — Propositio. Quatuor sunt in Deo relationes originis, nimirum paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva; quae relationes sunt reales; et etiam subsistentes: excepta, secundum communem sententiam, spiratione activa.

Prob. prima pars. — Singulis processionibus respondent duae relationes, una producentis ad productum, altera producti ad producentem; atqui duae sunt in Deo processiones, ut supra probatum est (n. 82); ergo.

157. — Prob. secunda pars. — Relatio *realis* ibi agnoscenda est, ubi extrema sunt realia, realiter distincta, et ubi reale relationis fundamentum in utroque extremo habetur; atqui in unaquaque relatione originis ista tria manifeste habentur; ergo.

Prob. tertia pars. — Ut aliquid dicatur *subsistens*, requiritur et sufficit, ut sit substantia singularis, integra, tota in se; atqui unaquaeque relatio originis 1. est substantia : nihil enim accidentale in Deo est; 2. singularis, nempe vel haec paternitas, vel haec filiatio, vel haec spiratio passiva; 3. integra, non habens, propter divinam simplicitatem, rationem partis; 4. tota in se, sine communicatione : paternitas v. g. non communicatur Filio; ergo. — Dicit S. Thomas (1, qu. 29, a. 4), « Relatio autem in divinis non est sicut accidens inhaerens subjecto, sed est ipsa divina essentia; unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina significat relationem ut subsistentem ».

Prob. quarta pars. — Omne subsistens est totum in se; atqui spiratio activa, utpote communis Patri et Filio, non est tota in se; ergo non est subsistens. — Praeterea, in contraria hypothesi, forent quatuor subsistentes, seu « quaternitas » in Deo, quod ex Concilio Lateranensi IV (Denz. 358), admittendum non est.

Art. 2. — De distinctione divinarum relationum

158. — Praenotandum. — Relationes divinae comparari possunt vel cum essentia, vel inter se. Si inter se : comparantur vel cum relationibus *oppositis*, v. g. paternitas cum filiatione, spira-

tio activa cum passiva; vel cum relationibus *disparatis* et minime oppositis, qualis est spiratio activa comparata cum paternitate et filiatione. — Inquiritur proinde 1. an et quomodo relationes ab essentia distinguantur, 2. an relationes sibi mutuo oppositae realiter a se distinguantur, 3. an spiratio activa realiter distinguatur a paternitate et filiatione.

159. — Propositio I. Relationes originis ab essentia 1. non realiter, sed tantum 2. virtualiter distinguuntur.

Prob. prima pars, quae decreto speciali declarata est ab Eugenio III in Concilio Rhemensi (an. 1148: Denz. 329), ac postea (an. 1215) in Concilio Lateranensi IV (Denz. 358), contra errores Gilberti Porretani et Abbatis Joachim. — **I.** In divinis omnia sunt unum, « ubi non obviat aliqua relationis oppositio »; atqui inter relationes et essentiam nulla obviat relationis oppositio: relationes enim nec producunt essentiam nec ab ipsa producuntur; ergo relationes et essentia non sunt realiter distinctae.

160. — **II.** Si relatio Deo interna realiter esset ab essentia divina distincta, Deus omnisque persona divina rebus duabus, essentia et relatione, constaret; atqui compositio hujusmodi ex duabus rebus realiter distinctis repugnaret in Deo summe simplici; ergo (1).

III. — Si relationes realiter ab essentia distinguerentur creaturae forent, nec adorandae essent; atqui (ut argumentatur S. Thomas, 1, qu. 28, a. 2), relationes divinae adorandae sunt, juxta verba Praefationis Missae, « Ut in personis *proprietas*, et in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas »; ergo.

161. — Prob. secunda pars. — Virtualiter saltem distinguuntur illa, de quorum uno aliquid affirmatur, quod de altero negatur: idem enim affirmari et negari nequit de eodem et sub eodem respectu; atqui de relationibus divinis aliquid affirmatur, quod

(1) Attamen, « *secundum nostrum modum omnia per compositionem intelligendi* (ut ait Franzelin, thes. 23, n. II, p. 356) possumus personam concipere ut hunc unum sub ratione relativi distinctum ab aliis ejusdem naturae, qui habeat naturam, seu cujus sit natura divina velut forma metaphysica (ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, Phil. 2. 6); sic concipitur *relativum in recto, absolutum in obliquo*. Vel quod eodem redit, possumus concipere essentiam, quae velut affecta sit relatione sive paternitatis sive filiationis sive processionis, et ita formaliter ut affecta tali determinata relatione est hic unus per relationem distinctus ab aliis, seu est subsistens distinctus; sic spectatur *essentia in recto, relatio velut afficiens in obliquo*. Ex ipsa vero infinitate essentiae et simplicitate personae divinae evidens est, relationem non esse aliquam realitatem distinctam et superadditam essentiae, vel essentiam non esse propriam formam nec realiter distinctam a relativo; sed solummodo rem simplicissimam sub duplici ratione absoluti et relativi apprehendimus, cui utrique vere respondet una et eadem res, hancque duplicem rationem secundum notiones ex creaturis praehabitas per modum compositionis conjungimus ». Similia habet idem Franzelin in tract. de Verbo incarn. thes. 29, coroll. 4.

de essentia negatur: essentia enim dicitur v. g. communicari Filio non vero paternitas: dicitur produci filiatio vel spiratio passiva, non vero essentia; ergo.

162. -- **Propositio II. Relationes originis, quae sibi mutuo opponuntur, nimirum paternitas, filiatio, et spiratio passiva, a se invicem realiter distinguuntur; spiratio autem activa non distinguitur realiter a paternitate, nec a filiatione.**

Prob. prima pars. -- **I.** Quae constituunt personas realiter distinctas debent esse a se invicem realiter distincta; atqui relationes oppositae ejusmodi sunt; ergo realiter distinguuntur.

II. Nihil potest esse sibi ipsi oppositum; atqui istae relationes sibi invicem opponuntur; ergo realiter distinguuntur.

163. -- **Prob. secunda pars** (quae est contra Durandum, cit. apud Witasse, qu. 6, a. 3). -- **I.** In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; atqui inter spirationem activam ex una parte et paternitatem et filiationem ex altera non obviat relationis oppositio: spiratio enim activa non procedit realiter a Patre aut Filio, sicut procedit spiratio passiva, sed communicatur Filio a Patre; ergo.

II. Ex Concilio Lateranensi, non est in Deo quaternitas; atqui si spiratio activa realiter distingueretur a paternitate et filiatione, esset in Deo quaternitas; ergo.

Obs. Professionem Concilii Lateranensis IV (cit. supra, n. 69, fin.) ita exprimit Franzelin (thes. 21, p. 339): « Summa res, quae sub formali ratione *absoluti est unum, una essentia, unus Deus*, eadem sub formali ratione *relativorum* est tres, qui tres unice sub hac formali ratione relativorum inter se distinguuntur ». Et iterum (p. 345), « Deus secundum rationem *Esse* absoluti et omnis perfectionis absolutae, quam nos mentis consideratione distinguere possumus, est unum simplicissimum *Esse* infinitum; secundum rationem vero relativorum ad invicem per relationes originis seu processionis unius ab altero idem illud unum *Esse* est Pater, Filius, Spiritus Sanctus, qui inter se sunt realiter distincti ».

ART. 3. — DE MUNERE DIVINARUM RELATIONUM

164. -- **Praenotandum.** -- Quoniam in uno Deo tres sunt personae distinctae, necesse est, juxta nostrum concipiendi modum, ut aliud sit commune, quo sint unus Deus, aliud proprium, quo distinguantur. Sunt ergo in Deo proprietates, quibus personae in se singulae et ab invicem distinctae constituantur, non quidem

sensu illo physico, quo ex duobus distinctis simul concurrentibus unum tertium dicitur constitui (ut v. g. homo ex anima et corpore), sed sensu illo metaphysico, quo unum aliquid dicitur constitui tota formali ratione sui (ut Deus v. g. deitate, homo humanitate). Hic ergo quaeritur, 1. quidnam sint istae proprietates : num scilicet aliquid absolutum, quod nempe ad divinam essentiam pertinet, an vero aliquid relativum; et 2. si posterius, num sint processiones, an vero relationes. De qua quaestione sex saltem enumerantur theologorum opiniones (vid. Witasse, qu. 6, art. 4), et plus minus dissentiunt S. Thomas, S. Bonaventura, Suarez, Vasquez. — Ex communi vero et fere omnium sententia statuenda est cum Kleutgen, n. 1056,

165. — Propositio. Personae divinae non constituuntur proprietatibus absolutis, et quamvis per origines seu processiones constitui dici possint, verius tamen relationibus constitui dicuntur.

Prob. prima pars. — Per id personae divinae constituuntur et distinguuntur, quod singulare est, non commune; atqui solum relativum in Trinitate singulare est, cum e contra, juxta doctrinam Concilii Lateranensis, omne absolutum sit commune, et ex aequo in singulis personis reperiatur; ergo personae divinae non constituuntur per aliquid absoluti.

166. — Dices. Illud quod prius est, non potest constitui per illud quod est posterius; atqui persona (Pater v. g.) prior est relativo (paternitate), eo quod prior sit operatione intellectuali per quam generat Filium et fit Pater; ergo personae divinae per aliquid absolutum et non per relationes constituuntur.

Resp. *Dist. Min.* Possumus secundum analogiam creaturarum notionibus partialibus et inadaequatis prius cogitare primam personam in confuso citra conceptum explicitum paternitatis, ac deinde ratione posterius concipere istam personam ut Filium producentem, *conc.; ex parte rei* in ipso Patre est prius et posterius ejusmodi, *nego.* Nulla scilicet in eadem persona divina est prioritas, ne rationis quidem, inter actum notionalem et proprietatem personalem : ac intellectus Patris ejusque actus aeternus et necessarius intelligendi quo generat Filium, sunt quid unum et idem absque ulla distinctione. « Paternitas est ipse Pater », ait S. Thomas (1, qu. 40, a. 3). Cf. Franzelin, thes. 23, coroll. (pp. 368, sqq.).

167. — Prob. secunda pars (quae est contra Richardum Victorinum et S. Bonaventuram). — « Proprietas personam constituens a nobis concipitur formae instar in re insita et permanens;

origo autem ut via seu motus sive a re sive ad rem, quare et processio vocatur. Sensu enim activo accepta significat actionem a producente, persona jam constituta, exeuntem, sensu vero passivo ortum rei nondum constitutae. Contra, relatio indicat aliquid in utroque insitum et permanens ». Kleutgen, n. 1059. Cf. Franzelin, thes. cit., n. IV.

CAPUT SECUNDUM

De Notionibus divinis

168. — Praenotanda. — I. « Notio » idem saepe significat quod « idea », « conceptus », « verbum mentale »; sed accipitur etiam pro eo quod in re *cognoscitur*. In divinis autem notio definitur ratio, qua persona alia ab alia dignoscitur.

II. Ad notionem vero divinam tres conditiones requiruntur, nempe origo, dignitas, specificatio. — Requiritur 1. quod ad originem pertineat: quia solis relationibus originis constituuntur personae; 2. quod indicet directe aut indirecte dignitatem aliquam singularem: quia, cum nomen persona sit nomen dignitatis (nempe subsistentiae in natura rationali), inter personae notiones seu notas distinctivas non convenit numerare ea quae nullam perfectionem importent; 3. quod sit aliquid speciale: quia quod est commune tribus personis non est sufficiens ratio dignoscendi et discernendi unam ab alia.

III. In Deo una et eadem res, v. g. paternitas, potest esse relatio, proprietas, et notio: id tamen est discriminis inter illas, quod *relatio* dicatur per respectum ad personam correlatam (Filium); *proprietas* per respectum ad personam (Patrem), cujus est proprietas; *nōtio* per respectum ad intellectum, cui manifestat personam.

169. — Propositio. Quinque admittendae sunt in Deo notiones, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva.

Prob. I. Argumento S. Thomae (1, qu. 32, a. 3). Personae divinae distinguuntur et innotescunt tantum secundum originem, eo scilicet quod persona sit vel principium (« a quo alius »), vel principiatum seu productum (« qui ab alio »); atqui secundum hos duos modos originis quinque tantum recensitae notae reperiuntur in divinis; ergo.

Prob. Min., singulas personas discurrendo. — 1. Pater non potest innotescere *a*) per hoc quod sit ab alio, sed per hoc quod a nullo sit, hinc innascibilitas: sed *b*) in quantum aliquis est ab eo, innotescit paternitate relate ad Filium, et spiratione communi relate ad Spiritum sanctum. — 2. Filius, *a*) per hoc quod sit ab alio innotescit filiatione: *b*) per hoc quod alius sit ab eo, spiratione communi. — 3. Spiritus sanctus innotescit tantum per hoc quod sit « ab alio », seu productus: hinc processio seu spiratio passiva.

170. — **II.** Billuart (d. 4, a. 6) rem evincit demonstrando singulas notiones praedictas tribus conditionibus allatis gaudere. — 1. Innascibilitas *a*) pertinet ad originem, saltem negative; *b*) propria est Patri; *c*) dignitatem importat, scilicet quod Pater sit principium sine principio. — 2. Paternitas item *a*) Patri propria est; *b*) dignitatem ejus indicat; *c*) pertinet ad originem. — 3. Filiatio *a*) Filio propria est; *b*) dignitatem importat, cum per eam Filius divinam naturam habeat; *c*) pertinet ad originem. — 4. Spiratio passiva similiter *a*) Spiritui sancto propria est; *b*) peculiarem ejus perfectionem importat; *c*) pertinet ad originem. — 5. Spiratio activa *a*) Patri et Filio ut uni principio spiranti est propria, non omnibus personis divinis communis; *b*) importat dignitatem; *c*) pertinet ad originem. Ergo.

171. — **Dices.** Innascibilitas *a*) Spiritui sancto aeque convenit ac Patri, estque *b*) negatio, ac proinde *c*) non magis perfectionem importat in Patre quam inspirabilitas in Filio aut improductivitas in Spiritu sancto; ergo non est notio.

Resp. Ad *a*) *Dist.* Innascibilitas sumpta pro negatione generationis non convenit soli Patri, *conc.;* sumpta, juxta receptum usum, pro negatione omnis originis ab alio, convenit alii personae, *nego.* — Ad *b*) *Dist.* Innascibilitas est negatio quae indirecte exprimit dignitatem principii fontalis, *conc.;* est mera negatio, *nego:* aliter enim infinitas, immensitas, immortalitas, etc. dicenda essent merae negationes. — Proinde ad *c*) *Nego assumptum;* ac praeterea neganda esset consequentia quoad inspirabilitatem, quae non est propria Filio.

Corollarium. — Ex hactenus dictis, sequitur esse in Deo unam naturam, duas processiones, tres personas, quatuor relationes (et proprietates), quinque notiones.

QUAESTIO QUINTA

DE IIS IN QUIBUS CONVENIUNT DIVINAE PERSONAE

Ex illis quae vel omnibus simul personis vel pluribus earum competunt, praecipue considerandae sunt quadruplici capite existentia, subsistentia, circumincessio, et missio.

CAPUT PRIMUM

An Triplex sit divinarum personarum Existentia relativa

172. — **Praenotanda.** — I. Essentiam divinam ut praeintellectam nostra cogitatione relationibus habere existentiam absolutam, sicut habet absolutam justitiam, sapientiam, etc., communiter tenetur : et ratio est, quia existentia, eaque necessaria et perfecta, in ipsa divinitatis notione includitur : Deus enim est ens a se, juxta illud Exod. 3. 14, « Ego sum qui sum ».

II. Supposita absoluta hac existentia, adhuc inquiritur, utrum personae divinae, sicut sunt entitates relativae realiter inter se et virtualiter ab essentia distinctae, ita habeant proprias et relativas existentias realiter inter se et virtualiter ab existentia absoluta essentiae distinctas. Uno verbo, utrum tres personae divinae existant una existentia absoluta, an tribus existentiis relativis? Hoc ultimum affirmare feruntur Richard. a S. Vict., (quem tamen Vasquez, d. 126, n. 5, negat in hac sententia fuisse), item Suarez, Ysambert, Tournely. Negant communiter alii ex diversis scholis cum S. Thoma (1, qu. 3, artt. 3 et 4; qu. 39, a. 1; 3, qu. 17, a. 2, ad 3).

173. — **Propositio. Personae divinae non habent, praeter existentiam absolutam, existentias proprias relativas.**

Prob. I. Tres illae existentiae si darentur, forent vel creatae vel increatae; atqui 1. non possent dici *creatae:* inde enim sequeretur, personas, in quantum plures et relativae sunt, esse creatas, quod esset haereticum; nec 2. dici possent *increatae:* nam tunc viderentur esse tres entitates habentes tres existentias increatas, seu

essent « tres increati », quod contradiceret Symbolo Athanasiano; ergo.

II. Absurdum est, duplicem uni eidemque existentiam tribuere; atqui singulae personae ex natura divina sunt realiter quid unum et idem inter se; ergo non oportet aliam esse naturae, aliam personae cujuslibet existentiam.

CAPUT SECUNDUM

An Triplex sit Subsistentia relativa: an etiam una communis et absoluta

174. — Praenotanda. — I. Subsistentia definitur, « ultimum substantiae complementum, eam reddens sui juris sive incommunicabile alteri tanquam supposito sive personae ». Haec, ut patet, est definitio subsistentiae in abstracto, quo sensu apud theologos ex tempore Cajetani (in 1, qu. 3, a. 2) nomen usurpari coepit. Antiquitus autem nomen adhibebatur sensu tantum concreto pro re subsistente, sicut nunc dicitur « hypostasis »: et constat, in hoc saltem sensu concreto, tres esse subsistentias in Deo. — Hic vero praecipue de subsistentia in abstracto seu de personalitate, vel, ut aliqui dicunt, de subsistentialitate agitur, et inquiritur, quotuplex sit in Deo.

175. — II. Durandus et quidam alii (cf. Witasse, qu. 8, a. 3) agnoverunt in Deo unicam tantum subsistentiam absolutam, nullam vero relativam. Hi videlicet discrimen ponentes in Deo inter subsistentiam et incommunicabilitatem: tribuebant essentiae divinae subsistentiam, relativis autem incommunicabilitatem, ita ut personae (juxta ipsos) subsistant subsistentia absoluta quae una cum essentia communicatur eis: per relationes vero sint alteri supposito incommunicabiles. — Contra hos, communis fere sententia docet tres esse in Deo subsistentias relativas. Cf. Franzelin, thes. 24, n. II.

176. — III. Ulterior quaestio est, utrum praeter has tres subsistentias relativas, admittenda sit subsistentia communis et absoluta: et haec quaestio ambigua videtur. — 1. Primus sensus esse potest, utrum natura divina sit substantia singularis, integra, *per se existens*, et non inhaerens alteri tanquam subjecto, accidentis more: et in hoc, qui fuit sensus Suarez (l. 3, c. 4; l. 4, c. 11; de Incarn., d. 11, s. 3), vere dici potest quoad rem, esse in Deo, praeter tres subsistentias relativas praedictas, subsistentiam unam

absolutam. Sed eodem sensu dici posset, esse in Christo duas subsistentias eo quod humanitas Christi sit substantia singularis, integra: attamen sicut haec sacra humanitas, cum non sit tota in se et careat incommunicabilitatis nota, secundum communem usum non dicitur habere suam subsistentiam, pari ratione existentiae absolutae in Deo, eo quod communis sit tribus et non tota in se, tribui non debet subsistentia. Cf. Petav., l. 4, c. 12, n. 1.

2. Alter quaestionis sensus potest esse, utrum natura divina praecisa a relationibus ex se ipsa habeat quidquid requiritur ad perfecte existendum absolute in concreto, tanquam *suppositum* saltem incompletum (« semipersona »): et in hoc sensu, quem Franzelin (p. 379) putat falsum, non tantum quoad modum loquendi sed etiam quoad rem, videntur aliqui affirmasse esse in divinis quartam subsistentiam eamque absolutam. — Duplex proinde statuenda est propositio.

177. — Propositio I. In Deo admittendae sunt tres subsistentiae relativae.

Prob. I. Tot sunt in Deo subsistentiae, quod sunt personae: nam multiplicato concreto substantivo, multiplicari debet abstractum; atqui in Deo sunt tres personae; ergo sunt tres subsistentiae.

II. Ex doctrina Conciliorum et theologorum unio hypostatica facta est in subsistentia; atqui non in subsistentia communi: alioquin enim tota Trinitas esset incarnata; ergo in subsistentia relativa: seu (cum eadem sit ratio de prima et tertia ac de secunda persona), dantur in Deo tres subsistentiae relativae.

178. — Propositio II. Non est admittenda in Deo quarta proprii nominis subsistentia absoluta et communis.

Prob. Illa sententia non est admittenda quae est inutilis, erronea et contradictoria; atqui talis est sententia affirmans subsistentiam quartam in Deo; ergo non est admittenda.

Prob. Min. per partes. — 1. Ista sententia est inutilis: subsistentiae enim relativae constituunt completas personas, easque per oppositionem suam incommunicabiles faciunt.

2. Est erronea, utpote quatuor personas in Deo inducens: unaquaeque enim subsistentia constitueret veram et distinctam personam.

3. Est contradictoria: absoluta enim subsistentia ista vel *a*) relinqueret naturam divinam pluribus communicabilem, et sic non esset subsistentia omnino juxta consuetum loquendi modum; vel *b*) redderet eam incommunicabilem, et jam non esset *communis* subsistentia sed unica. Cf. Witasse, l. c., assert. 3.

Hinc Franzelin (l. c. p. 379), « Assumpta revelatione trium personarum, nomen *Deus* sive *hic Deus* non significat aliud quam divinam naturam unam non multiplicabilem cum adsignificatione subsistentiae vel indeterminate et in confuso, vel subsistentiae trinae, vel determinate subsistentiae unius ex tribus. Quovis vero modo adsignificetur subsistentia, ea semper habet formalem rationem relativi; discrimen solum est aliquod in nostro modo concipiendi, quod in secundo et tertio modo expresse concipimus subsistentiam ut relativam, in primo modo possumus eam concipere confuse sine *expressa* notione relativi; attamen etiam in confuso non potest secundum rei veritatem concipi subsistentia divina cum exclusione relativi et sub expressa ratione absoluti, cum objective et a parte rei non sit nisi sub ratione formali relativi ».

CAPUT TERTIUM

De Circumincessione divinarum personarum

179. — **Praenotanda.** — Circumincessio generaliter sumpta, tum scilicet de personis divinis in Trinitate, tum de duabus Christi naturis, definiri potest, « mutua inexistentia plurium integrorum propter unitatem vel unionem substantialem ». In praesenti vero materia circumincessio est conjunctio qua divinae personae immanenter procedentes et sine confusione distinctae, *propter identitatem naturae* in se invicem insunt et vivunt, ita ut Pater sit totus in Filio, Filius totus in Patre, uterque totus in Spiritu sancto, et Spiritus sanctus totus in utroque : et ipsa Trinitas, juxta Patrum effata, sit inseparabilis, individua. Vid. decretum Concilii Florentini pro Jacobitis (Denz. 598). — Hanc conjunctionem (ut notat Kleutgen, n. 1080) Patres graeci περιχώρησιν vel ἐνύπαρξιν, latini theologi veteres circumincessionem, recentiores circuminsessionem vocaverunt : illis, ut videtur, vitae, his essentiae communionem magis spectantibus, quae differentia in graecis quoque nominibus observari potest.

180. — **Propositio. Datur in Deo circumincessio Personarum.**

Prob. I. Ex Scriptura. Circumincessio est personarum divinarum intima in se mutuo inexistentia; atqui personae divinae in se mutuo inexistunt, juxta illud Jo. 10. 38, « Pater in me est, et ego in Patre »; ergo.

181. — **II.** Ex Patribus, dicit S. Fulgentius (de fide ad Petrum, n. 4), « Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, et totus Filius in Patre et Spiritu sancto est totusque Spiritus sanctus in Patre et Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est : quia nemo alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate ». Ita et S. Athanasius (orat. 3 contra Arian., n. 3), « Cum forma et divinitas Patris hoc ipsum sit quod est Filius, omnino sequitur ut Filius sit in Patre, et Pater in Filio ». — Indicat Kleutgen, n. 1091, testimonia SS. Hilarii, Cyrilli Alex., Joannis Damasc.

182. — **III.** Ex ratione theologica. — 1. Unaquaeque persona ibi est ubi est tota ejus substantia ; atqui tota ejus substantia est in utralibet alia persona, et in duabus aliis personis divinis ; ergo habetur mutua inexistentia divinarum personarum. — 2. Procedunt Filius a Patre, et Spiritus sanctus a Patre et Filio per operationes immanentes intellectus et voluntatis, quarum ipsi sunt termini ; atqui terminus operationis immanentis in operante est et permanet ; ergo Filius est in Patre, et Spiritus sanctus in utroque.

183. — **Dices.** Quae opponuntur, non possunt esse in se mutuo ; atqui personae divinae opponuntur ; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Quae opponuntur secundum omnia, *conc.;* secundum aliqua tantum, *subd.:* non possunt invicem mutuo inesse formaliter secundum eam rationem qua opponuntur, *conc.;* non possunt identice ratione rei communis, *nego.*

Contradist. Min. Personae divinae opponuntur ratione originis, *conc.;* aliter, *nego:* sunt enim unum in identitate naturae, et distinctae tantum per relationes originis.

184. — **Corollarium de trium personarum aequalitate.** — Cum circumincessione cohaeret, juxta verba citata S. Fulgentii, perfecta trium personarum aequalitas, quam profitetur Symbolum Athanasianum, « Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt, et coaequales ». Habet enim unaquaeque persona totam ejusdem identice naturae perfectionem, infinitam, et licet inter eas detur ordo originis quo distinguuntur et referuntur ad se invicem, non est tamen in una earum aliquid quod non sit in aliis. Vid. S. Thomas, 1, qu. 42, a. 4, 2 (jam cit. supra, n. 21).

CAPUT QUARTUM

De Missione divinarum personarum

185. — Praenotanda. — I. Universim, *missio* passive sumpta significat unius ab altero egressionem secundum aliquam rationem principii (physicam vel moralem) ad aliquem terminum. Dicit ergo, 1. distinctionem realem mittentis et missi; 2. aliquam, vel propriam vel impropriam, dependentiam aut subordinationem missi a mittente secundum auctoritatem vel consilium vel originem (S. Thomas, 1., qu. 43, a. 1); 3. habitudinem ad terminum: sive iste terminus sit *locus*, ut missus ibi sit ubi antea non erat, vel novo modo sit: sive sit aliquis *effectus*, ut illum operetur. Ergo missio necessario infert habitudinem missi ad duplicem terminum, nempe ad mittentem, seu terminum *a quo*, et ad effectum, seu terminum *ad quem* mittitur.

186. — II. Missio vero in divinis definiri potest, « Processio unius personae ab alia per originem cum habitudine ad novum existendi modum (aut effectum) in creaturis ». — Dicitur 1. « Processio per originem ». In omni enim missione vera missus a mittente aliquo modo procedit: in Deo autem nulla est processio vera et realis nisi originis. Itaque homo quidem vel Angelus mitti potest imperio, consilio, precibus: sed divina persona, juxta locutiones Patrum, mittitur ut a flore fragrantia, a sole splendor, a mente verbum. — 2. « Ad novum existendi modum ». Cum enim persona divina naturâ suâ in omni re et loco sit, nequit incipere esse, ubi nullo modo erat. — 3. « In creaturis ». Nam divinae personae ab aeterno in se mutuo insunt, neque ulla in Deo mutatio succedere potest, qua personae alio et alio modo in se sint.

187. — Propositio. Datur missio in divinis. — De fide.

Prob. I. Multis in locis novi praesertim Testamenti Filius aut Spiritus sanctus in mundum vel homines mitti dicitur: videlicet ex vetere Testamento citari possunt Ps. 103. 30 (« Emittes Spiritum tuum et creabuntur »); Sap. 9. 10, 17 (« mitte illam [Sapientiam] de coelis sanctis tuis..... sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? »); ex novo autem Jo. 3. 17 (« Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum »); Ib. 15. 26 (« Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre »: cf. Ib. 5. 23, 24; 6. 29,

sqq.; 16. 28); Gal. 4. 6 (« Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra »). Atqui haec omnia, quae sine explicatione tam saepe repetuntur, proprio sensu accipienda sunt: praesertim cum aptus horum locorum sensus alius excogitari nequeat. Ergo vera est missio personarum divinarum.

188. — **II.** Missio in divinis est processio unius personae ab alia cum habitudine ad novum effectum aut novum modum existendi in creaturis; atqui Filius procedens aeternaliter a Patre, cum jam in mundo fuisset per immensitatem et omnipotentiam (Jo. 1. 10, « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est »), per incarnationem incepit esse novo modo in mundo (Jo. 1. 11, 14, « In propria venit..... Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis »); ergo est missio in divinis.

189. — **III.** Patres passim hanc doctrinam tradunt. Sic de missione Filii loquitur S. Cyrillus Alexandrinus (in Jo., l. 4: M. 73. 659), « Non putandum est servilem hanc esse missionem..... Missus est autem eo modo quo verbum ex mente, et splendor ex sole. Haec enim ex iis in quibus sunt aliquo modo promicant, propterea quod foris erumpere videntur, verum iis a quibus sunt, natura sua insunt et indivulse ». Ex quo etiam Patre (dial. 7 de Trin.: M. 75. 1900), Servator noster Christus, « Ipsummet revera Spiritum in credentium animas inducit [inhabitare facit] et immittit ». Ac S. Augustinus (de Trin., l. 4, c. 20, n. 28), « Ab illo ergo mittitur Verbum, cujus est Verbum..... Non eo ipso quod de Patre natus est, missus dicitur Filius; sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum..... Non dicitur [Pater] missus: non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat ».

190. — **Scholia de missione in divinis.** — De personarum divinarum missione multa inquiri solent: 1. quaenam personae mittantur, et a quibus; 2. quotuplex sit missio; 3. ad quos fiat missio interna, et quando; 4. utrum praeter creata gratiae dona ipsae personae divinae in missione interna donentur; 5. quo sensu personae divinae missione interna in justis inhabitent et permaneant; 6. utrum Spiritus sanctus uniatur justis modo sibi proprio. Ad singula breviter respondendum.

1. De fide est, Filium tantum et Spiritum sanctum mitti: Filium quidem a solo Patre, Spiritum sanctum a Patre et Filio. Et ratio est, quia missio est processio per originem cum habitudine ad terminum temporalem; duplex autem est processio per originem, nempe Filii a Patre, et Spiritus sancti a Patre et Filio; earumdem proinde tantum personarum est missio. Cum ergo aliquando dicitur Filius mitti a Spiritu sancto, intelligendus est Christus secundum

naturam humanam (ita forsan Is. 48. 16) : aut si secundum naturam etiam divinam, sensu tantum improprio. — Possunt tamen omnes personae *dari* hominibus, aut ad eos *venire*.

191. — **2.** Missio divinarum personarum est duplex. — 1. *Visibilis* seu externa est ea quae fit in specie sensibili : uti *a*) missio Filii in carne (quam aliqui cum Suarez, l. 12, c. 4, n. 17, « missionem substantialem » vocant) ; et *b*) missio Spiritûs sancti in specie columbae, ignis etc. (« missio repraesentativa »). In missione hac repraesentativa (notandum est) signum quidem materiale externum a tribus fit personis, significatio vero refertur ad unam.

Inter missiones repraesentativas non solent recenseri theophaniae seu apparitiones divinae veteris Testamenti, quippe quae, ut dicit S. Thomas (1, qu. 43, a. 7, ad 6), « non fuerunt factae [saltem immediate] ad designandam inhabitationem divinae personae per gratiam, sed ad aliquid aliud manifestandum ». Pariterque dicendum est de sacramentis (S. Thomas, ib., ad 2) : dum enim in missionibus repraesentativis Spiritus sanctus infallibiliter monstratus est signis ad hoc specialiter factis : sacramenta sunt res praeexistentes et stabiliter institutae, quae praeterea quoad validitatem et effectum pendent a ministri intentione, subjectique dispositione, ac proinde non significant infallibiliter Spiritus sancti habitationem vel descensum. Cf. Suarez, l. 12, c. 6, n. 12.

2. *Invisibilis* seu interna missio (ad quam sive efficiendam, uti in die Pentecostes, sive, ut in descensu Spiritus sancti in Christum, manifestandam, visibilis ordinatur missio) est ea quae fit sine specie sensibili et per dona interna gratiae (cf. Galat. 4. 6, jam cit., « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater ») : et haec invisibilis missio est ipsa iterum duplex, *a*) perfecta seu proprie dicta, per gratiam habitualem, ac *b*) imperfecta seu dispositiva, per gratiam actualem.

192. — **3.** Missio interna proprie dicta, cum includat dona gratiae habitualis, ad solos et omnes justos fit. Fit autem haec missio non tantum cum gratia sanctificans primum infunditur, sed etiam cum augetur, vel certe cum justus ad novum statum supernaturalem evehitur (v. g. per sacramenta *consecratoria* baptismi, confirmationis, ordinis sacri), aut quando ad munus quoddam vel opus insigne assumitur. Atque hac de causa et Apostoli et Prophetae Spiritum sanctum interna missione pluries acceperunt. — Vid. Mazzella, de Gratia, nn. 1029, sqq.

193. — **4.** Post S. Thomam (qu. 43, a. 3, ad 1) est communis theologorum sententia, cujus contrariam gravissimi quidem theologi erroris damnant, non tantum dona gratiae creata, sed *ipsas quoque personas divinas* in missione invisibili donari.

Probatur 1. Ex iis Scripturae locis quae docent animas justorum esse *templa* Dei vel Spiritus sancti (1 Cor. 3. 16; 6. 19; 2 Cor. 6. 16); templum autem est *ipsius Dei* habitaculum. — 2. Ex locis (2 Cor. 1. 21, 22; Eph. 1. 13, 14) ubi justi dicuntur *ungi* vel *signari* a Spiritu sancto: qui enim ungitur, non odorem tantum sed substantiam unguenti in se recipit; sigillum quoque objecto quod signatur, imprimitur. — Magis adhuc explicite ex Rom. 5. 5, «Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis ». Patrum testimonia exhibet Petavius, l. 8, cc. 4, 5.

Docet idem Petavius (l. 8, c. 7) tanquam SS. Patrum sententiam, justos *veteris testamenti*, et ipsum S. Joannem Baptistam, licet sancti fuerint gratiaque habituali dotati, non tamen fuisse filios Dei adoptivos nec accepisse in ista servitudinis et timoris dispensatione *ipsum Spiritum adoptionis* substantialiter inhabitantem (Rom. 8. 15), sed solam efficientiam ejus. Contrarium tenet communis sententia, quae tamen admittit (sic explicando objecta aliqua Patrum dicta), Spiritum sanctum clariori quidem modo et cum gratia abundantiori conferri in novo testamento, imo nonnisi intuitu hujus testamenti datum fuisse in vetere (1).

194. — **5.** Manet vel inhabitat Deus in anima justa, et ab ipsa possidetur, 1. secundum *essentiam* novo amicitiae titulo, ita ut si, per impossibile, Deus jam non esset ratione immensitatis in anima, ad eam veniret et in ipsa maneret hoc ipso amicitiae titulo (« sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante »: S. Thomas, 1, qu. 43, a. 3, corp.); 2. secundum *potentiam*, operando scilicet in anima novos effectus supernaturales illuminationis, inspirationis, etc.; 3. secundum *praesentiam*, exercendo nempe novam tutelam paternam et supernaturalem providentiam. — Cf. Franzelin, thes. 44.

195. — **6.** Communis theologorum sententia, contra Petavium (l. 8, c. 6, nn. 5, sqq.), negat Spiritum sanctum uniri cum justis speciali modo, qui soli personae tertiae sit *proprius*, non tribus communis. — Ratio est, quia una persona divina non distinguitur ab aliis nisi in functione hypostatica: in divinis enim omnia alia sunt unum; rationabiliter autem asseri nequit, conjunctionem Spiritus sancti cum justis esse functionem hypostaticam, quia nulla

(1) S. Athanasius, quem Petavius (l. c., n. 11) pro sua sententia citat, videtur doctrinam communem in Oratione prima contra Arianos (n. 48) omnino declarare: "Profecto *quemadmodum* priusquam homo fieret, tanquam Verbum, Spiritum ut sui proprium sanctis subministrabat: *ita etiam* homo factus, Spiritu omnes sanctificat, aitque discipulis suis, Accipite Spiritum sanctum. Hunc quoque dedit ipse Moysi aliisque septuaginta (Num. 11. 16) ».

alia conjunctio hypostatica nobis revelata est quam assumptio humanae naturae in incarnatione Verbi; ergo. Cf. Franzelin, thes. 45 (p. 643). — Haec autem divinitatis cum animis justis conjunctio et in iisdem inhabitatio, eo quod Spiritus sancti personalem characterem (nempe ut sit Donum, Caritas, Sanctitas) speciali modo manifestet, recte ei *per appropriationem* tribuitur.

QUAESTIO SEXTA

DE MODO QUO LOQUENDUM EST DE MYSTERIO SS. TRINITATIS

196. — **Praenotanda.** — I. « Quia verbis inordinate prolatis incurritur haeresis, ut Hieronymus dicit....., ideo cum de Trinitate loquimur, cum cautela et modestia est agendum..... Oportet autem in his quae de Trinitate loquimur, duos errores oppositos cavere, temperate inter utrumque procedentes, scilicet errorem Arii, qui posuit cum trinitate personarum trinitatem substantiarum, et errorem Sabellii, qui posuit cum unitate essentiae unitatem personae ». S. Thomas, 1, qu. 31, a. 2. — Errare autem quis potest in modo loquendi de hoc mysterio, 1. adhibendo vocabula quae ita naturae unitatem exprimunt, ut trinitatem personarum tollant, aut vice versa; 2. praedicando in plurali de personis nomina absoluta; 3. supponendo, aut substituendo in propositionibus nomina absoluta pro personis.

197. — II. Nomina autem *essentialia* sive *absoluta* ea dicuntur, quae vel ipsam essentiam vel attributa ejus significant (v. g. *Deus*, *aeternus*); atque ex alia parte, *personalia*, *relativa*, aut *notionalia* vocantur tum quae ipsas personas (ita v. g. *Pater*) tum quae harum proprietates vel notiones (v. g. *paternitas*) denominant. — Nomina vero tum absoluta tum relativa sunt vel *abstracta*, quae exprimunt formam sine subjecto (ut e. g. *deitas*, *paternitas*), vel *concreta*, quae formam cum subjecto, seu subjectum habens formam significant (ut *Deus*, *Pater*). — Nomina sunt iterum vel *substantiva* vel *adjectiva*, quae eo potissimum distinguuntur (dicit Collet, qu. 10, a. 2), quod adjectiva (v. g. *sapiens*, *aeternus*) subjectum directe, et formam indirecte tantum, nimirum ut ei adjacentem, significent: substantiva contra (v. g. *Deus*) formam ipsam directe, et subjectum nonnisi confuse arguant. — His ergo positis:

198. — **I.** Vocabula **naturae unitatem** vel **personarum distinctionem** significantia quod attinet.

1. Illa vitanda sunt vocabula, quae ita **naturae unitatem** exprimunt, ut tollant vel communicabilitatem (si v. g. diceretur Deus *singularis*, *solitarius*, *unicus*), vel simplicitatem (ut Deus *conjunctus* aut *unitus*). — Vocabula, *unus* et *idem* in neutro genere naturae unitatem significant et ideo recte dicuntur de personis (v. g. Pater et Filius sunt *unum*), perperam autem in masculino genere (v. g. Pater et Filius sunt *unus*), nisi addatur terminus absolutus (v. g. Pater et Filius sunt *unus Deus*, *unus Creator*), aut saltem duobus communis (ut *Spirator*). — Vox *solus* quando conjungitur cum alio termino, seu syncategorematice sumitur, recte dicitur de Deo (v. g. Deus solus est aeternus): male vero dicitur absolute seu categorematice, « Deus est solus », hoc enim significat Deum esse solitarium, dum revera habetur in ipso « consortium trium personarum », ut dicit S. Thomas, l. c., a. 2.

2. Ex vocabulis quae **personarum distinctionem** et numerum indicant, vitanda sunt ea quae tollunt vel personarum consubstantialitatem (ut si Filius diceretur *diversus*, *differens*, *separatus*, *divisus*), vel aequalitatem (ut si diceretur *dispar*), vel similitudinem (sicut *alienus*, *discrepans*): bene vero dicitur Filius esse *distinctus* a Patre aut *alius* a Patre, non vero *aliud*: hoc enim postremum importaret diversam naturam. — Voces *discretus* et *secretus* recte praedicari de personis, docet Charmes, p. 361, negant vero alii, v. g. Knoll, n. 127. — Dici non debet Deus esse *triplex* aut *multiplex*, ne sic tolleretur naturae divinae unitas. Recte vero dicitur Deus esse *trinus*: sic enim fert usus ecclesiasticus communis, quamvis etymologice *trinus* idem sonat quod *triplex* (ut notat Petavius, l. 8, c. 9, nn. 6, 7, illustratque ex scriptoribus antiquis etiam ecclesiasticis, qui nonnunquam dicunt Deum triplicem). — Ex S. Thoma, l. c., a. 1, ad 3, non est in Deo *triplicitas*: ex Charmes vero, p. 360, recte dicitur esse in eo *multiplicitas*.

199. — **II.** De questione, an et quatenus **nomina absoluta** praedicari possint **in plurali** de personis, sequentes regulae traduntur:

Regula prima. Nomina absoluta **substantiva** (tum concreta tum abstracta), vel etiam adjectiva substantive sumpta, praedicantur de personis in numero tantum **singulari.** — Ratio est, quia generatim nomina substantiva in plurali adhiberi nequeunt, nisi formae multiplicentur (v. g. in tribus hominibus, Jacobo, Petro, Joanne, sunt tres humanitates); atqui in Deo nomina substantiva essentialia unam tantum important formam (v. g. nomen « Deus » unam divinitatem, nomen « Creator » unam omnipotentiam significat): ergo dici nequit, « Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres Dii, tres Creatores, tres deitates », neque, sensu *substantivo*, « tres

Aeterni, tres Increati, tres Immensi, tres Omnipotentes », sed « unus » tantum. — Recte tamen dicitur « *creaverunt* mundum, *sunt* unus *Deus* » etc., quia verba referuntur ad personas, quae in divinis plures sunt (cf. Gen. 1. 26; Jo. 10. 30).

Regula secunda. Nomina absoluta **adjectiva**, vel substantiva adjective sumpta, praedicantur in **plurali** de personis divinis. — Ratio est, quia nomen adjectivum primario, per se ac directe exprimit subjectum, seu habens talem formam : unde sic resolvitur *Omnipotens :* « is qui habet omnipotentiam » ; sed in divinis, tres sunt qui habent omnipotentiam, justitiam, etc. Ergo dici possunt tres omnipotentes *adjective.*

200. — **III.** Cum inquiritur, « an nomina absoluta **supponant** pro personis », sensus quaestionis est, « an nomina ista in propositione substitui possint pro nominibus personarum », ita ut pro personis et iis quae personis sunt propria adhiberi possint nomina essentialia ; et sic loco propositionum, « *Filius* generatur », « *Filius* spirat », dici possit, « *Deus* generatur », « *aeternitas* spirat ». Duplex statui potest regula.

Regula prima. Nomina **essentialia abstracta non supponunt** pro personis : et hinc, ut definivit Concilium Lateranense IV, dici nequit loco propositionis, « *Pater* generat Filium », « *essentia* generat Filium ». - Ratio est, quia, juxta nostrum concipiendi modum, persona est subjectum cum forma speciali qua distinguitur ab aliis personis ; nomen autem essentiale abstractum est tantum forma, eaque communis, in qua una persona divina ab aliis non distinguitur. Alioquin sequeretur, essentiam generare seipsam, quod repugnat.

Regula secunda. Nomina **essentialia concreta** (v. g. *Deus, Creator*) **supponunt** pro essentia et personis : hinc dici potest, « Deus creat », « Deus generat », « Omnipotens mundum gubernat », « Aeternus generatur ». — Ratio est, quia nomina essentialia concreta 1. significant divinam essentiam ejusque attributa ut formas in supposito subsistentes, et 2. vera sunt de singulis personis in particulari, vel de duabus, vel de tribus.

De nomine « **Deus** » ulterius inquiritur, quandonam supponat *a*) pro *una* persona aut pro personis *determinatis*, quandonam *b*) pro *omnibus personis* et ipsa divina *natura*. — Regula potest esse : Si nomen istud restringatur aut determinetur per aliquid notionale vel per aliquid aequivalens notionali, tunc supponit pro ea tantum persona (aut principio) cui talis actus notionalis competit : aliàs supponit pro divina essentia ut existente et subsistente in omnibus personis divinis. Ita v. g. in propositione « *Deus* genera-

tur », nomen supponit pro Filio; in propositione « *Deus* spirat *Deum* », nomen supponit in initio pro Patre et Filio, et in fine pro Spiritu sancto. In propositione autem, « *Deus* novit omnia », nomen supponit pro tribus personis.

Obs. Nomina **personalia substantiva** *praedicari* possunt de essentia aut de attributis absolutis. — Ratio est, quia inter personas et essentiam (sive in abstracto, sive in concreto sumptam) est realis identitas. Hinc istae propositiones sunt verae: « Essentia, seu Deus, est tres personae; essentia est Pater; Deus vel essentia, est paternitas ».

201. — Scholion de personarum nominibus propriis et appropriatis. — Nomen *proprium* est illud, quod uni personae realiter ita convenit, ut alteri minime convenire possit. *Appropriatum* est illud, quod licet realiter toti Trinitati sit commune, uni tamen personae modo singulari prae aliis tribuitur propter specialem analogiam, affinitatem aut similitudinem attributi vel operationis essentialis seu absolutae quam nomen significat, cum illius personae charactere vel proprietate hypostatica et origine. Cf. Franzelin, thes. 13, n. I. — De hac quaestione sufficiet haec pauca breviter indicasse:

I. Primae personae, 1. nomina *propria* sunt tria, nempe Pater, Ingenitus, Principium fontale; ratio est, quia sola prima ex tribus personis *a*) generat Filium, *b*) caret principio, *c*) est principium ceterarum; 2. nomina *appropriata* sunt Creator, Aeternus: quia prima persona est principium sine principio.

II. Secundae personae, 1. nomina *propria* sunt tria, nempe Filius, seu Unigenitus, Verbum, Imago Patris; ratio est, quia sola secunda persona *a*) generata est, *b*) ab intellectu procedit, *c*) similis est archetypo vi productionis; 2. nomen praecipuum *appropriatum* est Sapientia (alii addunt Pulchritudo, Virtus, etc.): ratio, quia sapientia provenit ab intellectu.

III. Tertiae personae, 1. nomen *proprium* est Spiritus sanctus (ubi « spiritus » sumitur pro halitu): ratio, quia tertia persona producitur spiratione, seu est motus et impulsus dilectionis mutuae Patris et Filii; 2. nomina *appropriata* praecipua sunt Donum, Amor, Paraclitus: quia tertia persona procedit per operationem voluntatis.

202. — Obs. de nomine « Digitus Dei ». — Nomen « Digitus Dei » quod de Spiritu sancto adhibetur in liturgia (« Digitus Paternae dexterae ») sumitur ex Scriptura (Matth. 12. 28, « Si ego *in Spiritu Dei* ejicio daemones »: coll. Luc. 11. 20, « Si *in di-*

gito Dei ejicio daemonia »: cf. 2 Cor. 3. 3, et Exod. 31. 18); et cum hoc nomen extraordinariam significet operationem supernaturalem Dei (in prophetiis, miraculis, revelationibus: cf. Exod. 8. 19; Deut. 9. 10; Dan. 5. 5) censeri potest toti Trinitati revera commune, et *appropriatum tantum Spiritui sancto*, qui est sanctitas procedens per Filium a Patre, sicut digitus procedit citra separationem a manu hominis. Filius enim « per quem omnia facta sunt », *dextera* seu *manus* Dei, item per appropriationem, vocatur aliquando a Patribus, uti a S. Ambrosio (de Spir. S., l. 3, c. 3, ex Exod. 15. 6) et a S. Gregorio M. (Moral., l. 18, c. 11, n. 18, ex Job. 27. 11).

SANCTA TRINITAS, UNUS DEUS, MISERERE NOBIS.

DE DEO CREATORE[1]

Praenotiones

1. — I. « Post considerationem divinarum personarum considerandum restat de processione creaturarum a Deo », ait S. Thomas, p. 1, prooem. quaestionis 44. — Explicata videlicet creationis definitione, imprimis inquirendum est de creatione in genere, quatenus ad doctrinam revelatam pertinet; ac deinde distincte de creaturis rationalibus, nempe de natura, dotibus et exordiis tum Angelorum tum Generis Humani. Unde tres tractationis partibus, videlicet 1. de Creatione in genere, 2. de Angelis, 3. de Homine.

2. — II. Vox « creatio » latiori sensu sumitur pro omni effectione et ita v. g. dicitur artifex creare statuam, Papa creare cardinalem, etc. Magis autem proprie in christiano usu, « creare est aliquid ex nihilo facere », ut docet S. Thomas (1, qu. 45, a. 1), a quo etiam (1, qu. 65, a. 3, corp.) creatio definitur, « Productio alicujus rei secundum suam totam substantiam, nullo praesupposito, quod sit vel increatum, vel ab aliquo creatum ».

Dicitur 1. « Productio », quae vox stat in loco generis proximi, et distinguit creationem ut actionem effectivam ab actione mere cognoscitiva aut mere affectiva.

Dicitur 2. « Rei secundum totam suam substantiam », quibus verbis distinguitur creatio ab effectionibus aliis et mutationibus tum accidentalibus tum substantialibus, ad quas semper requiritur subjectum praeexistens quod operationem agentis recipiat.

(1) De Creatione agit S. Thomas praecipue in parte prima Summae Theologicae, quaestt. 45, sqq.; et in libro secundo Summae contra Gentiles. Distinctis operibus agit Suarez de Angelis (t. 2), de Opere Sex Dierum, ac de Anima (t. 3); item Petavius, de Angelis, et de Sex primorum mundi Dierum Opificiis (t. 4). Ex recentioribus, speciales tractatus de Deo Creatore ediderunt Palmieri, Mazzella, Jungmann, Coghlan.

Additur 3. explicationis causa, « nullo praesupposito, quod sit increatum », quibus verbis excluduntur sententiae tum veterum pantheistarum de rerum emanatione e substantia divina, tum platonicorum de materia increata.

Quod demum dicitur 4. « vel ab aliquo creatum », distinguit creationem strictissime dictam seu primam, ab omni alia productione, etiam a creatione secunda qua Deus res corporeas ex materia praeexistente (v. g. hominem de pulvere terrae) format.

3. — III. A definitione praecedenti creationis non differt quoad rem ea quam tradunt plures praesertim recentiores, nempe, « Productio rei ex nihilo sui et subjecti ». Omnis scilicet effectio, vel accidentalis vel substantialis, est productio rei « ex nihilo sui »: terminus enim cujuslibet effectionis, v. g. statua ex marmore, antea non existebat qua talis. Productio autem « ex nihilo sui et subjecti » significat nihil omnino rei productae antea in rerum natura exstitisse: et est proprie creatio; aliis proinde verbis creatio est productio entis in quantum est ens (cf. S. Thomas, 1, qu. 44, a. 2), et quod stricte creatum est, nullatenus antea existebat. — Ex dictis facile liquet, creationem proprie dictam non esse, *generationem Verbi divini, transsubstantiationem, mutationem.*

4. — IV. Summam doctrinae catholicae de creatione sic tradit Concilium Vaticanum (de Fide Cath., cap. 1, post Concilium Lateranense IV: Denz. 1632, 355), « Deus bonitate sua et omnipotente virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ».

PARS PRIMA

DE CREATIONE IN GENERE

Quae hic disputant theologi, ad tres commode revocari possunt quaestiones, de creationis facto, causa, termino.

QUAESTIO PRIMA

DE FACTO CREATIONIS

5. — **Praenotanda.** — I. De creatione rerum omnium ex nihilo plures recensentur errores. — 1. Alii v. g. dixerunt mundum ex materia aeterna et infecta, casu vel innata vi, coaluisse : ita olim Democritus, Epicurus, sicut et hodie Haeckel et alii materialistae. — 2. Alii cum pantheistis putaverunt (ut loquitur Concilium Vaticanum, l. c., cann. 2-4 : Denz. 1650, 1651), « unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam », aut « res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse ; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia ; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam ». — 3. Alii cum dualistis, praeter Deum bonum, principium aeternum malum cogitaverunt, quod sit auctor mundi materialis.

6. — II. Refutatio errorum pantheistarum, quos anathemate damnavit Concilium Vaticanum (l. c.), sicut et dualistarum, ad philosophiam proprie pertinet : et hic nobis rejiciendus est praecipue error de materia aeterna et infecta (qui tamen, ut decursu videbitur, vel ad pantheismum vel ad dualismum referri potest), ac probanda est doctrina quam definivit Conc. Vaticanum (l. c., can. 5, post Concilium Lateranense IV), « Si quis non confiteatur mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo productas,... a. s. ».

Res autem materiales *secundum perfectiores* quas nunc habent *formas* et omne quod in eis est, fuisse a Deo ex nihilo productas, definitum non est: etenim ex ipsa Scriptura (Gen. 2. 7, 9), Deus corpus Adae ex pulvere terrae, et lignum de humo formavit; sed canon intelligendus est de *prima* earum *materia* et substantia. Aliis verbis, de rebus materialibus, uti nunc sunt, non est necessario asserenda prima, sed tantum secunda creatio: de harum vero materia informi et primordiali, et de substantiis spiritualibus creatio prima ex necessitate fidei admittenda est. — Hic ergo obiter notare licet, transformismum, saltem quoad res materiales, non necessario repugnare doctrinae creationis: de eo autem quatenus respicit hominem opportunius dicetur in tertia tractationis parte (nn. 80, sqq.).

7. — Propositio. Res omnes quae praeter Deum sunt, creationi originem debent.

Prob. I. Ex Gen. 1. 1, « In principio creavit Deus coelum et terram ». — Si hoc loco significatur Deus, 1. cum nondum quidquid saltem materiale existeret, 2. actione sibi exclusive propria et a materia independenti, 3. rerum universitatem produxisse, vera est propositio; atqui haec omnia textu significantur; ergo res omnes distinctae a Deo creationi originem debent.

Major omnino constat, nedum quoad res materiales quae tantum de materia praejacente aut ex nihilo produci possunt, sed etiam quoad substantias spirituales quae cum simplices sint, neque ex materia neque ex aliis spiritibus ideoque tantum ex nihilo produci possunt.

Prob. Min. per partes. — 1. Productio mundi antea significatur incepta quam materia quaevis existeret. Etenim locutio hebraica « bereschith » (« in principio ») si non absolute excludit omnium praeter Deum, etiam spirituum, existentiam, saltem excludit existentiam eorum omnium quae postea in eadem serie narrantur; atqui postea ex professo narratur *tota* origo *totius* mundi visibilis et materialis quoad omnia quae in eo sunt; ergo nulla adhuc existebat res materialis.

2. Hic significatur actio Dei exclusive propria, et quidem strictius loquendo a materia independens. Eruditorum enim testimonio vox hebraica « bara », quae in Vulgata redditur « creavit », in hac speciali forma et conjugatione (Kal ejusque passiva Niphal) quadragies septies in Scriptura adhibetur, et *a*) nunquam dicitur de alia operatione quam divina, item *b*) nunquam habet adjectum accusativum materiae ex qua, et *c*) quoties dicitur de productione rerum naturalium, tantum de creatione stricte dicta, aut saltem de

efficientia creaturae incommunicabili, usurpatur. Hinc fatetur Gesenius (apud Hummelauer, in Gen., p. 86) hanc vocem « bara », de cujus vi dubitant non tantum rationalistae (cf. Loisy, « Autour d'un petit livre », p. 54), sed et nonnulli Catholici, « magis de nova rei productione, quam de conformatione et elaboratione materiae usurpatam esse »; et ex Welhausen (ibid. cit.), « Liber Genesis propria utitur voce ad solam actionem Dei creatricem designandam atque ab humana actione et formatione distinguendam; neque habent Graeci aut Latini aut Germanici vocem, qua aeque exclusive creationem exprimant ».

3. Hic describi rerum omnium productionem, constat ex phrasi hebraica « haschamaim veharrez » (« coelum et terram »), quae apud Hebraeos significat mundum universum, et omnia prorsus quae praeter Deum exstant (ut pluribus exemplis confirmant Palmieri, pp. 20, 21) (1). Ergo.

8. — Confirmatur hoc argumentum, 1. Ex *scopo scriptoris sacri*, qui videtur fuisse ut averteret Israelitas a gentilium erroribus et superstitionibus de mundi origine, et consequenter ut accuratam et satis plenam descriptionem illius originis traderet; atqui duplici huic scopo repugnat hypothesis materiae aeternae: repugnat quidem priori scopo, quia praecipuus error gentilium fuit de materia aeterna; alteri quoque scopo repugnat hypothesis materiae aeternae, quia ut jam notaverat Tertullianus (adv. Hermog., c. 20), ad plenam efficientiae cujuslibet descriptionem pertinet ut declarentur non tantum artifex et opus, sed et materia ejus, si qua adhibita sit, id quod ipse Moyses praestat alibi (v. g. Gen. 2. 7, « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae », et Ib. v. 9, « Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum »).

2. Ex *serie narrationis*. Primo enim versiculo describi *creationem primam*, seu productionem ex nihilo ipsius materiae informis, suadetur *a*) ex v. 2, ubi dicitur terra « inanis et vacua », tum *b*) ex versiculis sequentibus, ubi (juxta sententiam, quam, post Patrizi et Palmieri, Corluy, « Spicileg. dogm.-bibl. », p. 170, probabiliorem censet contra Stentrup) narratur rerum diversarum *formatio* ex materia ista elementari et chaotica.

(1) A nonnullis quidem (v. g. ab ipso Hummelauer) negatur, hac phrasi « coelum et terra » includi *angelos*. Sed aliunde de horum creatione ex Scriptura abunde constat, tum implicite ex iis locis ubi vocantur « angeli *Domini* », ubi mandata Dei accipiunt et exsequuntur (v. g. Ps. 90. 11), ubi adorant Deum (Ps. 96. 7), ubi hominibus aequiparantur tamquam servi Dei (Apoc. 22. 9), etc.; et explicite Coloss. 1. 16, ubi pari ratione cum aliis extra Deum, conditi dicuntur et creati in Verbo divino: « in ipso condita sunt universa in coelis, et in terra, visibilia et invisibilia, sive *throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates:* omnia per ipsum et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes ». Puri autem spiritus nonnisi ex nihilo condi et creari possunt.

3. Ex *constanti persuasione Judaeorum*, etiam popularium, de creatione mundi ex nihilo. Ita v. g. Mardochaeus (Esth. 13. 9, 10), « Domine, Domine, rex omnipotens..... tu fecisti coelum et terram, et quidquid coeli ambitu continetur »: et mater Machabaeorum (2 Mach. 7. 28), « Peto nate, ut aspicias ad coelum et terram et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus ».

4. Ex *interpretatione fere communi Patrum*, qui censent hoc primo Genesis versiculo excludi materiam praeexistentem. Ita v. g. S. Joannes Chrys. (h. 2. in Gen., n. 3), « Si Manichaeus ad te accesserit dicens materiam praeexstitisse, si Marcion, si Valentinus, si gentiles, dic illis: In principio fecit Deus coelum et terram ».

5. Ex iis *Scripturae locis* ubi totus mundus dicitur tanquam nihil coram Deo (Is. 40. 17), et ubi vocatur Deus « sum qui sum » (Exod. 3. 14), omnipotens (Gen. 17. 1; Exod. 6. 3), « Dominus dominantium » (1 Tim. 6. 15), « Dominus coeli et terrae » (Matth. 11. 25), etc.: haec enim omnia (ut late ostendit Palmieri, thes. cit. 3) vera non essent in hypothesi materiae aeternae et infectae, quia talis materia foret ens a se, et ideo independens a Deo.

9. — **II.** Ex Patribus. — 1. Alii, cum Symbolis, creationem mundi inter primaria religionis christianae dogmata collocant. Ita v. g. S. Fulgentius (de fide ad Petr., c. 3), « Principaliter tene omnem naturam, quae non est Trinitas Deus, ab ipsa sancta Trinitate, quae solus verus et aeternus Deus est, creatam ex nihilo ». Similia habent Pastor Herm., Origenes, Tertullianus, etc. — 2. Alii in interpretanda Genesi idem declarant, v. g. S. Joannes Chrys. (jam cit.), cum SS. Basilio, Ambrosio, etc. (citt. apud Palmieri, p. 53). — 3. Saepissime hanc veritatem declarant Patres antiquiores tum contra philosophos gentiles, tum contra Gnosticos, Marcionitas, Manichaeos, aliosque hujusmodi haereticos. Ita v. g. S. Justinus in cohort. ad Graecos (n. 23), et Tertullianus integro libro adversus Hermogenem. Sic hujus libri cap. 3 dicit Tertullianus, « Cum neget materiam natam aut factam, sic quoque invenio *Domini* nomen Deo non competisse in materiam; quia libera fuerit necesse est, quae originem non habendo, non habuit auctorem, quod erat, nemini serviens ».

10. — **III.** Ex ratione. — Illa doctrina est admittenda, cujus negatio vel atheismum, vel pantheismum, vel dualismum induceret; atqui ad hos errores evitandos, non tantum admittendum est, existere Ens necessarium et infinitum quod ab hoc mundo realiter distinctum est, sed praeterea profitendum est, ceteras omnes res derivari ab ipso per creationem ex nihilo; ergo.

Ad Minorem. Liquet 1. omnes res esse *a Deo*, non a se: aliud

enim statuere, dualismus foret. Sed et 2. omnes res a Deo sunt *per creationem ex nihilo:* etenim si dicuntur esse ab ipso per emanationem quandam, redit pantheismus; si vero per effectionem ex materia aeterna et infecta, habetur iterum dualismus; ergo res omnes quae praeter Deum sunt, ab ipso ex nihilo effectae sunt. Cf. Palmieri, thes. 4, p. 60.

11. — **IV.** Ideo neganda esset creatio, vel 1. quia impossibilis est, vel 2. quia sine ea apte explicari potest mundi origo; atqui neutrum dici potest; ergo admittenda est creatio.

Prob. Min. per partes. — 1. Creationem esse possibilem non audent negare ipsi Mill et Huxley (1); imo eam non tantum possibilem, sed a priori convenientem et, datâ existentiâ rerum extra Deum, plane necessario admittendam suadet ratio: operatio enim Dei ad extra quae ei tribuenda est, prorsus independens sit oportet: independens autem non esset in hypothesi increatae materiae.

2. Originem rerum non posse explicari sine creatione, constat ex jam probatis: doctrina enim materiae aeternae et infectae induceret in atheismum, pantheismum, aut dualismum. — Praesertim vero ostenditur ex confessione ipsorum philosophorum recentiorum et ex aliquorum conatibus vanis ad materiae et vitae originem citra creationem explicandam. Testimonia plurima de hac re collegit et commentatus est E. Gaynor (in opere, « The New Materialism », Dublin, 1899), cujus summa tantum capita hic referri possunt.

Materiam imprimis quod attinet, Büchner quidem cum suis docet eam utpote indestructibilem esse aeternam (op. cit., p. 24), alii autem ut Darwin, Tyndall, Huxley (Ibid., pp. 25, 26) fatentur quaestionem de materiae origine ex scientia physica resolvi non posse (2): nec sufficit dicere totum mundum ex nebula evolutum esse; adhuc enim explicanda esset ipsius nebulae origo.

Vitam autem et organismum quod attinet: *a*) Omnes fatentur, quod et geologia confirmat, nulla viventia, vel plantas vel animalia, propter defectum conditionum ad vitam requisitarum, in hac terra olim existere potuisse: ita v. g. Virchow, Huxley, Tyndall (apud Gaynor, op. cit. pp. 83, 84). — *b*) Ipse Huxley cum Beale,

(1) Dicit Mill (« Three Essays on Religion », p. 137), « Nullum est argumentum quo demonstrative excludatur creatio et gubernatio mundi per voluntatem supremam ». Et Huxley (« Nineteenth Century », Feb. 1886), « Significare creditur Scriptor Mosaicus, substantiam materialem ibi existere incepisse ubi nihil ejusmodi antea existeret. Idque omnino concipi potest, neque proinde alicui negare licet rem ita evenire potuisse... Investigatori scientifico (me judice) nullatenus competit, de prima universi materialis origine aliquid statuere ».

(2) « Si petis a materialista, unde veniat haec *materia* de qua locuti sumus, nihil respondere potest. De quaestionibus hujusmodi silet scientia ». — Tyndall, « Scientific Materialism ».

Quatrefages et aliis, contra Tyndall, Haeckel, Fiske, et quosdam alios, docet vitam differre non gradu tantum, sed et genere ab actione quavis alia, item organismum a quavis alia structura v. g. crystallorum (op. cit., pp. 53, sqq.; 100, sqq.). — *c*) Darwin (« Origin of Species », conclus.) admittit principium vitale paucis quibusdam formis primitivis plantarum et animalium *a Creatore* inspiratum fuisse. — *d*) Fatentur unanimiter Darwin, Huxley, Virchow, Tyndall, etc., nunquam adhuc ex experimento scientifico demonstratam esse exceptionem ullam a lege generali, « omne vivum e vivo » (Gaynor, op. cit., p. 84) (1). — *e*) Quae autem media aliquibus « philosophis » sufficientia forte videbantur ad verificandum dogma materialisticum de origine vitae e bruta materia, jam sunt singula vel ab ipsis auctoribus omnium risu deserta, uti Bathybius Haeckelii (Ibid. pp. 104, sqq.) et generatio spontanea (Ib., p. 93); vel sunt manifeste et prorsus gratuita aut inadaequata, ut v. g. hypothesis projecti e spatio aut ab alio planeta in terram nostram lapidis astrici, qui prima vitae terrestris germina secum veheret (Ibid. pp. 5, 107). — Nihil ergo mirum *f*), id quod flens dicit Haeckel (Ibid., p. 89), ipsos « naturalistas » fere omnes inductos esse ad originis vitae explicationem in « miraculo incogitabilis creationis » quaerendam: uti eam explicant v. g. Lyell et Agassiz (cit. ibid., p. 22), Stewart et Tait (cit. ibid. p. 113) (2).

12. — **Difficultas** contra propositionem ingeritur ex Sap. 11. 18, ubi dicitur omnipotens Dei manus creasse « orbem terrarum *ex materia invisa* [ἐξ ἀμόρφου ὕλης: ex materia informi] ». — Sed hic agitur de creatione secunda (animalium etc.) nec asseritur materiae aeternitas et aseitas. Cf. Palmieri, pp. 39, 40.

Objiciunt etiam aliqui adversarii: absurde dici mundum « ex nihilo fieri ». — Haec vero locutio non significat nihilum mutari

(1) « Si a me petis, utrum ullatenus constet, formam qualemcumque vitae posse citra vitam demonstrabilem antecedentem ex materia evolvi, responsio mea est: Candide fateri homines scientificos, nullam probationem experimentalem produci posse, quae ostendat vitam aliunde quam a vita demonstrabili antecedenti evolvi posse ». — Tyndall, « Belfast Address ».

(2) « Illatio stricte scientifica logice nos conducere videtur ad agnoscendos duos eventus qui aeque incomprehensibiles sint ac miraculum quodlibet — qui eventus sunt, introductio in hunc mundum materiae visibilis, ac rerum visibilium viventium... Praeterea, potentiam cujus virtute hi eventus mirabiles effecti sunt, perducimur per analogiam scientificam aestimare ut intelligentem, ut potentiam quae in electione temporis opportuni ad operandum movetur rationibus in se similibus iis, quae hominem afficiunt dum aptum momentum eligit ad suum consilium exsequendum ». Stewart and Tait, « The Unseen Universe », p. 11. — Alia testimonia (v. g. Leibnitz, Thomson [Lord Kelvin], Siemens, Herschell) citant Boedder, « Nat. Theology », n. 40; Gerrard, « Science or Romance » (« The New Genesis »), pp. 109, sqq.

et *formari* in aliquid, sed tantum excludit praeexistentiam materiae: et, ut explicat S. Thomas (1, qu. 45, a. 1, ad 3), creatura « fit ex nihilo, idest, non fit ex aliquo: sicut si dicatur: iste loquitur de nihilo, quia non loquitur de aliquo ».

13. — Scholia de Conservatione et Concursu. — 1. Conservatio, ut nomen ipsum importat, est influxus Dei in creaturam quo haec perseverat in esse, et est proinde quasi continuata creatio (cf. S. Thom. 1, qu. 104, a. 1, ad 4). Hanc conservationem asserunt *Scripturae*, v. g. Sap. 11. 26, « Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? »; et *Patres*, uti S. Joannes Chrys. (hom. in paralyt., 12 contra Anom., n. 4), « Non enim solum protulit creaturam [Deus], verum etiam prolatam tuetur, et fovet..... cuncta fruuntur providentiâ illius, et si destituantur efficaci illius actione, diffluunt, dilabuntur, pereunt ». Eam quoque exigit *ipsa ratio* naturalis, ut in philosophia demonstratur. Etenim ex una parte supremum dominium Dei, qui est prima omnium causa, et ex altera parte contingentia creaturae quae est essentialiter ens ab alio habetque tantum esse imperfectum, exigunt ut ipsa semper et totaliter a Deo dependeat.

14. — 2. Concursum Dei, seu influxum ejus in omnium creaturarum actiones, non tantum *mediatum*, qui nihil aliud est quam conservatio creaturarum cum carum virtute agendi, sed et *immediatum* admittunt communiter theologi contra Durandum (in 2, d. 1, qu. 5), ita ut creaturae nihil agere possint citra auxilium actuale divinum, imo ita ut Deus immediate causet actionem physicam creaturarum.

Factum hujus concursus, quamvis non sit de fide definitum, haud obscure declarat 1. *Scriptura*, quae exhibet Deum agentem cum causis creatis: ita Ps. 146. 8, « Qui operit coelum nubibus, et parat terrae pluviam, qui producit in montibus foenum et herbam servituti hominum », et Act. 17. 28, « In ipso vivimus, et movemur et sumus ».

2. Idest testantur *Patres*, v. g. S. Augustinus (de Gen. ad litt., l. 5, c. 20, n. 41), « Movet itaque [Deus] occulta potentia universam creaturam suam, eoque motu illa versata, dum angeli jussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti..... dum vireta pullulant..... explicat saecula, quae illi [nempe universae creaturae], quum primum condita est, tanquam plicita indiderat; quae tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille, qui condidit, provido motu administrare cessaret ».

3. Hocque suadet *ratio*. Etenim a Deo, qui est causa universalis omnis esse, pendet realitas quaevis positiva, nec potest haec

incipere esse citra voluntatis omnipotentis nutum; atqui omnis creaturae actio, physice et entitative spectata, est realitas positiva; ergo poni nequit citra actualem Dei concursum.

De *natura* autem et modo concursus hujus immediati multum disputatur: quae tamen disputatio, quatenus actiones naturales respicit, ad philosophiam, quatenus autem actiones supernaturales spectat, ad tractatum de Gratia pertinet. De concursu divino fusius agunt Lessius, de Perf. div., l. 11, cc. 3, 4; Stentrup, thesib. 53, sqq.

QUAESTIO SECUNDA

DE CAUSA CREATIONIS

15. — Praenotandum. — Nullam esse causam *materialem* creationis constat, creatio enim est productio ex nihilo; causam autem *exemplarem* esse Deum ipsum seu essentiam divinam quatenus est imitabilis et participabilis ad extra, jam dictum est in tract. de Deo Uno, ubi de ideis divinis. Hic ergo dicendum est duplici propositione de causa creationis *efficiente* et *finali*.

16. — Propositio I. Causa efficiens creationis est 1. de facto Deus solus, idque 2. actione tribus Personis communi, nullatenus autem 3. etiam de possibili, creatura ulla.

Prob. prima pars, quae de fide est ex Conciliis Lateranensi IV et Vaticano (vid. supra, n. 4). — **I.** Ex Scriptura, quae passim Deo, nunquam autem alii creationem adscribit, imo excludit alios v. g. Is. 44. 24, sqq., « Ego sum Dominus faciens *omnia*, extendens coelos *solus*, stabiliens terram et nullus mecum »: cf. Ib. 40. 12, sqq.; Jerem. 10. 11, sqq.

17. — **II.** Ex Symbolis, quae primo loco fidem profitentur in unum Deum Creatorem coeli et terrae; et ex Patribus qui saepe damnant et refutant tanquam haereticos, Gnosticos aliosque qui mundi effectionem angelis aut aeonibus tribuebant, ac passim nostram doctrinam supponunt aut declarant. Ita v. g. S. Augustinus (de Gen. ad litt., l. 9, c. 15, n. 26), « Angeli..... nullam omnino possunt creare naturam; solus enim unus cujuslibet naturae, seu magnae, seu minimae Creator est Deus, idest, ipsa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus ».

18. — **Prob. secunda pars,** de qua, quamvis jam tradita a Conc. Lateranensi IV (ubi tres Personae dicuntur « unum universorum principium »), erraverunt Günther, Staudenmaier et quidam alii, qui diversas operationes diversis Personis divinis ut exclusive proprias adscribebant. — **I.** Ex Scriptura, quae crea-

tionem tribuit Patri, Luc. 10. 21, « Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae »; Filio, Jo. 1. 3, « Omnia per ipsum facta sunt... » (cf. Coloss. 1. 15, sqq.); Spiritui sancto, Ps. 103. 30, « Emitte Spiritum tuum et creabuntur ».

19. — **II.** Ex Patribus hanc veritatem declarat v. g. S. Athanasius (epist. 1. ad Serap., n. 8), « Tota creandi et efficiendi vi praedita est [S. Trinitas], sibi quoque similis et individua est natura, unaque ejus est efficacia et actio. Nam Pater per Verbum in Spiritu sancto omnia facit, eoque modo sanctae Trinitatis unitas servatur. Ita unus Deus in ecclesia praedicatur, qui est super omnia et per omnia et in omnibus ». Huc pertinent et verba S. Augustini (de Gen. ad litt. jam. cit.).

20. — **III.** Ratione. Ex axiomate recepto, « in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio », aliis verbis, omnia sunt tribus personis communia praeter relationes originis (ut exponitur in tract. de SS. Trinitate, n. 125); atqui creatio est operatio divina, cujus principium proximum quo non est quid relativum sed proprietates absolutae, intellectus nempe et voluntas; ergo. — Patri quidem solet specialiter tribui nomen « Creator »; sed hoc fit per appropriationem, ut dicunt, idest propter affinitatem creationis cum charactere personali Patris, qui est fons totius Trinitatis et principium sine principio.

21. — **Prob. tertia pars,** quae quatenus negat dari posse creaturam, quae vim creativam *principalem* sibi a Deo inditam habeat, communis est et certa (contra Durandum, in 2, d. 1, qu. 4; et pauços alios): contra Lombardum vero (4, d. 5, n. 3) et alios qui putabant creaturam posse esse creationis causam *instrumentalem*, saltem per potentiam obedientialem, est etiam communis.

I. Scriptura mundum hunc aspectabilem proponit ut argumentum manifestum supremae Dei excellentiae, unde et ei adoratio tribuenda sit (cf. Ps. 95. 5; Sap. 13; Jerem. 10. 10; Rom. 1. 19, sqq.); atqui si causalitas et vis creativa, etiam instrumentalis proprie dicta possent absolute loquendo creaturae cuivis communicari, effectio mundi non esset argumentum manifestum supremae Dei excellentiae.

22. — **II.** Post plures Patres (SS. Basilium, Athanasium, Cyrillum Alex., Augustinum, etc., citt. apud Palmieri, thes. 6, n. III), dicit S. Joannes Damasc. (de fide orth., l. 2, c. 3, fin.), « Quotquot autem sunt, qui substantiam ullam, quaecumque tandem illa sit, ab angelis creatam esse contendant, horum ore diabolus, qui est eorum pater, loquitur; cum enim creaturae sint, rerum minime conditores sunt »; atqui his verbis non tantum declaratur, creaturas su-

premas quae actu existunt, sed nec ullas omnino creaturas etiam possibiles, eo ipso quod sint creaturae, creare posse; ergo.

23. — **III.** Ex potentia creativa quam Scripturae (Jo. 1. 3; Coloss. 1. 16; Hebr. 1. 10, etc.) tribuunt Verbo divino, inferunt Patres contra Arianos, Verbum esse Deum: ita v. g. S. Athanasius (serm. 2 contra Arian., n. 21), « Omnia per Verbum facta sunt, quod sane non fecisset omnia si ipsum quoque Verbum e rebus creatis esset; nec enim vel angeli possunt creare, cum ipsi sint creati »; atqui hoc argumentum invalidum esset, nisi creatio sit absolute propria Deo; ergo.

24. — **IV.** Ex ratione. Si creatura posset esse causa physica efficiens creationis, esset vel causa principalis (cum dependentia, ut supponitur, a Deo), vel instrumentalis; atqui neutra causa esse potest; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Creaturam non posse esse causam *principalem* creationis sine limitatione, per se constat, potentia enim illimitata non potest esse in subjecto limitato: sed inde sequitur, creaturam non posse vi creativa principali omnino potiri: nam si posset unum ens creare, posset et plura usque ad indefinitum, quia nihil obstaret vel *a*) ex parte materiae (quae non requiritur ad creationem), vel *b*) ex parte improportionis ad aliquos effectus particulares excellentiores, quia objectum formale vis creativae est ens ut ens, quae ratio in omnibus creabilibus invenitur, vel *c*) ex parte ipsius virtutis creativae, quae cum spiritualis sit debilitari nequit; ergo creatura non potest esse causa efficiens principalis creationis.

2. Nec potest esse causa *instrumentalis*. Omnis causa instrumentalis proprie dicta *a*) habet proportionem ad effectum obtinendum (penicillus v. g. ad pingendum, securis ad caedendum), et *b*) ratione prius agit quam causa principalis, et quasi media intercedit inter ipsam et effectum, vel materiam disponendo (sicut securis v. g. per aciem suam reddit lignum formabile fabro), vel causam ipsam principalem modificando (sicut telescopium v. g. in observatione astronomica); atqui cum in opere creationis quam maxima sit distantia et oppositio inter terminum a quo, quod est nihilum, et terminum ad quem, quod est ens in actu, hinc *a*) creatura, utpote finita, proportionem non habet ad effectum hujusmodi infinitum, nec potest *b*) media intercedere ad materiam disponendam cum haec nulla sit, aut ad causam principalem, nempe Deum, modificandam quia sibi sufficiens est; ergo nullatenus potest esse creatura causa efficiens creationis. Cf. S. Thomas, 1, qu. 45, a. 5.

25. — Scholion. — Creatio spectata active, seu quatenus est actio Dei non est formaliter transiens, quia remanet intra ipsum Deum, seu est immanens, imo est ipsa ejus voluntas et essentia cum relatione tantum rationis ad creaturas. Ita post S. Thomam (contra gent., l. 2, c. 23, « Amplius, secundum Philosophum »; et alibi), plures diversarum scholarum theologi contra Suarez, quibus favere videtur modus loquendi Scripturae et Traditionis, quae existentiam rerum verbo, voluntati, mandato, etc. Dei tribuunt. — Cum tamen actio Dei creativa ex infinita ipsius perfectione habeat terminum et effectum extrinsecum, dicitur *virtualiter transiens*. Cf. Palmieri, pp. 62-65; Franzelin, de Deo, thes. 27, pp. 311, 312.

Passive spectata, seu ex parte creaturae, creatio, item ex S. Thoma (1, qu. 45, a. 3), est relatio realis creaturae ut ad principium sui esse, et dicitur a S. Doctore (l. c., ad 2) esse *in creatura* et simul *creatura ipsa:* scilicet « est in creatura » ut relatio, « et est creatura » ut fundamentum relationis.

Divinae voluntatis actionem creativam esse liberam, probatur in tract. de Deo Uno (p. 3, qu. 2, c. 2, a. 2).

26. — Propositio II. Creationis causa finalis primaria est Dei gloria externa, seu bonitatis excellentiaeque ipsius manifestatio et agnitio: secundaria autem est bonum creaturarum et maxime hominum.

Prob. prima pars, quam post Protestantes et Rationalistas plures (Mosheim, Wegscheider, Kant, etc.) et post Cartesium videtur negasse Hermes (cf. Knoll, t. 2, nn. 140, sqq.), quamque definivit Concilium Vaticanum (de Fide Cath., can. 5, « Si quis... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, a. s. »: Denz. 1652; cf. cap. 1). — **I.** Ex Prov. 16. 4, « Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque in diem malum » (idest, juxta hebr., « qui iturus est in diem malum »); atqui non potest Deus, cum infinite perfectus sit, aliquid operari ad internam gloriam et beatitudinem suam augendam aut ad aliquam perfectionem novam acquirendam; ergo in operatione sua ad extra et in creatione operatus est Deus ad perfectionem suam manifestandam, seu ad gloriam suam externam.

27. — II. Scripturae docent, 1. mundum esse signum perfectionum invisibilium Dei (Rom. 1. 20; Sap. 13. 1, sqq.; 11. 16); signumque praestantissimum, quo Deus mirabiliter se manifestat (Ps. 18. 1, sqq.; 88. 6; 103. 24); eumque esse cumulum beneficiorum Dei quo homines excitentur ad laudem, cultum et amorem Deo tribuendum (Ps. 135; Is. 42. 5-10): docent pariter 2. Deum velle cognosci, laudari, coli, amari a creaturis rationalibus (Rom. 1.

21-24; Deut. 10. 12, sqq.; Exod. 14. 17, 18) atque in hunc finem ad creationem rerum provocare (Is. 40. 18, sqq.) idque ita velle, ut ipsa felicitas et salus creaturarum rationalium in laudem cedat et honorem Dei (Is. 43. 7; Ps. 85. 9; 105. 8; Jo. 9. 3; Eph. 1. 6-12; 1 Cor. 10. 31); atqui ex his constat, quod etsi divina bonitas se ad extra effuderit in bonum creaturarum rationalium, finis tamen ultimus per hanc diffusionem obtinendus fuit gloria Dei; ergo.

28. — **III.** Patres hanc veritatem saepe declarant. Ita v. g. Theophilus (ad Autolycum, l. 1, n. 4), « Omnia Deus fecit, cum antea non essent, ut ex operibus cognoscatur et intelligatur ejus majestas ». Et ex Tertulliano (apol., c. 17), Deus « totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit, in ornamenta majestatis suae ».

29. — **IV.** Ratione. Deus cum ordinatissime agat, necessario ordinat bona inferiora ad superiora et magis excellentia (cf. S. Thomas, 1. qu. 19, a. 5; Contra gent., l. 1, c. 86); atqui omne creaturae bonum comparate ad Dei perfectionem et bonitatem quasi nihilum est; ergo Deus omnia creata ad suam gloriam, non quidem internam, quae augeri nequit, sed ad extrinsecam ordinat. — Cf. Lessius (de Perf. Div., l. 14, n. 56). — Errorem vero contrarium Hermesii plurima involvere absurda, exponit Knoll, n. 140. Sequeretur v. g. hominem esse finem supremum, ad cujus felicitatem ordinaretur ipsa divina operatio, etc.

30. — **V.** Omne quod creatur, ex natura rei et ideo ex intentione Dei necessario est participatio et repraesentatio aliqua bonitatis divinae; atqui quod creatur ad repraesentationem bonitatis Dei, ex ipsa definitione externae gloriae, ad Dei gloriam externam objectivam ordinatur; ergo creatura quaevis ad Dei gloriam externam necessario creatur.

31. — **Prob. secunda pars,** nempe quod causa finalis secundaria creationis est bonum creaturarum, et maxime hominum. — **I.** Ex Sap. 11. 25, « Diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti ». — Ex his verbis, Deus amat omnes creaturas; atqui non potest eas amare amore concupiscentiae, cum nihil commodi ex eis accipere possit; ergo amat eas amore benevolentiae, seu produxit eas in earum bonum. — Ad bonum autem hominis praecipue reliquas creaturas visibiles ordinari, saepe docet Scriptura. Ita Gen. 1. 28, « Replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus..... »; Ps. 8. 5, sqq., « Quid est homo quod

memor es ejus..... constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus »; 1 Cor. 3. 22, 23, « Omnia vestra sunt..... vos autem Christi, Christus autem Dei ».

32. — **II.** Ex Patribus, haec loca citasse sufficiet. S. Jo. Chrys. (hom. 3 in epist. ad Philem., n. 2), « Cum nostri non indigeret, fecit nos. Fecit coelum, terram, mare, omnia quae sunt, propter nos ». Et S. Gregorius Naz. (orat. 44, n. 4), « Quod si homo postremus creatus est, idque cum Dei manu atque imagine ornatus sit, nemini mirum videri debet. Construendum prius, tanquam regi, palatium erat, atque ita rex introducendus, omni jam suo satellitio stipatus ».

33. — **III.** Ex dictis, causa finalis primaria creationis est externa Dei gloria tum per bonitatis divinae manifestationem in creaturis omnibus (quae vocatur Dei gloria externa *objectiva*), tum praecipue per illius excellentiae et bonitatis agnitionem theoreticam et practicam a creaturis rationalibus (quae dicitur gloria externa *formalis*); atqui manifestatio excellentiae Dei in quibusvis creaturis importat participationem aliquam divinae bonitatis ipsis communicatam: et nominatim in creaturis rationalibus agnitio theoretica et practica illius excellentiae est earum perfectio et beatitudo sive inchoata sive consummata; ergo Deus dum in creatione ut finem primarium vult gloriam suam externam, vult simul creaturarum bonum ut finem secundarium et subordinatum. — Commemorandum quoque est, res omnes alias creatas ex natura sua et proinde ex Dei intentione, hominis beatitudini multis modis ac praesertim per ipsarum contemplationem mediate inservire.

34. — **Scholion de Mundo Optimo.** — Licet Deus mundum ad perfectionem suam manifestandam creaverit, hoc tamen ex Concilio Vaticano (de Fide Cath., cap. 1: Denz. 1632) « liberrimo consilio » praestitit, determinando qui praecise gloriae extrinsecae gradus a creaturis habendus esset: et quatenus hic gloriae gradus revera, secundum Conditoris sapientissimi et potentissimi ideam ac decretum absolutum, in ordine tum naturali tum supernaturali exprimitur, eatenus, *sensu relativo*, relate nempe ad finem a Deo absolute intentum, mundus sane est optimus. — Mundum autem *absolute et omni sensu optimum* prorsus repugnare, docet ipsa ratio: quia nulla creatura, quippe quae similitudo Dei necessario deficiens est et imperfecta tantum, potest perfectionem ejus adaequate et optime repraesentare; et praeterea, exigit Dei omnipotentia ut ipse, effecto quovis opere, possit aliquid adhuc perfectius operari. Cf. S. Thomas, 1, qu. 25, artt. 5. 6.

QUAESTIO TERTIA

DE TERMINO CREATIONIS

35. — **Praenotandum.** — Nullum esse creationis terminum a quo, ex jam dictis constat. Terminus autem ad quem, juxta Symbola, visibilia complectitur et invisibilia: seu, ut docet Concilium Vaticanum (const. cit., cap. 1) post Lateranense IV, Deus « simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, *angelicam* videlicet et *mundanam*, ac deinde *humanam* quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ». Superest, ut inquiratur 1. de creaturae hujus antiquitate, ac 2. de modo et ordine creationis ejus.

CAPUT PRIMUM

De Creaturae Antiquitate

36. — I. Ex fidei documentis abunde constat, nullas res ab aeterno esse creatas, sed omnes in tempore (seu potius *cum* tempore, quod cum prima creatura incepit) fuisse productas: quam veritatem jam a Concilio Lateranensi IV, iisdem ipsis verbis quae Concilium Vaticanum usurpavit, definitam, iterum contra quemdam Ekkardum asseruit Joannes XII (Denz. 428-430).

1. Hanc doctrinam non obscure docet *Scriptura sacra*. Licet enim quaedam quae adduci solent testimonia videantur tantum de *formatione* mundi loqui, firmum videtur v. g. illud Genes. 1. 1, « In principio creavit Deus coelum et terram » (vid. supra, n. 7, I); item Eph. 1. 4, « Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem » (graece: πρὸ καταβολῆς κόσμου: ante jacta mundi fundamenta), idest ante creationem ipsius materiae. Imo putant nonnulli, errorem philosophorum gentilium de materia aeterna explicite rejici ab Apostolo in posteriori textu (vid. Picon. in loc.). Huc etiam spectat

Prov. 8. 22, 27, « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam *quidquam* faceret a principio..... Quando praeparabat coelos, aderam ».

2. *Patres* creationem mundi ab aeterno non tantum negant, sed intrinsece repugnantem judicant. Ita S. Basilius (adv. Eunom., l. 2, n. 17), « Nos autem et creaturis aeternitatis testimonium praebere, et creaturarum Dominum hac dignitate privare, ejusdem esse amentiae arbitramur ». Et ex S. Joanne Damasc. (de fide orth. l. 1, c. 8), creatura « cum sit voluntatis opus, Deo profecto coaeterna non est. Haud enim natura comparatum est, ut quod ex nihilo producitur, eandem cum eo quod initio caret, et sempiternum est, aeternitatem aut perpetuitatem habeat ». Item S. Augustinus (confess., l. 12, c. 15, n. 19), « Nec tamen tibi Deo coaeterna [creatura intelligens], quoniam non sine initio: facta est enim ». Veritatem istam manifeste quoque assumunt Patres illi qui ex Verbi aeternitate divinitatem ipsius inferunt.

37. — II. Si vero *rationis naturalis* judicium inquiratur: 1. Quoad quaestionem *facti*, *a*) certum est, hunc mundum qui nunc est non exstitisse ab aeterno, idque fatentur ipsi scientiae naturalis cultores; nec, admissâ creatione libere a Deo effectâ, *b*) ostendi potest mundi materiam primordialem necessario exstitisse ab aeterno.

2. *Possibilitatis* autem quaestionem quod attinet: *a*) Certum videtur mundum hunc in concreto, uti nunc est, nec potuisse stricte loquendo aeternum esse, cum ejus duratio sit successiva, non « tota simul »: imo nec ab aeterno existere, quia tunc includeret animarum humanarum multitudinem actu infinitam, id quod repugnat ex sententia plurium cum S. Thoma (1, qu. 46, a. 2, ad 8). — *b*) De mundo autem in abstracto seu de creatura in genere, quaestio hoc modo proponi potest: Num intrinsece repugnet res producta, quae sit ab aeterno, seu initio carens: et de hac saltem quaestionis forma intelligendum est quod dicit S. Thomas (l. c., corp.), « mundum non semper fuisse, sola fide tenetur, et demonstrative probari non potest ». Aliqui quidem cum Valentia et Suarez id possibile volunt de substantia essentialiter, physice et perfecte immutabili seu incorruptibili, si ejusmodi daretur. Alii post Patres cum S. Bonaventura simpliciter negant. Alii cum Palmieri nullam quidem vident repugnantiam evidentem in ipsa notione entis contingentis et producti ab aeterno, bene vero in quibusdam veluti proprietatibus quae cum natura entis cujusvis contingentis sunt intrinsece connexae, ac praecipue in illius duratione aliquo modo successiva. Alii demum candide fatentur ignorantiam. Cf. Pesch, nn. 62, 63.

CAPUT SECUNDUM

De Modo et Ordine Creationis

38. — I. De modo et ordine creationis rerum spiritualium, nempe angelorum, nullum certum habetur revelationis testimonium; probabilior autem juxta S. Thomam (1, qu. 61, a. 3), et cujus contraria (ex Suarez, de angelis, l. 1, c. 3, n. 15) jam post Concilium Lateranense IV foret temeraria (1), est sententia communis S. Augustini et scholasticorum docentium angelos creatos fuisse simul cum materia, et non longe antea, id quod juxta plures voluerunt SS. Basilius, Joannes Chrysostomus et quidam alii Patres praesertim graeci. Cf. tamen Palmieri, thes. 22, n. II.

De origine vero reliquarum creaturarum, animatarum et inanimatarum, exstat testimonium inspiratum Geneseos (cap. 1), cujus quidem plenior expositio ad aliam pertinet disciplinam: hic autem licebit summatim inquirere, quid doceat locus ille de creationis ordine et modo.

39. — II. Et imprimis retinendum est, hoc testimonium, non solum quatenus enuntiat factum generale creationis, qui sane scopus praecipuus illius fuit, sed etiam quoad omnia quae de rebus etiam naturalibus continet, esse Dei verbum ideoque, juxta doctrinam epistolae encyclicae Leonis XIII, « Providentissimus Deus » (18 Nov. 1893: Acta S. Sedis, t. 26, p. 288), necessario et infallibiliter verum; quod et elucet ex damnatione in decreto « Lamentabili sane » Pii X (8 Sept. 1907: Acta S. Sedis, t. 40, p. 471) propositionis hujus (11), « Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam sacram extenditur, ut omnes et singulas ejus partes ab omni errore praemuniat ». Recentius adhuc, « sensum litteralem historicum trium priorum capitulorum Geneseos » distincte asseruit Commissio de Re Biblica octo responsis quae a Pio X die 30 Junii 1909 confirmata sunt (Acta Apost. Sedis, t. I. p. 567). Nominatim negat documentum istud (resp. ad 2), doceri posse dicta Geneseos capita, « continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet objectivae realitati et historicae veritati re-

(1) Adnimadvertendum autem est,ad simultaneitatem creationis probandam vix sufficere vocem *simul* in decreto Lateranensi: hoc enim adverbio, quod ex Eccli. 18. 1, desumitur, et graece est κοινῇ, probabiliter voluit tantum Concilium, contra Albigensium errorem agendo, significare omnia *pariter* extra Deum, tum visibilia tum invisibilia, fuisse *aequaliter* et ab eodem consilio divinitus creata.

spondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accomodata; vel allegorias et symbola, fundamento objectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas ».

At simul observandum est, quod et declarat citatum documentum (resp. ad 5 et 7), objectivam veritatem hoc testimonio divinitus significatam non esse necessario eam ipsam sententiam quae nunc ex prima verborum inspectione menti occurrit: naturalia enim facta secundum apparentiam externam ac modum loquendi tunc vulgarem et usitatum enarrantur. Unde docuit Leo XIII in encyclica laudata « Providentissimus Deus », scriptores sacros res sensibiles « aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) ea secutus est, quae sensibiliter apparent [1, qu. 68, a. 3; qu. 70, a. 1, ad 3], seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more ».

Hinc factum est, ut de Hexaemero Geneseos, seu de historia sex dierum creationis libere disputatum sit vel apud ipsos Catholicos, idque praesertim hodie, quando a philosophis, ex telluris cortice inspecto et ex factis astronomicis, plane demonstratum est, inter prima hujus mundi aspectabilis exordia et vitae humanae initia non paucos tantum dies, sed plura saeculorum millia elapsa esse. Unde, juxta sapientem monitum Leonis XIII in dicta encyclica post SS. Augustinum et Thomam, nulla aliqua particularis explicatio dierum creationis, etsi a quibusdam Patribus tradita fuerit, tanquam unice vera proponenda est. Universim scilicet, juxta declarationem laudatam Commissionis Biblicae (resp. ad 4), in interpretandis illis horum trium priorum Geneseos capitulorum locis, quae Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, licet, « salvo ecclesiae judicio servatâque fidei analogiâ, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam ». Speciatim (ex resp. ad 8), sumi potest « vox Yôm (dies), sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio, deque hujusmodi quaestione libere inter exegetas disceptare » licet. Cf. S. Thomas, 1, qu. 68, a. 1, corp.

40. — III. His praejactis, breviter indicandae sunt *praecipuae Hexaemeri expositiones*, quas ad tres classes revocare licet.

I. Prima sententia docet diem genesiacum esse diem ordinarium 24 horarum, seu potius *diem naturalem:* rotatio enim telluris in initio multo velocior erat secundum astronomos quam postea, fiebatque probabiliter in spatio quae aequivaleret tribus tantum aut quatuor horis ordinariis nostris (cf. Ball, « Story of the Heavens », pp. 541, 542).

a) Hujus sententiae prima forma, quam communius docuerunt Patres, et retinent adhuc aliqui recentiores (apud Pesch, nn. 89, 90), dicit totum mundum intra spatium sex dierum naturalium formatum fuisse.

b) Alia forma, ad difficultates geologicas supradictas evitandas, adstruit, antiquiores terrae formationes geologicas primitus effectas fuisse juxta verba, « In principio creavit Deus coelum et terram »; deinde in aliqua catastropha has formas destructas fuisse secundum verba, « terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi »; ac postremo post longa saecula, intra spatium sex dierum naturalium qui in Genesi recensentur factam esse restitutionem mundi ad conditionem suam actualem cum plantis, animalibus, homine, etc.: unde haec explicatio, quam tenuit Card. Wiseman, vocatur « theoria restitutionis ».

c) Tertia forma antiquiores terrae formationes explicat per catastrophas postadamiticas et praecipue per Diluvium, unde dicitur « theoria diluvialis ».

41. — **II. Secunda sententia** docet dies genesiacos esse *ideales*, seu ordinem creationis logicum et idealem, non vero chronologicum, efferre.

a) Celeberrima hujus expositionis forma auctorem habet S. Augustinum (de Gen. ad litt., l. 4, c. 23, n. 40; et alibi), qui omnes res in uno instanti creatas fuisse probabile putabat, anorganicas scilicet actu, organicas vero tantum in potentia seu secundum « rationes seminales », ita ut postea paulatim crescerent. In hac S. Augustini sententia sex dies sunt tantum actus successivi intellectuales quibus genera praecipua rerum creatarum agnoverunt angeli, ita ut per verbum « vespere » indicetur cognitio obscurior creaturarum quam habuerunt angeli ex rebus ipsis, ac per « mane » earumdem rerum cognitio perfectior quam habuerunt in Verbo divino (loca aliqua S. Augustini exscribit Corluy, « Spicil. », t. 1. pp. 176, sqq.). Creationem instantaneam omnium omnino rerum, etiam organicarum, in actuali existentia et non tantum « secundum rationes seminales », docuit, cum Philone, schola Alexandrina, quam secuti sunt Origenes et S. Athanasius, ac forsan SS. Gregorius Nyssenus

et Basilius (quorum verba exhibet Garnerius in prolegomenis ad opera S. Basilii: M. 29. CLXXXV).

b) Altera hujus sententiae forma, admisso mundum successive et non in uno instanti creatum fuisse, docet per sex dies significari historice quidem, non autem secundum ordinem temporis sed notionaliter, sex praecipua Creatoris opera tanquam *typos* hebdomadae humanae. Adstruit scilicet, primo describi hoc loco triplicem *distinctionem* seu distributionem generalem universi in regiones luminosam, aëream cum aquosa, terrestremque; ac deinde trium harum regionum *ornatum* quae sunt respective luminaria coelestia, deinde aves et pisces, ac demum plantae ac animalia. Cf. S. Thomas, 1, qu. 74, a. 2, ad 2.

c) Tertia hujus sententiae forma ab Ill. D. Clifford proposita (« Dublin Review », 1881), docet Hexaemeron Mosaicum esse tantum hymnum liturgicum, quo dies hebdomadis, ne more gentium diis falsis consecrentur, ad Deum, secundum praecipua creationis opera, referantur.

d) Ad hanc classem etiam reduci potest theoria « Visionistarum » seu « Revelationistarum », qui censent sex dies esse tot illuminationes intellectuales seu visiones, quibus successive revelata sint Adamo, vel auctori Geneseos, praecipua creationis opera plus minus secundum ordinem realem quo revera producta sunt. Ita praesertim Hummelauer, in Genes., pp. 68-74.

42. — **III. Tertia sententia** quam tenent plures Catholici recentiores, uti Pianciani, Palmieri, Molloy, Corluy (juxta quem « fere communis fit »), docet dies Geneseos esse sex *periodos durationis indeterminatae*, seu spatia longiora temporis, in quibus formatus est successive mundus hic visibilis.

43. — IV. Ut jam de his sententiis judicium aliquod feratur:

1. Potuit quidem Deus absolute loquendo mundum uti nunc existit intra sex dierum naturalium spatium formare, sed cum ex testimonio geologiae, palaeontologiae et astronomiae apud eruditos prorsus receptum sit, universum visibile nonnisi paulatim per plura saeculorum millia ad praesentem statum adductum fuisse, videretur Deus in primo systemate (dierum naturalium) hominibus veritatem de rebus naturalibus inquirentibus quasi illudere voluisse. — Nec multum juvat adjecta theoria « restitutionis »: cernuntur enim plura telluris strata non per violentam aliquam catastropham, sed per lentam conversionem producta fuisse ac praeterea plantae et animalia praeadamitica, quorum « fossilia » adhuc supersunt, vixissent juxta hanc hypothesim sine luce et lumine solari, id quod non admittunt periti.

2. Expositio idealis quemadmodum a S. Augustino proponitur improbabilis nunc habetur, eo ipso quod ex ea, contra communem Patrum sententiam ac ipsius Geneseos naturalem significationem, mundus in instanti productus dicatur. — Duae autem aliae explicationes ideales (*b* et *c*), licet factum historicum formationis successivae hujus mundi admittant, perturbando tamen operum Dei ordinem realem, videntur Genesi contradicere. De quarta forma (*d*) mox dicetur.

3. Adversus tertiam sententiam potissimum urgetur, nomen hebraicum « yôm » (dies) significare semper litterali sensu spatium 24 horarum, nunquam autem periodum indeterminatam (vid. praesertim Hummelauer, pp. 61-65). Contra vero reponitur : *a*) « yôm » etiam in singulari numero de tempore indeterminato alibi in Scriptura adhiberi (ita Amos, 8. 13, « in die illa deficient virgines », Nahum 3. 17, « dies frigoris », Ps. 2. 7, « Hodie genui te ») ; *b*) in ipsa Genesi legitur (2. 4, 5), « in die, quo fecit Dominus Deus cœlum et terram et omne virgultum agri..... », et (2. 2), « requievit [Dominus] die septimo » : quibus locis certe non significatur dies 24 horarum ; *c*) tres primi dies certe non erant dies *solares ; d*) phrasis « vespere et mane » de singulis diebus repetita difficile explicatur de die ordinario. Vid. Palmieri, p. 148 ; cf. tamen Corluy, p. 180, et Rob. F. Clarke, (apud « Tablet », 23 Jan., 1897, p. 124).

44. — V. Ex his, probabiliores videntur 1. theoria visionis et 2. theoria periodum ; nec tamen 3. hae theoriae se mutuo excludere necessario dicendae sunt. — 1. Cum opificium mundi humano oculo visum non sit, modus et ordo illius ex solo Deo per revelationem addisci poterat, ut jam notavit S. Joannes Chrys. (hom. in c. 1, Genes., n. 2) : et probabiliter supponi potest, hanc revelationem, sicut saepissime in Scriptura narratur, factam fuisse per *visiones*, seu illuminationes mentales numero respondentes sex diebus hebdomadis humanae, inter quas alternatim interpositae essent tenebrae, seu absentia illuminationis mentalis. Deinde singularum harum visionum initium (aliquatenus secundum explicationem S. Augustini, op. imperf. in Genes., c. 15, n. 52), dictum esset « vespera » ut significaretur informis et incompletus status operis, finis autem illius vocaretur « mane » propter statum operis jam formatum et completum (1). — 2. Singuli autem « dies » illi, seu visiones et illuminationes, nequaquam mere imaginarii et phantastici forent, sed objective et realiter responderent, tanquam tot picturae seu tabulae, praecipuis Dei operibus per longa temporis

(1) Locutiones « vespere et mane » de visione Danielis, 8. 14, 26, adhibitas, suspicatur Knabenbauer, in loc., pp. 215, 221, esse corruptiones textus primitivi.

spatia successive effectis, et aequivalerent proinde in narratione sacra periodis longis et indeterminatis creationis. — Hinc 3. duae istae theoriae « visionum » et « periodum » non necessario invicem opponuntur, easque conjungere videntur Pesch (n. 97), Corluy (l. c., p. 188 : et in « La Science cath. » 15 jul. 1889, cit. ab Hummelauer, p. 74), ac apertius Dr. G. Molloy, « Periodista » celeber (« Irish Eccl. Record », Dec. 1896, pp. 1057, sqq.).

45. — VI. Notandum demum est, non asseri in hac explicatione concordiam omnino completam, accuratam et exclusivam singulorum Geneseos dierum cum distinctis periodis geologicis, ita ut v. g. ante diem quintum Geneseos (secundariae geologorum aetati respondentem) exstitisse putentur solae plantae, ad exclusionem omnium animantium (v. g. piscium). Auctor enim Hexaemeri commemorat tantum per lineamenta generaliora opera *maxime notabilia* et quasi propria et specificativa singulorum dierum, nempe (ut de organicis dicatur) plantas aetatis geologicae primariae assignat tertio diei (vv. 9-13), reptilia et volucres secundariae aetatis adscribit quinto diei (vv. 20-23), mammifera demum aetatis tertiariae diei sexto (vv. 24-31), et ita habetur mira sane concordia. Cf. Molloy (l. c., pp. 1062, « Geology and Revelation », edit. 1873, pp. 424, sqq.). Perfectior autem et omnimoda concordantia inter Genesim et geologiam, quam aliqui (v. g. Kinns, « Moses and Geology ») stabilire conantur, vocatur a Pesch (n. 97) « res satis desperata », eamque velle asserere religionem ludibrio forsan exponit.

PARS SECUNDA

DE ANGELIS

46. — ANGELUS vi vocis est *nuntius* seu *missus* (graece ἄγγελος) et proinde, ut notant S. Augustinus (enarr. in Ps. 103, serm. 1, n. 15) et S. Gregorius M. (hom. 34 in Evang., n. 8), nomen officii est, non naturae ac in ipsa Scriptura aliquando de meris hominibus (Mal. 2. 7; 3. 1: cf. Math. 11. 10) aliquando de ipso Verbo Incarnato (Mal. 3. 1, « Angelus testamenti ») adhibetur. Proprio autem Scripturae et Christianorum usu angeli intelliguntur, « naturae intelligentes Deo inferiores, homine praestantiores », quarum aliae hoc solo nomine, aliae specialibus nominibus insigniuntur. Hac ergo definitione nominis supposita, inquirendum est de angelis in ordine tum naturali tum supernaturali, et primo quidem de eorum existentia et natura.

QUAESTIO PRIMA

DE ANGELIS IN ORDINE NATURALI

CAPUT PRIMUM

De Angelorum Existentia

47. — **Praenotandum.** — Angelorum existentiam negaverunt ex Judaeis Sadducaei (cf. Act. 23. 8), recentiori aetate Anabaptistae et Sociniani, ac hodie cum Rationalistis Protestantes plures liberiores. Ex Concilio autem Lateranensi IV et ex Vaticano (Denz. 1632), « Deus..... simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, *angelicam* videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam »: unde statuenda est

48. — Propositio. Existunt angeli.

Prob. I. Vera est propositio si dantur 1. naturae intelligentes quae vocantur angeli, quae sunt 2. Deo inferiores, et 3. homine superiores; atqui haec omnia ex Scriptura constant; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Dari naturas intellectuales quae vocantur angeli, constat ex pluribus locis veteris et novi Testamenti, ubi narrantur apparitiones angelorum cum hominibus loquentium, ita v. g. in casu Abrahae (Gen. 22. 11, et alibi), Jacob (Ib. 28. 12, etc.), Eliae (3 Reg. 19. 5, etc.), Tobiae (per totum librum), Zachariae (Luc. 1. 11), B. Virginis (Ib. 1. 28), S. Josephi (Matth. 1. 20, etc.), S. Petri (Act. 12. 7): item dicuntur angeli videre Deum (Matth. 18. 10), ministrare ei (Dan. 7. 10), ac laudare eum (Apoc. 7. 10, 12, etc.): quae omnia arguunt naturas intelligentes.

2. Angelos esse Deo inferiores, constat ex eorum creatione (Coloss. 1. 16), ex ministerio et adoratione quam Deo praestant (ut jam dictum est), ex eo quod vocant se servos Dei (Apoc. 22. 9).

3 Angelos esse homine praestantiores, constat *a*) ex dotibus quas Scriptura eis tribuit, v. g. quod sint immunes a legibus physicis quibus homo naturaliter subjectus est (cf. Dan. 3. 49; 14. 35; Matth. 28. 2; Jo. 5. 4; Act. 12. 7, sqq.); *b*) ex appellationibus (« virtutes, potestates, dominationes », etc.: cf. Coloss. 1. 16) quae peculiarem excellentiam indicant; *c*) ex Hebr. 1. 4, sqq., ubi S. Paulus ut probet Christi excellentiam super omnes creaturas, ostendit eum meliorem et excellentiorem esse angelis: quod argumentum invalidum esset nisi angeli hominibus et reliquis creaturis essent praestantiores.

49. — II. Ex traditione christiana haec citasse sufficiet. Scribit S. Clemens Rom. (1 Cor. 34. 5), « Multitudinem universam angelorum ejus diligenter consideremus, quomodo adstantes voluntatem ejus exsequantur ». Commemorat quoque S. Justinus M. (apol. 1, c. 6), « ceterorum qui illum [Deum] assectantur, eique assimilati sunt, bonorum angelorum exercitum ». Dixitque S. Augustinus (enarr. in Ps. 103, serm. 1, n. 15), « Esse angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est ». Postea S. Gregorius M. (hom 34 in Evang., n. 7), « Esse angelos et archangelos pene omnes sacri eloquii paginae testantur ». Idipsum declarant opera omnia liturgica, scripta theologorum, sensus communis fidelium. — Imo primitivae traditionis de existentia angelorum vestigium aliquod videtur haberi, juxta plures Patres et theologos, in doctrina philosophorum gentilium de daemonibus seu geniis, qui veluti medii sint inter supremum Deum et homines. Cf. Palmieri, thes. 17, p. 152.

50. — III. Ipsa demum ratio suadet, ad perfectionem universi

maxime *congruere*, ut detur natura completa quae Deo magis perfecte assimiletur quam irrationabilia aut etiam quam homo, qui non est pure intellectualis; talis autem natura est angelica, ut dicetur capite sequenti; ergo. Cf. S. Thomas, 1, qu. 50, a. 1.

51. — **Obs.** Immerito dicunt Rationalistae quidam et Protestantes liberiores, doctrinam Judaeorum de angelis creatis vel 1. esse tantum personificationem aliquam attributorum aut operationum Dei, vel 2. modificationem recentiorem polytheismi primitivi, vel 3. acceptam fuisse a Chaldaeis tempore exilii. — Quamvis enim non prorsus certa sit, licet communior, illa sententia quae post S. Augustinum et S. Gregorium M., tenet Moysen verbis, « In principio creavit Deus *coelum* et terram » angelorum etiam creationem indicare: attamen de ipsis ut Dei ministris loquitur Genesis capite tertio (v. 24), ubi narrat Cherubim a Deo esse constitutos ad aditum paradisi custodiendum, ac deinceps saepius, ut dictum est in probatione.

52. — **Scholion de Numero et Distinctione Angelorum.** — I. *Ingentem* esse angelorum *numerum* testantur 1. *Scripturae*, quae saepius loquitur de exercitu angelorum, quaeque dicit Dan. 7. 10, « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei », Apoc. 5. 11, « Et erat numerus eorum millia millium » (cf. Job 25. 3; Hebr. 12. 22). 2. *Patres* passim dicunt angelos prorsus innumerabiles esse, et comparate ad cunctos homines qui fuerunt, sunt, et erunt, perinde esse ac nonaginta novem oves comparate ad unam (ita v. g. S. Hilarius, comment. in Matth. c. 18, n. 6; S. Augustinus, enarr. in Ps. 8, n. 12; S. Gregorius M., hom. 34 in Evang. n. 3). 3. *Ratio* ipsa suadet *a*) ad perfectionem universi maxime pertinere, ut res pure intellectuales et proinde perfectiores majore multo numero existant quam aliae (cf. S. Thomas, 1, qu. 50, a. 3), et *b*) Dei majestati optime congruere, ut innumeri famuli et milites ei assistant et ministrent (cf. Suarez, de Angelis, l. 1, c. 11, n. 4).

53. — II. Hujus angelorum multitudinis esse generatim loquendo ordines quosdam et gradus dignitatis, de fide esse fatentur theologi post S. Augustinum (ad Orosium, c. 11): et revera alioquin inutilia essent nomina diversa (principatus, potestates, dominationes, etc.) quibus Scriptura eos insignit; praeterea nomen « archangeli » supponit praestantiam aliquam super angelum ordinarium, et S. Michael vocatur (Dan. 10. 13) « unus de principibus primis ».

De *numero* autem horum *ordinum* et de ratione distinctionis

inter eos non clare constat, ut fatetur S. Augustinus (ad Orosium, l. c., « quaenam ista sint, et quid inter se differunt, nescio » : cf. Enchirid., c. 58). Communiter post vulgatum Dionysium (de coelest. hierarch.) Patres recentiores et scholastici sicut et ecclesiae liturgia agnoscunt distributionem angelorum in tres *hierarchias*, quarum singulae tres ordines seu *choros* complectitur, et hanc doctrinam putat Mazzella, n. 304, vix posse sine temeritate negari. Dionysius autem, ut loquitur S. Thomas (1, qu. 108, a. 6), « ex nominibus ordinum proprietates illorum considerans, illos ordines in prima hierarchia posuit, quorum nomina imponuntur per respectum ad Deum, scilicet Seraphim, et Cherubim et Thronos : illos vero ordines posuit in media hierarchia, quorum nomina designant communem quamdam gubernationem, sive dispositionem, scilicet Dominationes, Virtutes, et Potestates : illos vero ordines posuit in tertia hierarchia quorum nomina designant operis executionem, scilicet Principatus, Angelos et Archangelos ». Rem illustrat Billuart (d. 7, a. 1) exemplo regiminis ecclesiastici, in quo Cardinales triplicis ordinis, episcopatûs, presbyteratûs, et diaconatûs, immediate assistunt Summo Pontifici ; episcopi praesunt dioecesibus per modum causae universalis ; et parochi singulis paroeciis ut causae particulares. Explicationem nominum tradit Suarez (l. 1, c. 13, nn. 7. sqq.).

Hos ordines putat S. Thomas (1, qu. 109, a. 1), quatenus respiciunt dona naturalia, etiam *in angelis lapsis* permanere (vid. Ephes. 6. 12), exceptis ordinibus Seraphim, Cherubim et Thronorum, qui cum per ipsum supponant vi nominum respective, ardorem caritatis, inhabitationem divinam, et libertatem, nequeunt cum peccâto coexistere. Docet etiam S. Doctor hos ordines permansuros esse post diem judicii (qu. 108, a. 7), et homines praedestinatos, quoad gradum gloriae, ad diversos ordines assumi (a. 8). Cf S. Gregorius M. (hom. 21 in Evang., n. 2), « Angelorum festivitas exstitit, qūia nos revocando ad coelestia, eorum numerum implevit..... quia dum nos per resurrectionem dominicam ad superna reducimur, coelestis patriae damna reparantur ».

Angelos solâ ordinum, dignitatis et numeri ratione distingui, non vero *specie aut natura*, communius docent Patres (v. g. SS. Basilius, Gregorius Nyss., ac Cyrillus Alex. : apud Palmieri, p. 205), quos sequuntur Scotus, S. Bonaventura, Albertus M., Toletus. Docet vero S. Thomas (1, qu. 50, a. 4) cum suis, unumquemque angelum ab alio non numero tantum sed et specie differre, dum Suarez (l. 1, cc. 14, 15) censet angelos unius ordinis differre specie ab angelis aliorum ordinum. Argumentantur Thomistae ex eo quod angeli utpote formae a materia separatae, necessario vel non dif-

ferunt inter se omnino (sicut v. g. non differunt duae albedines in abstracto), vel specie etiam differunt. Per ipsos enim quaelibet res, nonnisi quatenus materiales sunt, aut saltem cum materia uniuntur, possunt numerice dividi, dum specifice eaedem manent.

Sed respondent alii auctores, res quaslibet a se invicem distingui per *realitatem:* et quamvis in abstracto « angeleitas » aut humanitas, sicut albedo, sit tantum una, attamen *angelos singulos in concreto*, non aliter quam homines singulos in concreto, esse vere distinctos. Praeterea, ex Thomistarum sententia videretur sequi incredibile illud, quod Deus creare non posset angelum alterum, qui ejusdem essentiae et perfectionis esset ac S. Gabriel. Cf. Palmieri, thes. 23, pp. 204, sqq.

CAPUT SECUNDUM

De Angelorum Natura

54. — Praenotanda. — Praecipue hîc inquiritur, utrum angeli sint puri spiritus, ita ut 1. nullum ordinem naturalem habeant ad corpus tanquam sui completivum, cujusmodi habet v. g. anima humana; nec 2. sint ipsi corporei, modo etiam subtiliori. De hac re, ut ostendit Petavius (de angelis, l. 1, c. 2), erronee aut dubie locuti sunt Patres aut scriptores ecclesiastici nonnulli. Ita Origenes (de Principiis, l. 2, c. 8, n. 2), angelos ejusdem esse naturae tenet ac animas humanas, atque (ibid., l. 4, n. 35, et alibi) indigere indumentis corporeis. Item S. Augustinus (epist. 9, ad Nebridium, n. 3, et alibi) loquitur de angelorum « aërio vel aethereo corpore ».

Neque de quaestione aliquid disserte adhuc definivit ecclesia. Licet enim Concilium Constantinopolitanum II (can. 2 contra Origenem: Denz. 188) damnet eos qui asserant spiritus, « assumpsisse corpora subtiliora vel crassiora », scopus tamen Concilii directus fuit ut damnaret errorem de praeexistentia animarum. Similiter, etsi Concilium Lateranense IV, capite « Firmiter » (jam saepius citato: Denz. 355), ubi *creationem* angelorum definivit, naturam angelicam ut simpliciter « spiritualem » manifeste agnoscat, distinguatque tum a mere « corporali » et materiali, tum a humana quae est « quasi communis ex spiritu et corpore constituta », hoc tamen dicit obiter et incidenter, ut fatentur omnes post S. Thomam (qu. 16, de Malo, a. 1), ac scopus ejus directus videtur fuisse, ut assereret contra Manichaeos seu Albigenses omnia a Deo creata esse. Communis autem theologorum sententia contra Cajetanum

(comment. in Eph. 2), ac doctrinae Conciliorum Lateranensis et Vaticani plane conformis, quam proinde nunc temerarium esset rejicere, affirmat angelos prorsus incorporeos esse.

55. — Propositio. Angeli sunt puri spiritus ab omni corpore soluti.

Prob. I. Scriptura nunquam loquitur de corpore et anima angelorum, sed simpliciter et sine addito saepe vocat eos « spiritus »; atqui hic loquendi modus ostendit angelos prorsus incorporeos esse; ergo.

Major quoad partem affirmantem constat ex pluribus Scripturae locis v. g. Marc. 5. 2, sqq.; Act. 23. 8; Hebr. 1. 14.

Minor constat 1. ex eo quod in Scriptura adhibetur nomen « spiritus » tanquam specialiter proprius Deo (Jo. 4. 24), qui utique propter summam ejus simplicitatem ab omni materia maxime remotus est; 2. ex eo quod Scriptura diserte excludit corporeitatem a spiritu (v. g. Luc. 24. 39, « Spiritus carnem et ossa non habet »; Eph. 6. 12, « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates..... »); 3. ex eo quod si angeli corporei essent, de iis ob paritatem rationis, eodem modo loquendum esset ac de hominibus: homines autem saltem viventes, licet eorum pars nobilior spiritualis sit, nunquam vocantur « spiritus », imo ista ipsa nobilior eorum pars ut plurimum dicitur « spiritus » tantum cum addito (Rom. 8. 16, « spiritus *noster* »; 1 Cor. 2. 11, « spiritus *hominis*, qui *in ipso* est »), et aliter vocatur « anima »; ergo.

56. — II. Patres plurimi aperte docent angelos esse incorporeos. Ita v. g. S. Gregorius Nyss. (or. 4 in orat. dom.), « Omnis creatura rationalis dividitur in incorpoream et corpoream naturam; incorporea autem est angelica, altera nos homines sumus ». Et ex S. Gregorio M. (Moral., l. 4, c. 3, n. 8), « Angelus solummodo spiritus, homo vero et spiritus est et caro ». Angelos *incorporeos* saepius vocat S. Joannes Chrysost., uti (hom. 13 in Philipp. 3, n. 2), « Cui assistunt incorporeae potestates ». Similiter S. Gregorius Naz. (or. 24, n. 20, et alibi), S. Hieronymus (epist. 75, n. 2), S. Leo M. (epist. ad Turrib., c. 6), S. Joannes Damasc. (de fide orth. l. 2, c. 3).

57. Dices. I. In Scriptura sacra leguntur angeli *a*) in corporibus apparuisse actusque corporeos (v. g. comestionis, Gen. 18. 9) exercuisse, *b*) sono (1 Reg. 16. 23) et odore (Tob. 6. 8, 19) affici, *c*) apprehendi et ligari ab aliis angelis (Tob. 8. 3), imo *d*) matrimonium iniisse cum filiabus hominum (Gen. 6. 2): demum *e*) dicit ipse Christus (Luc. 20. 36), homines glorificatos post resurrectio-

nem futuros esse aequales angelis; atqui haec omnia supponunt angelos esse corporeos; ergo.

Resp. *ad Maj. per singula.* Ad *a*) Fatendum est cum S. Thoma (1, qu. 51, a. 2), angelos revera et non tantum secundum imaginationem hominum accepisse, tanquam instrumenta, minime vero ut sibi substantialiter conjuncta, corpora visibilia ex materia arte aliqua formata: in iis autem actiones humanas vitales exercuerunt tantum apparenter, ut distincte dixit angelus Raphael ad Tobiam (12. 19). Cf. Suarez, l. 4, cc. 33, sqq.

Ad *b*) Hi effectus non sunt tribuendi influxui alicui materiali et physico sonus aut odoris, sed imperio et voluntati divinae, quae rebus illis materialibus tanquam signis aut instrumentis moralibus, uti nunc cruce aut aqua benedicta, contra daemones utebatur.

Ad *c*) Apprehensio et alligatio daemonis non dicenda est physice facta sed moraliter, nempe propter simile mandatum et imperium divinum.

Ad *d*) Licet pauci aliqui Patres (v. g. Clemens Alex., S. Justinus M., S. Irenaeus) « filios Dei » in loco objecto secundum lectionem minime genuinam LXX intellexerint angelos, communis tamen sententia docet eos esse Sethitas. Vid. Hummelauer in loc., pp. 211, sqq.; S. Thomas, l. c., a. 3, ad 6.

Ad *e*) Haec Christi verba non omnimodam aequalitatem, sed tantum similitudinem quoad aliqua, praesertim quoad immortalitatem et incorruptionem, significant. Cf. Palmieri, pp. 155, sqq. — Proinde *nego Minorem et conclusionem.*

58. — **Dices 2.** Ex Patribus, *a*) alii vocant angelos ignem, aetherem etc., *b*) alii dicunt eos corporeos aut etiam corpora, *c*) alii expresse docent eos spiritu et corpore constare; ac demum *d*) Concilium Nicaenum II approbavit doctrinam Joannis episcopi Thessalonicensis, qui negaverat angelos esse « omnino corporis expertes et invisibiles »; ergo.

Resp. *ad singulas Antecedentis partes.* — Ad *a*) Ignem, aetherem, etc., assumunt Patres metaphorice ut symbola naturae angelicae, ad exprimendam illius subtilitatem, fervorem, activitatem, puritatem, etc.: vid. apud Palmieri (pp. 165) loca SS. Basilii, Gregorii Naz., Joannis Damasc., qui vocant angelos ignem *immaterialem.*

Ad *b*) Corpora aut corporei dicuntur angeli comparate ad Deum, qui solus omnimoda gaudet simplicitate et prorsus illimitatus est. Ita distincte rem explicat S. Gregorius M. (Moral., l. 2, c. 3, n. 3), « Ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporum, spiritus sunt, sed comparatione summi et incircumscripti Spiritus [sunt] corpus ».

Ad *c*) Duplex elementum praecipue assertum est a nonnullis Patribus de angelis inferioribus aut etiam lapsis, non veluti ad eorum intrinsecam naturam pertinens sed ut quid accidentale, eoque fine ut communicare possent cum mundo sensibili, v. g. ut poenam ignis pati possent.

Ad *d*) Concilium Nicaenum conclusionem a Joanne contra Iconomachos intentam, nempe liceitatem pingendi imagines angelorum aprobavit, non autem argumentum sed tantum recapitulationem illius a Tarasio Patriarcha Constantinop. factam, in qua corporeitas angelorum non est asserta. Cf. Palmieri, p. 175. — Fatendum tamen est, quaestionem hanc de incorporeitate angelorum aliquandiu incertam fuisse, idque fatetur saec. XII ipse S. Bernardus (de Consid., l. 5, c. 4, et serm. 5 in Cant., n. 7).

59. — Scholia de naturae angelicae operatione et dotibus. — I. De *cognitione* angelica duo certa habentur, nempe 1. eam longe praestantiorem esse cognitione humana, idque videtur saepius innui in Scriptura sacra (v. g. 2 Reg. 14. 20; Matth. 24. 36; Gal. 1. 8), et sequitur ex eo quod angeli sunt spiritus puri, qui non indigent sicut homines adminiculo sensuum (cf. Palmieri, pp. 187-189). Ex altera vero parte 2. cognitio angelica limites habet: neque enim *a*) naturaliter cognoscunt angeli certe et immediate secreta cordis, quae in Scripturis exhibentur ut soli Deo nota (cf. 1 Reg. 16. 7; 3 Reg. 8. 39) et ex quorum manifestatione divina Christi missio declaratur (Matth. 12. 25; Luc. 5. 21, 22; 9. 47, etc.); idem dicendum *b*) ex similibus rationibus de praescientia certa et infallibili futurorum liberorum; ac *c*) de mysteriis pluribus supernaturalibus, v. g. de Incarnatione. Vix notandum est *d*) angelos naturaliter non omnia creata cognoscere, nec habere de Deo cognitionem aliam quam analogicam. Cf. Palmieri, thes. 20. — Angelos cogitationes suas invicem manifestare seu inter se *colloqui*, docet Scriptura: sic v. g. Michael archangelus cum diabolo disputavit (Jud. 9: cf. Is. 6. 3; Dan. 8. 16; Zach. 1. 9.); ita et Patres (v. g. S. Basilius hom. 16, n. 3; S. Joannes Chrys., in 1 Cor., hom. 32, n. 3). Hoc non fieri nisi dependenter a libera voluntate illius cujus cogitatio manifestatur, ex jam dictis consequitur; sed quaenam sit colloquii hujus *naturalis* angelorum ratio physica prorsus incerta est: supposita autem visione beatifica, in Deo videntur omnia quae ad singulos angelos beatos spectant. — Angelos habere *voluntatem liberam*, constat ex Scriptura, quae aliis eorum tribuit gaudium v. g. et obedientiam, aliis vero tremorem, iram, peccatum.

60. — II. Angeli, utpote existentes alicubi, sunt in *loco*,

eosque Scriptura docet esse in coelis, in terris, in inferno. Cum autem spiritus sint, non sunt in loco circumscriptive ad modum corporum, sed tantum definitive sicut anima est in corpore: idest sunt toti in toto spatio quod occupant, et toti in singulis illius spatii partibus. Ad spatium autem aliquod non ita videntur arctari angeli, ut nequeant vel vastum simul spatium vel unicum tantum punctum indivisibile occupare, et sic legitur Luc. 8. 30, sqq. tota legio daemonum primum corpus unius hominis, deinde corpora plurium porcorum inhabitasse.

Intra spatium vero quod angelus occupat, seu intra sphaeram activitatis ejus, potest nunc agere in una extremitate et nunc in alia, et simul in pluribus, et sic esse in pluribus simul locis inadaequatis. Disputant autem theologi, utrum ab uno loco in novam omnino sphaeram transire possit angelus quin per medium spatium eat: affirmant Thomistae (vid. Billuart, d. 2, a. 3), negant alii (vid. Suarez, l. 4, c. 19).

61. — III. Eo quod angeli, utpote pure spirituales, simplices, et sine corruptionis principio, nequeant nisi per annihilationem perire, Deus autem ex altera parte nihil annihilet, dicendi sunt angeli simpliciter *immortales* et incorruptibiles, ut docet S. Thomas (1, qu. 50, a. 5), et hoc quidem beneficio Creatoris.

QUAESTIO ALTERA

DE ANGELIS IN ORDINE SUPERNATURALI

Inquirendum est 1. de elevatione angelorum ad ordinem supernaturalem et de aliquorum lapsu ab eodem, 2. de officiis bonorum angelorum, 3. de impugnatione malorum angelorum adversus hominum salutem.

CAPUT PRIMUM

De Elevatione Angelorum ad Statum Supernaturalem

62. — **Praenotandum.** — Videntur angeli statim ab initio ea cognitione et contemplatione abstractiva Dei potiti esse, quae, si beatitudo facultatem naturae excedens eis revelata et proposita non esset, materialiter sufficeret juxta doctrinam S. Thomae (1, qu. 62, a. 1), ad beatitudinem seu felicitatem naturalem. Eos etiam in gratia sanctificante *creatos* fuisse ornatosque donis infusis, gratiis actualibus, etc., et ita in primo instanti ordinatos ad visionem intuitivam et beatificam Dei, docet communis sententia cum S. Thoma (l. c., a. 3) post S. Augustinum (de civ. Dei, l. 12, c. 9: « Simul in eis condens [Deus] naturam et largiens gratiam ») contra P. Lombardum, S. Bonaventuram et Scotum. Censet autem S. Thomas (a. 6) tanquam « rationabile », gratiam non fuisse aequalem in omnibus angelis, sed majorem in eis qui ad majorem gloriam destinati fuerunt.

63. — **Propositio. Elevati sunt angeli ad statum supernaturalem.**

Prob. I. Ex Scriptura. Si aliqui angeli beatitudinem coelestem adepti sunt, alii vero ob propriam culpam ab ea exclusi, dicendi sunt omnes ad finem supernaturalem ope auxilii supernaturalis attingendum destinati et elevati: ex revelatione enim, quae nobis

antecedentem Dei voluntatem salvificam erga Angelos sola manifestat, nulla habetur ratio eam voluntatem, aliter quam in casu hominum, ad aliquos tantum individuos limitandi; atqui utrumque ex Scriptura constat; ergo elevati sunt angeli ad statum supernaturalem.

Prob. Min. per partes. — 1. Angelos aliquos *gaudere coelesti beatitudine*, ostenditur *a*) *indirecte*, ex eo quod beatitudo supernaturalis nostra exhibetur ut participatio beatitudinis angelorum: ita v. g. ex Matth. 22. 30, post resurrectionem homines beati « erunt sicut angeli Dei », et ex Hebr. 12. 22, « Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem et multorum millium angelorum frequentiam »; *b*) *directe* ex eo quod angeli dicuntur videre semper faciem Dei qui in coelis est (Matth. 18. 19), adstare ante Dominum (Tob. 12, 15), esse in conspectu throni Dei (Apoc. 1. 4), esse angeli coelorum (Matth. 24. 36), angeli lucis (2 Cor. 11. 14), etc.

2. Angelos alios *propria culpa* ex gloria coelesti exclusos esse, constat *a*) *indirecte* ex iis locis ubi commemorantur « spiritus nequam », « spiritus Dei mali » (1 Reg. 16. 14, 15), « daemonia » (Tob. 3. 8; 6. 14), « spiritus immundi » (Luc. 11. 24), « spiritualia nequitiae » (Eph. 6. 12): isti enim angeli non vi naturae, quam bonam a Deo acceperunt, sed propria culpa mali sunt (quod definitum est a Concilio Lateranensi IV, c. 1: Denz. 355; cf. S. Thomas, qu. 63, a. 4); *b*) *directe* ex aliis locis, ubi dicuntur angeli aliqui in veritate non stetisse (Jo. 8. 44), ab initio peccasse (1 Jo. 3. 8: cf. 2 Petr. 2. 4), contra Deum pugnasse (Apoc. 12. 7, sqq.), ideoque non servasse suum principatum et domicilium (Jud. v. 6), sed sicut fulgur de coelo cecidisse (Luc. 10. 18), projectique esse (Apoc. 12. 9), ac rudentibus inferni detracti in tartarum (2 Pet. 2. 4), ut in igne aeterno (Matth. 25. 41) et in vinculis aeternis sub caligine in cruciatibus tenerentur (Jud. v. 6).

64. — **II.** Ex Patribus, dicit S. Leo (epist. 15, ad Turrib., c. 6), « Deus qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde et diabolus bonus esset, si in eo quod factus est permaneret. Sed quia naturali excellentia male usus est, et in veritate non stetit, non in contrariam transiit substantiam, sed a summo bono, cui debuit adhaerere, descivit ». Et S. Augustinus (de corrept. et grat., c. 11, n. 32), « Angeli sancti..... cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt ». S. Fulgentius (ad Trasimund., l. 2, c. 3), « Non alia gratia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa quae lapsum hominem post ruinam potuit reparare ». Plures etiam, cum Tertulliano (adv. Marc., l. 2,

c. 10) et S. Hieronymo (in commentariis ad loca), ad elevationem et lapsum angelorum applicant ea quae litteraliter dicuntur Is. 14. 4, sqq. de rege Babylonis (sub nomine «Lucifer»), et Ezech. 28. 12, sqq. de rege Tyri.

III. Ratio etiam docet, quam maxime convenire, ut creatura omnium nobilissima ad beatitudinem supremam, non secus ac homines, vocaretur et pro meritis admitteretur.

65. — Scholia de angelorum probatione et peccato. — I. Statum viae angelorum *brevissimum* fuisse, docet communior sententia. Videlicet ex S. Thoma (qu. 62, a. 2; qu. 63, a. 6), statim post primum instans in quo creati et sanctificati fuerant angeli, boni per unum solum actum caritatis meruerunt beatitudinem eamque protinus consecuti sunt, mali autem similiter peccaverunt, non quidem ex passione aut ignorantia, sed ut loquitur S. Thomas (1, qu. 63, a. 1, ad 4), « per absentiam considerationis » eorum quae considerari debuerunt, et statim reprobi facti sunt. « Et ideo in primo instanti omnes fuerunt boni, sed in secundo fuerunt boni a malis distincti » (qu. 63, a. 6, ad 4: cf. qu. 62, a. 5, ad 4). Attamen, ut notandum etiam est ex S. Thoma (qu. 62, a. 5, ad 2), « instantia diversa in his quae ad angelos pertinent, non accipiuntur, nisi secundum successionem in ipsorum *actibus* ». *Primum* autem *instans* angelorum respondit completae actioni seu operationi *indeliberatae* tum intellectûs, qui statim in ipsa creatione per scientiam infusam et lumen fidei illuminatus est ad videndum intuitu unico omnia quae sciri deberent; tum voluntatis approbantis bonum ita cognitum. *Secundum instans* respondit operationi *voluntariae* angelorum, seu electioni deliberatae; haecque in casu malorum angelorum fuit mala et peccatum.

66. — II. De *qualitate peccati* angelorum, communior sententia ac magis consona Scripturae et Patribus docet illud fuisse peccatum aliquod superbiae, quod juxta aliquos consistebat in desiderio accipiendi honorem (v. g. adorationem), potentiam, aut scientiam soli Deo debitam; vel juxta alios in voluntate non adorandi Deum-hominem, cujus revelata esset a Deo incarnatio futura. Billuart autem (d. 5, a. 3) post S. Thomam (qu. 63, a. 3) istam superbiam collocat « in amore permanendi et quiescendi in beatitudine naturali, tanquam singulari et connaturaliter debita excellentia, potius quam habere excellentiorem cum aliis communem ex gratia ». Illud peccatum gravissimum fuisse, patet ex poenis in Scriptura relatis, et inferunt Patres ex majore cognitione et consequenti malitia qua angeli peccaverunt.

67. — III. *Nullum spatium poenitentiae* angelis malis relictum

esse, docet cum S. Thoma communior sententia (ut supra), idque repetunt plures cum eodem S. Doctore (qu. 64, a. 2) ex inflexibilitate voluntatis angelicae et impossibilitate conversionis, alii autem cum Suarez (l. 8, cc. 1 et 7) ex decreto Dei negantis locum et gratiam poenitentiae.

68. — IV. Multos angelos peccasse, certum est, ac Patres saepius loquuntur de *exercitu* et *ingenti agmine* eorum, docentque eos *innumerabiles* esse, *totumque aërem implere*, etc. Longe tamen plures angeli creduntur permansisse quam peccasse, neque de hac re videtur intelligendus locus ille Apoc. (12. 4), ubi dicitur Draco traxisse secum tertiam partem stellarum. Cf. Suarez, l. 7, c. 17, nn. 7, 20.

CAPUT SECUNDUM

De Officiis Bonorum Angelorum

69. — I. Angelos *assistere ante thronum Dei* saepius declarat Scriptura : ita Dan. 7. 10, « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei »; Tob. 12. 15, « Ego sum Raphael angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum »; Apoc. 5. 11, 12, « Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni..... dicentium voce magna : Dignus est Agnus..... ».

Ex S. Thoma (1, qu. 112, artt. 2, 3) cum S. Bonaventura et pluribus aliis antiquioribus post vulgatum Dionysium, angeli superiores, seu primae hierarchiae (nempe Seraphim et Cherubim et Throni : quibus aliqui addunt Dominationes) assistunt tantum, nunquam vero ad homines mittuntur. Huic autem sententiae videtur contradicere Hebr. 1. 14, ubi Apostolus, dum vult ostendere Christi excellentiam super omnes creaturas, dicit universim de angelis, « Nonne *omnes* sunt administratorii spiritus, *in ministerium missi* propter eos qui haereditatem capient salutis »; ac praeterea narrantur Gen. 3. 24, Cherubim positi ad custodiam paradisi, et Is. 6. 6, unus de Seraphim volasse ad Isaiam. Contrarium etiam videtur innui saepius in Liturgia : ita v. g. in officio votivo de SS. Angelis, in Oratione dicitur, « Ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur » : cf. ejusd. officii antiph. ad magnif. 2 vesp., et lect. 7 matut. ex S. Bernardo. Ad summum ergo dici posse videtur cum

Suarez (l. 6, c. 9, n. 8), ex officio et ordinarie superiores assistere, et extraordinarie tantum mitti ad homines.

70. — II. *Hominum custodiam* quod attinet: 1. Angelos generatim loquendo divinâ providentiâ ad homines custodiendos deputari, de fide certum est, ut docent Suarez (l. c., c. 17, n. 6) et alii passim theologi. Constat *a*) ex Scriptura v. g. ex Hebr. 1. 14 (jam cit.) et ex Ps. 90. 11, 12, « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis » (cf. Ps. 33. 8): item ex innumeris exemplis hujus custodiae, ut in casu Lot (Gen. 19), Jacob (Ib. 32; 48. 16), Tobiae, Danielis, S. Josephi (Matth. 1. 20; 2. 13), Apostolorum (Act. 5. 19), Cornelii (Ib. 10. 3), S. Petri (Ib. 12. 7, sqq.) etc. Hinc *b*) ex Patribus, Origenes (de princ. praef., n. 10), « Est etiam illud in ecclesiastica praedicatione positum: esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam ». Et S. Hilarius (in Matth. 18, n. 5), « Fidelium orationibus praeesse angelos, absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes angeli quotidie Deo offerunt ». Alios Patres, praesertim S. Gregorium M. et S. Bernardum, exhibet Brev. rom. in festis SS. Angelorum.

2. Singulis fidelibus saltem electis assignari custodes, ita certum est, ut contrarium videatur temerarium, idque extendit communis sententia, contra Calvinum, ad omnes omnino homines viatores, etiam infideles et reprobos (cf. Suarez, l. c., n. 8). Suadetur *a*) *ex Scriptura*, quae passim (locis jam indicatis et aliis) exhibet angelos hominibus in diversissimis adjunctis opitulantes; et docet Matth. 18. 10, singulos parvulos habere angelos. — *b*) *Patres* idem declarant: ita v. g. Origenes (hom. 20 in Num., n. 3), « Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, angelus bonus, angelus Domini qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, et miserationibus exponendis, quotidie videat faciem Patris qui in coelis est ». Et S. Hieronymus (in Matth. 18. 10), « Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum ». — *c*) *Ratio* etiam docet, suavi Dei providentiae congruere, ut sicut gratia interna, ita etiam externa angelorum custodia non paucis tantum fidelibus et justis, sed et peccatoribus ac infidelibus concedatur, qui sane tali auxilio maxime indigent (cf. S. Thom., 1, qu. 113, a. 4, ad 3).

3. Eadem argumenta fere confirmat, *unumquemque hominem* ab uno speciali angelo custodiri, id quod significat ecclesia approbando cultum Sanctorum Angelorum Custodum, indulgentiâque ditando orationem illam, « Angele Dei, qui custos es *mei*..... ». Ex communi sententia cum S. Thoma (l. c., artt. 4, 5, 6), custodia an-

geli incipit a momento nativitatis uniuscujusque, quando infans ab utero materno separatur, et nunquam totaliter cessat usque ad terminum vitae.

4. *Ministeria* autem angeli custodis quod spectat, *a*) ab alumno avertit mala etiam *temporalia* ut in casu Tobiae: praecipue vero *b*) eum adjuvat in *spiritualibus* cohibendo daemones, avertendo occasiones et incitamenta peccati, orando pro eo illiusque preces Deo offerendo, necnon bonas cogitationes excitando: hoc autem postremum munus, ex communiore sententia non exsequitur operando directe in intellectu, sed agendo per phantasiam.

71. — III. Angelorum officia respiciunt etiam 1. *communitates* hominum, ut regna, ecclesias, etc. necnon 2. *res irrationales.* — 1. Capite decimo Danielis praeter S. Michaelem, « principem Judaeorum », exhibentur « princeps regni Persarum » et « princeps Graecorum »: ex quo loco inferunt Patres angelos praepositos esse regnis et civitatibus (cf. Palmieri, pp. 464, sqq.). Id a fortiori tenendum videtur de ecclesia universa, cujus custos, sicut olim Synagogae, creditur esse S. Michael, necnon de particularibus ecclesiis ac de familiis religiosis (cf. Suarez, l. c., nn. 22-24). — 2. Res materiales et sensibiles ab angelis regi et administrari, docuerunt plures Patres (vid. Palmieri, p. 461), quos sequitur S. Thomas (qu. 110): id tamen difficile putat Palmieri, nisi intelligatur de indirecto tantum regimine, quatenus ad Dei gloriam et hominis utilitatem conduceret.

CAPUT TERTIUM

De Malorum Angelorum impugnatione

72. — I. Mali angeli maxime et ordinarie impugnant homines *tentatione* seu instigatione ad peccatum. Hanc veritatem declarat 1. *Scriptura*, quae narrat diabolum protoparentes ad peccandum seduxisse (Gen. 3), imo et ipsum Christum tentasse (Matth. 4); quaeque hortatur fideles ad vigilantiam contra daemones: ita Eph. 6. 11, sqq., « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus », et 1 Petr. 5. 8, 9, « Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide ».

2. *Patres* passim idem docent. Ita S. Irenaeus (l. 5, c. 24, n. 3), « Diabolus autem, quippe apostata existens angelus, hoc tantum potest, quod et egit in principio, seducere et abstrahere mentem hominis ad transgredienda praecepta Dei, et paulatim obscurare corda eorum qui conarentur servire ei, ad obliviscendum quidem verum Deum, ipsum autem quasi Deum adorare ». Ac Tertullianus (apol., c. 22), « Operatio eorum [daemonum] est hominis eversio : sic malitia spiritualis a primordio auspicata est in hominum exitium ». Item S. Cyrillus Hieros. (catech. 2, n. 3), « Neque vero tu solus dux et auctor es facinoris : sed est alius quidam pessimus instinctor, diabolus. Ille omnibus suggerit, sed non vi superat eos qui non acquiescunt..... Ostium tuum claude, et illum procul a te fuga, nec tibi nocebit ». Ac postea (ibid., n. 4), « Archangelus enim cum esset, *diabolus* postea a calumniando dictus est. Et cum esset minister Dei bonus, *Satanae* nomine rei congruo deinceps est vocatus ; Satanas enim adversarium significat ». — Haec et similia testimonia praecipue commemorant « diabolum » illum, qui vocatur « Satanas », Beelzebub », « Serpens antiquus », etc., qui juxta Scripturam (Matth. 12. 24 ; 25. 41 ; Luc. 11. 15, sqq.), Patres et theologos est omnium princeps ceterosque deputat ad hominum impugnationem.

Ex Suarez (l. 8, c. 21, n. 31, qui citat Origenem, S. Gregorium Nyss., alios), « fere communiter receptum est, unumquemque hominem duos habere angelos, bonum et malum », quam tamen sententiam aliqui, ut Tournely et Billuart rejiciunt. — *Modum* autem impugnationis quod attinet, possunt daemones tentare vel per visibilem apparentiam ut in casu Evae, vel invisibiliter sed per externa objecta quae alliciunt ad peccatum, vel demum intrinsecus, non quidem agendo immediate in ipsum intellectum, sed commovendo humores, perturbando phantasiam, etc.

73. — II. *Mala etiam physica* daemones infligere, docet Scriptura, ut in casu Job (c. 2), septem virorum Sarae (Tob. 3. 8), Aegyptiorum (Ps. 77. 49). Specialis hujus impugnationis physicae forma est *obsessio*, quae proprie habetur quando daemon corpus hominis occupat ejusque viribus physicis tanquam propriis utitur, homine reluctante. Exempla plurima hujus obsessionis traduntur ab Evangelistis, qui narrant Christum saepius daemonia interrogasse, eorum responsa accepisse, eaque ab hominibus exire praecepisse (cf. Matth. 8. 31, sqq. ; Luc. 4. 33-36 ; 8. 30 ; Marc. 9. 24) : quae omnia solis entibus intelligentiâ praeditis, non epilepsiae aut aliis morbis, ut volunt rationalistae, conveniunt. Post Christi mortem similia evenisse, docent Actus Apostolorum (cf. 8. 7 ; 19. 12).

Ab obsessione distinguunt aliqui *circumsessionem* quae ha-

betur quando daemon extrinsecus tantum vexat et impedit, et *possessionem*, in qua daemon hominis corpus et facultates ita complete occupat, ut tota fere actio hominis cesset: alii tamen cum Estio hanc distinctionem negligunt.

74. — III. *Commercio etiam superstitioso*, praesertim per idololatriam et magiam, daemones aliquando homines seducere conantur. — *Cultum* imprimis *divinum* aucupari Satanam, constat ex Scriptura, ubi narratur diabolus (Matth. 4. 9) adorationem a Christo Domino postulasse: item docet S. Paulus (1 Cor. 10. 19-21), sacrificia idololatrica gentilium offerri daemoniis (cf. Deuter. 32. 17). Hoc saepius asserunt et Patres contra paganos. S. Irenaeus v. g. (l. 5, c. 24, n. 3) docet diabolum seducere et obcaecare mentes hominum, « ad obliviscendum quidem verum Deum, ipsum autem quasi Deum adorare ». Alios Patres v. g. SS. Justinum, Athanasium, Augustinum, docentes, juxta verba Ps. 95. 5 (« Omnes dii gentium daemonia »), oracula deorum esse diabolica, citat Palmieri, pp. 483, sqq.

2. *Facta* item *magica*, seu effectus insolitos productos ab homine ope daemonis, esse generaliter loquendo *possibilia*, infertur ex Scriptura, quae narrat Exod. 7 mira a Pharaonis magis effecta « per incantationes aegyptiacas », necnon divinationes pythonissarum (1 Reg. 28; Act. 16. 16), ac praedicit futura esse tempore Antichristi signa et prodigia mendacia (Matth. 24. 24; 2 Thess. 2. 9; Apoc. 13. 13-15). Similia testantur scripta Patrum et historia ecclesiastica. — De prodigiis autem novis *quae allegantur*, caute judicandum est, nec citra argumenta indubia admittenda est daemonis interventio: saepe enim vel turpis lucri gratia vel ex odio religionis aut motivo pravo fraudes in hac re perpetrantur.

Utrum et quatenus *hypnotismus*, *spiritismus* aliaque hujusmodi ad operationem diabolicam sint referenda, sicut et de eorum liceitate, inquiritur in theologia morali. Cf. Lehmkuhl, t. I., nn. 359, sqq.; n. 994, annot. — Hic autem exscribere licebit decisionem sequentem C. S. Officii (Acta S. Sedis, t. 30, p. 702), « Titius excluso pacto quocumque cum spiritu maligno, consuetudinem habet evocandi defunctorum animas. Illius autem operandi modus hic est: Quando solus est, precatur Caput militiae coelestis ut ei permittat cum spiritu talis determinatae personae loqui. Post aliquot momenta moveri percipit manum suam, quae parata erat ad scribendum, idque signum est praesentiae spiritûs. Exponit quid scire desiderat, scribitque deinde manus ipsius responsa ad quaesita. — Fidei et ecclesiae doctrinae de vita futura congruunt responsiones omnes, quae ut plurimum respiciunt statum in quo est anima defuncti, indigentiam quam habere posset suffragiorum, querelas ejus

de suorum propinquorum ingratitudine, etc. — His expositis, quid de liceitate modi agendi Titii..... ».

Feria IV die 30 Martii 1898, in Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis..... EE. et RR. Patres respondendum mandarunt : *Uti expositum, non licere.* — Quam resolutionem approbavit Leo XIII, die 1 Aprilis ejusdem anni.

Scriptores Catholici, Lapponi (in opere de Hypnotismo et Spiritismo, cc. 6, 7 : vers. gall., pp. 255, 271), et Raupert (« The Dangers of Spiritualism » ; « Tablet », June 10, 1905, pp. 889, sqq.), ex factis plurimis concludunt, spiritus illos qui nonnunquam in « sessionibus spiritualisticis » diversimode se manifestant, esse mendaces et deceptores, inimicos subdolos Christi et ecclesiae catholicae, *diabolicos* demum, non humanos.

PARS TERTIA

DE HOMINE

Agendum est de hominis origine naturali, de elevatione ejus ad statum supernaturalem, de lapsu ejus ab eodem: triplici quaestione.

QUAESTIO PRIMA

DE HOMINIS ORIGINE NATURALI

Inquiritur imprimis de unitate humani generis, seu utrum omnes homines ab eodem protoparente oriantur, deinde de hujus protoparentis origine quoad corpus; demum de animae rationalis, corporis formae, unitate et origine.

CAPUT PRIMUM

De Humani Generis Unitate

75. — **Praenotanda.** — I. Sicut olim Sabaei et Julianus Apostata, et juxta aliquos Origenes, ita recentiori aetate de unitate originis humani generis erraverunt multi qui proinde *polygenistae* dicuntur. Ex his 1. aliqui, qui nomen *Praeadamitarum* adepti sunt, docuerunt ante Adam exstitisse homines in terra. Ita praecipue Pereyrius (de la Pereyre, calvinista gallicus saec. XVII, postea ad fidem Catholicam conversus), qui aliquando docuit alium fuisse protoparentem gentium, ejusque creationem narrari Genes. cap. 1:

alium protoparentem Judaeorum scilicet Adam, cujus creatio describitur Genes. cap. 2. Mitiorem hujus opinionis formam, quae supponit exstitisse olim, ac deinde ante Adae creationem penitus exstinctam fuisse primitivam seriem hominum, commemorat Palmieri (p. 248), nec audet damnare: ac revera permitteret haec hypothesis universum genus humanum actuale et historicum ab Adamo, ut fert catholica sententia, ortum duxisse.

2. Alii, qui *Coadamitae* dicuntur, ex differentiis inter diversarum regionum homines existentibus, concludunt esse non tantum multas *stirpes* (« races »), sed etiam multas distinctas hominum *species*, a diversis protoparentibus ortas. Ita ex praejudicio raciali contra Afros, multi in America septentrionali, praesertim ante servitudinis abolitionem. Has species alii dicunt esse duas, alii quindecim, alii sexdecim, alii innumeras.

76. — II. Vel ex ipsis naturalistis, longe plures docent cum Catholicis unitatem specificam hominum: ita v. g. Linnaeus, Buffon, Cuvier, Humboldt, et ex recentioribus Lyell, Huxley, Quatrefages, Darwin (cf. Thein « Christian Anthropology », n. 239). Apud Transformistas vero unitas specifica hominum non importat necessario communem ortum ab uno pari parentum *humanorum*, sed collateralem tantum affinitatem per derivationem v. g. a simiis anthropoidis.

Distinctio stirpis et speciei (quae difficultate non caret) sic solet exponi: 1. *Species* est collectio individuorum similium ab uno communi parente descendentium per successionem non interruptam familiarum: et duo proinde complectitur elementa, similitudinem nempe et filiationem. — 2. *Stirps* (« race », « variety ») intelligitur collectio individuorum, quae distinguuntur ab aliis *ejusdem speciei*, per diversitatem aliquam notabilem, constantem, et per generationem transmissam.

Diversas *hominum* stirpes non potuisse hactenus scientifice et accurate distingui, fatentur anthropologistae celebriores, v. g. ex veterioribus Blumenbach, ex recentibus Quatrefages (apud Thein, n. 243). Usitatissima est partitio invecta a Blumenbach in quinque stirpes secundum colorem pellis, qui scilicet in stirpe quae dicitur *Caucasica* est albus, in *Mongolica* flavus, in *Aethiopica* niger, in *Americana* cupreus, in *Malesica* fuscus. Sed alii fundamentum distinctionis sumunt ex distributione geographica, ex linguis, ex capillorum textura, ex craniorum conformatione, ex angulo faciali, etc.

77. — **Propositio. Universum genus humanum ab Adamo originem ducit.** — Haec propositio propter ejus intimam connexionem cum doctrina de peccato originali, « ad fidem spectat »,

ut ait Perrone, n. 45; ex Pesch, n. 154, est « articulus fidei christianae »; sententia Pereyrii a Palmieri vocatur haeretica; et in schemate Concilii Vaticani paratus erat canon, « Si quis universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum esse negaverit, anathema sit ». Inter facta « quae christianae religionis fundamenta attingunt », quaeque, ex responsione (n. 3) Commissionis Biblicae (30 Junii 1909: Acta Apost. Sedis, t. 1, p. 568) sensus litteralis historicus priorum capitum Geneseos declarat, enumerantur « peculiaris creatio hominis; formatio prima mulieris ex primo homine; *generis humani unitas* ». — Ex Scriptura ostenditur propositio. Scientia enim humana, licet doctrinae nostrae non contradicat sed potius faveat, nullum tamen, ut advertit Card. Mercier (« Psychologie », t. 2, p. 340), certum argumentum tradit theseos nostrae.

Prob. Capite primo Geneseos narratur creatio ejusdem hominis Adae, de quo capite secundo agitur; atqui ex hoc uno homine ortum est totum genus humanum actuale; ergo.

Prob. Maj. — 1. Ex Gen. 2. 5, ante creationem Adae homo non erat qui operaretur terram; atqui si ille cujus creatio describitur cap. 1. alter erat ab Adamo, ut dixit Pereyrius, esset homo qui terram coleret; ergo. — 2. Ex Gen. 2. 20, Adae non inveniebatur adjutor similis sibi, scilicet femina; atqui si genus humanum jam existebat, mulieres essent; ergo. — 3. Ex Sap. 10. 1, 2, « Haec [Sapientia divina] illum qui *primus* formatus est a Deo, pater orbis terrarum, cum *solus* esset creatus custodivit. Et eduxit illum a delicto suo »: Haec verba docent Adam primum hominem et aliquando solum hominem fuisse; atqui neutrum dici potest in Praeadamitarum sententia; ergo.

Probatur Minor Principalis. — Non est discedendum a sensu obvio et naturali S. Scripturae, nisi id rationes evidentes exigant; atqui 1. S. Scriptura testatur omnes homines ab uno Adamo ortos esse, 2. hoc testimonium aliunde multipliciter suadetur, et 3. nullae rationes evidentes in contrarium adducuntur; ergo.

1. Scripturae testimonium: *a*) Sap. 10. 1, « Primus formatus a Deo *pater orbis terrarum* »; *b*) Gen. 3. 20, « Et vocabit Adam nomen uxoris suae Heva, eo quod *mater esset cunctorum viventium* »; *c*) Gen. 9. 19, a Filiis Noe « disseminatum est omne genus hominum super universam terram » (cf. tamen Hummelauer, in Genes., pp. 293, 307); *d*) Act. 17. 26, « fecitque Deus *ex uno* genus hominum habitare super universam faciem terrae »; *e*) Rom. 5. 12, 1 Cor. 15, etc., doctrinae de peccato originali et de resurrectione generali manifeste supponunt unitatem humani generis.

2. Suadetur Scripturae testimonium *a*) *historice*, ex omnium fere populorum traditionibus, et persuasione de humani generis

origine communi (cf. Perrone, nn. 250-252); *b*) *physiologice* tum ex structura corporum essentialiter simili, tum ex fecunditate indefinita inter diversas hominum stirpes. Thein, nn. 294, 299. — Argumentum *philologicum*, ex comparatione diversarum linguarum desumptum, incertum nunc ut plurimum habetur et insufficiens per se ad hominum vel diversitatem vel unitatem specificam demonstrandam.

3. Adversariorum rationes nihil probant. Non *a*) *Diversitates physiologicae:* differentiae enim non sunt magnae si ex diversis stirpibus comparentur individui qui notas proprias cujuscumque stirpis in mediocri gradu habent: minores etiam sunt quam quae habentur inter quaedam bruta ejusdem speciei sed diversae stirpis: dicit v. g. Blumenbach, aprum Americanum differre a porco domestico, a quo originem ducit, plus minus ut homo niger differt ab Europaeo (cf. Wiseman, « Science and Revealed Religion », lect. 3): demum praecipuas diversitates (v. g. in corporis colore, in crinium textura, in cranii forma) esse accidentales, late ostendit Thein ex peritorum testimonio (nn. 245-272).

Non *b*) *numerosi populi* per orbem diffusi paucis elapsis a Diluvio saeculis (quod objicit Vogt cum aliis): supposito enim sex vel etiam quatuor tantum liberos ex unoquoque matrimonio nasci, intra mille annos juxta peritorum computationes posteri unius patris ex eadem matre duplo plures possunt esse quam homines qui nunc in terris sunt (cf. Thein, nn. 279-281).

Non *c*) *difficultas migrandi* in regiones dissitas, v. g. in Polynesiam, in Americam etc., ut fatentur sinceriores ex adversariis (ap. Thein, n. 282): omissa enim consideratione « periodi glacialis », in qua facilius fuisset quam postea diversarum regionum commercium per maria et oceanos, constat recentiori etiam experientiâ, naves per longas distantias ventis et tempestatibus saepe impelli (Thein, n. 287): credunt quoque plures vel ex eruditis, auctoritate veterum monumentorum, Hibernos (v. g. S. Brendanum), Norvegios et Sinenses olim oceanum transnavigare solitos esse (Thein, nn. 288, 289): et Americam nominatim, quod attinet, in ipsam facile est ex Asia per fretum Behring transmeare, et ex alia parte Americani aboriginales, praesertim Mexicani, inventi sunt habere multa communia cum aliis hominibus, praesertim Asiaticis in lingua, traditionibus, ritibus religiosis, etc. (cf. Thein, nn. 283-287).

78. — **Dices.** Nonnulla quae narrantur in Genesi (cap. 4) de Cain, nempe 1. quod agricola fuit (v. 2), 2. quod post necem Abelis timebat ne in exilio vagaturus occideretur (vv. 14, 15), 3. quod aedificavit civitatem (v. 17), supponunt plures homines ipsi coaevos fuisse; atqui isti homines ab Adamo originem ducere non potuerunt; ergo neganda est humani generis unitas.

Resp. *Transeat Major.* Nam 1. ad terrae culturam suffecisset etiam unus; 2. dici potest Cain de periculo aliquando post multos annos futuro timuisse, vel forsan, ut notat S. Ambrosius (de Cain et Abel, l. 2, c. 9, n. 33), de periculo praesenti *ex feris;* 3. « civitas » ex vocabulo hebraico, teste Genesio (thes. ling. hebr., p. 1005), intelligi potest locus muro vallove septus ad gregem a feris custodiendum, non autem urbs qualem nunc intelligimus. — Sed et hoc omisso,

Nego Min. Etenim haec omnia probabilius censentur accidisse paulo ante annum a creatione Adam centesimum trigesimum, quo tempore natus est Seth, qui videtur datus Adae et Evae loco Abelis interfecti (cf. v. 25). Intra hoc autem spatium plures filios et nepotes habere potuerunt non tantum ipsi Cain et Abel, sed et alii ex liberis Adae, quorum generaliter tantum meminit Genesis dicendo (cap. 5. 4) Adam genuisse « filios et filias », ita ut plura millia posterorum Adae in terris tunc invenirentur. Ad rem illustrandam, ex iis quae affert Thein, nn. 280, citasse sufficiet exemplum quatuor mulierum in quadam insula saec. XVI labente degentium, quae intra octoginta annos duodecim millia posterorum habuisse narrantur.

79. — Scholion de Antiquitate Humani Generis. — Notandum est, quaestionem non esse de antiquitate *mundi*, quam licet, pro sententia quam quis de sex diebus creationis tenet, longiorem aut breviorem aestimare (supra, n. 40): sed de antiquitate *hominis.* De qua quaestione haec breviter dicenda.

1. Nulla chronologia *ex professo traditur* in Scriptura, sed tantum colligitur ex iis quae diversis locis de Patriarcharum aetatibus traduntur (cf. Molloy, « Geology and Revelation », pp. 346, sqq.).

2. Chronologia Veteris Testamenti inde deducta diversa est pro textu vel versione Pentateuchi quae adhibetur. A vocatione scilicet Abrahae usque ad Christum natum 2000 circiter annorum communiter numerant historici: de duabus autem periodis *praecedentibus* (nempe a creatione Adae usque ad Diluvium, et a Diluvio usque ad Abrahae vocationem), discrepantia magna existit, ut constat ex tabula subjecta (1): cf. Perrone, n. 203, annot.: paulo aliter Molloy, p. 350, Thein, p. 237. — Ecclesia nullam ex his

(1)

Anni effluxerunt	Juxta	a creatione Adami ad Diluv.	a Dil. ad Abr. vocat.	
	Hebr.	1656	367	2023
	LXX	2242	1143	3385
	Samar.	1307	1017	2324

chronologiis definitive proponit. In Martyrologio romano v. g. sequitur LXX, in Vulgata vero versione, ut dictum est, textum hebraicum.

3. Quod attinet argumenta ex astronomia, ex antiquis Sinensium, Chaldaeorum, Aegyptiorum, etc., monumentis eruta, quibus conati sunt scriptores aliqui humano generi antiquitatem 100,000 vel amplius annorum tribuere, dicenda sunt argumenta ista esse vel aperte falsa vel incerta, ut liquet vel ex ipsorum peritorum dissensione in humani generis antiquitate determinanda. Idem dicendum est de pluribus argumentis deductis ex investigationibus palaeontologicis hodiernis: v. g. *a*) ex instrumentis lapideis, aereis, ferreis, quae dicuntur indicare longas et *distinctas* periodos humani generis in progressu ejus a barbarie ad civilitatem (« Stone, bronze, and iron ages »); *b*) ex ossibus vel operibus humanis in stalagmatibus contectis quandoque una cum ossibus animalium prae-historicorum; *c*) ex reliquiis et indiciis quae videntur probare hominum habitationem in terra antiquiorem esse mutationibus quibusdam in superficie ejus factis, quae ingentem seriem annorum exposcerent: v. g. ex habitaculis lacustribus longe a praesentibus lacuum terminis inventis, ex navibus in locis altis longe ab actuali maris littore depositis, ex ossibus humanis, vasis fictilibus, instrumentis lapideis etc., profunde in depositionibus fluminum et alluvionum et antiquis telluris stratis repertis.

4. Utrum vero absolute loquendo liceret Catholico *quamlibet* humani generis antiquitatem aut chronologiam admittere: hoc juxta plures non liceret si de integritate absoluta seu mathematica Pentateuchi constaret, inspiratio enim cum quolibet errore componi nequit. Cum vero constet textum sacrum in re chronologica aliquatenus vitiatum esse, cumque praeterea fieri possit ut generationes aliquae in serie Patriarcharum omissae essent (sicut revera nomen Cainan deest in textu hebraico), libertas quaedam concedenda est. Hinc juxta aliquos, liceret humani generis antiquitatem ad annos circiter 8000 extendere. Majorem adhuc antiquitatem admitti posse, videtur dicere Thein, nn. 158, 232; et Guibert (« Les Origines », p. 11) docet certum citra omne dubium esse, hominem per 10 aut 12 millia annorum et ultra jam terram habitasse. Recentius vero (an. 1909) refertur inventus in Gallia (à la Ferassie près de Brugnes) sceletus humanus, cujus aetatem eruditi ad 20 millia annorum, seu ad epocham quaternariam extendunt.

CAPUT SECUNDUM

De Protoparentis Origine

80. — **Praenotiones.** — De origine primi hominis exstat testimonium historicum antiquissimum Genes. 1. 26, sqq.; 2. 7, 18, 20. Hoc tamen testimonium 1. aliqui, praesertim rationalistae, uti mythicum hodiernaeque scientiae observationibus et *factis* contrarium rejiciunt. Ita praecipue transformistae seu evolutionistae crassiores sic dicti ob eorum theorias de origine et transformatione specierum. Asserunt nimirum isti, universum mundum visibilem, aut saltem plantas et animalia, ac inter ea ipsum hominem integrum, quoad corpus et animam, non fuisse creata in diversis istis speciebus quae ex remotissima antiquitate historice cognoscuntur; sed per lentam explicationem aliquam et transformationem (quae diversimode exponitur), ex una vel paucis formis simplicioribus primitivis successive derivatas fuisse (1). Formae vero illae primitivae dicuntur aut ab initio a Deo creatae fuisse, ut aliquando verbotenus saltem admittebat Darwin, aut juxta alios (uti Vogt et Haeckel) modo quodam nobis ignoto existere incepisse primitus, citra creationem divinam.

81. — 2. Alii profitentes se testimonium biblicum recipere, dum admittunt *animam* humanam a Deo immediate creatam, primi tamen hominis *corpus*, cui anima divinitus infusa est, asserunt fuisse ad instar reliquorum corporum animalium, a formis inferioribus per transformationem et evolutionem derivatum. Ita censent se confiteri cum orthodoxis etiam *corpus Adami* fuisse a Deo *creatum*, non quidem immediate sed mediate, seu per eam quam vocavit Mivart creationem « derivativam » (cf. « On Truth », p. 527): vel scilicet quia divinitus creata est primitiva materia e qua per concursum divinum cum causis secundariis naturaliter agentibus corpus illud ortum est; vel quia corpus factum est *humanum* nonnisi per animam a Deo ipso immediate infusam.

82. — 3. Contra utramque transformismi formam, tenent communiter Catholici, primum hominem non tantum quoad animam sed etiam quoad corpus efformatum fuisse per directam et im-

(1) Ab Herbert Spencer (« First Principles », § 145) celebris illa elucubrata est definitio seu descriptio Evolutionis: « An integration of matter and concomitant dissipation of motion: during which the matter passes from an indefinite incoherent homogeneity to a definite coherent heterogeneity; and during which the retained motion undergoes a parallel transformation ».

mediatam Dei actionem distinctam tum a prima materiae creatione, tum a concursu, quem Deus, causa prima, praebet secundarum causarum operationibus, tum a creatione animae et infusione ejus. Cf. Mazzella, nn. 495, 496. — Hinc inquirendum est 1. de transformismi veritate in se, et deinde 2. utrum quoad corpus humanum salva fide teneri possit.

Art. 1. — De transformismi veritate in se

83. — Praenotanda. — I. Transformistae ad principium eorum fundamentale de conversione unius speciei in aliam explicandum, alii alia suggerunt media. — Ex celebrioribus, 1. *Lamarck* (« Philosophie Zoologique ») docuit animalia in novis conditionibus posita ex conatibus repetitis ad novas indigentias explendas vetera aliqua organa paulatim perdidisse et nova sibi comparasse, unde tandem novae et diversae effectae sint species : ita v. g. in hac theoria avis terrestris facta est aquatica, ac membrana ad natandum apta acquisivit per conatus continuos ad cibum sibi ex aquis obtinendum.

2. *Darwin* (« Origin of Species ») aliud praeterea medium assignavit quod vocabat *naturalem selectionem*. Videlicet, sicut homines arte, industria, et selectione per propagationem conservant et perficiunt varietates et qualitates speciales quas in plantis et animalibus discernunt, donec v. g. successu temporis ex flore primitus albo rubeus tandem germinetur : ita *natura* ipsa, juxta Darwin, speciales rerum viventium qualitates innatas, quae utiliores sunt, per generationem seu « haereditatem » conservat et gradatim auget donec defectus eliminentur. Hoc declarat fieri vi legis cujusdam, quam *luctamen pro existentia* (« struggle for existence ») vocat. In *lucta* enim et pugna ad consequendum victum, qui quidem omnium indigentiis non sufficit, individua aptiora vincunt alia eisque *supervivunt* (seu habetur « survival of the fittest »), deinde ex his perfectioribus nascitur proles perfectior, quae proles ipsa pugnam similem cum eodem exitu (« survival of the fittest ») init, donec tandem post longam generationum seriem habetur nova et perfectior species. Huic medio aliud postea adjunxit Darwin quod vocavit « sexual selection ».

3. *Mivart* (« Genesis of Species ») originem novarum specierum ex adjunctis externis non esse praecipue repetendum docet, sed ex *interna* quadam et nobis ignota *vi* et tendentia naturali, quamvis in adjunctis externis quae hujus internae legis operationi favent.

84. — II. Transformismi auctores, systema suum ab inferioribus animalibus ad ipsum hominem transferendo, crassiores scilicet quoad totum hominem tam in anima quam in corpore, mitiores autem quoad corpus solum, docent persaepe immediatum progenitorem hominum fuisse simiam aliquam anthropoidam exstinctam. Remotiores autem omnium viventium parentes dicunt fuisse formas quasdam primitivas, quas Haeckel, adstruendo « spontaneam generationem », putat esse inorganicas. — His indicatis stabilienda est doctrina communis :

85. — **Propositio. Protoparentis corpus, licet non immediate creatum ex nihilo, fuit tamen per actionem supra naturae vires immediate a Deo productum.** — Est directe contra Mivart : indirecte et a fortiori contra Darwin.

86. — **(1) Argumenta ex Scriptura sacra.** — De hujus generis argumentis, quae alioquin transformistae crassiores non admittunt, praenotandum est quod ait Palmieri (p. 220), « Nolumus simpliciter affirmare quod ex sola inspecta narratione Moysis fiat evidenter manifesta falsitas hujus opinionis [transformistarum]. Negari tamen nequit hunc esse ejusdem obvium sensum, qui nisi aliqua prudens ratio obstet, tenendus est ». Ita fere et Hummelauer (in Gen., p. 129) : « Neque enim corpus hominis neque corpora brutorum *quomodo* de terra formata fuerint (2, 7 et 19), mediatene an immediate, in Genesi docemur, sed solum de facto ea sumpta esse de terra, i. e. materia. Verum nequaquam illam sententiam [Mivarti] compones cum illis quae infra de creatione mulieris narrantur ». Sequentes rationes ex Scriptura tradunt Palmieri et Hurter :

87. — **I.** Narratio Mosaica docet formationem hominis, 1. post ceteras naturas existentes incepisse (Gen. 1. 25, 26, « Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem »), et 2. effectam fuisse ex materia quae antequam in ipsam infusus fuisset spiritus, inanimis fuit (Gen. 2. 7, « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem ») ; atqui in adversariorum hypothesi 1. formatio corporis humani incepisset ab initio cum primum animal formatum est, et 2. non in limum inanimem sed in corpus vivum, ab inferiori animàli derivatum, infusus fuisset spiritus rationalis ; ergo non est admittenda haec hypothesis.

88. — **II.** Ex Genesi, Adam non invenit inter animalia quid simile sibi, visâ vero Evâ dixit, « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea » (2. 23) ; atqui in adversariorum hypothesi fuisset inter animalia ante creationem Evae quid Adae simile ; ergo.

89. — **III.** Infusio animae Adae et formatio corporis Evae erant actiones Dei immediatae; atqui formatio corporis Adae diverso modo non describitur; ergo. — Notandum tamen est, infusionem immediatam animae Adae non posse, judice Bellarmino, directe ex Genesi probari.

90. **IV.** Dicitur Deus *formasse* hominem de limo terrae, seu de pulvere terreno (hebraice ad litteram, « formavit..... hominem pulverem-de-terra »); atqui hoc intelligi nequit de creatione *mediata:* sicut v. g. nemo diceretur ex pulvere *formare* domum, quia lateres quibus est usus, tandem sunt ex pulvere; ergo videretur admittenda productio immediata. — Ex aliis tamen Scripturae locis, *formavit* quoque Deus alios homines (Job. 10. 9; 31. 15; 33. 4, 6; Ps. 138. 15; Jer. 1. 5), imo et creaturas irrationales (Ps. 103. 26); ac Eccli. 33. 10, dicuntur omnes homines « de solo et ex terra, unde creatus est Adam ».

91. — **(2) Argumenta ex traditione.** — SS. Patres communiter narrationem Mosaicam in sensu obvio interpretantur de formatione immediata corporis Adami ab ipso Deo effecta, et in ea specialem actionem divinam, distinctam a prima creatione materiae agnoscunt. Ita S. Basilius (hom. 9 in Hexaem., n. 1: « Haec itaque ut scripta sunt intelligantur ») totam narrationem Mosaicam profitetur se litteraliter accipere; ac S. Hieronymus (in epist. ad Philem.) de formatione corporis Adae eodem modo loquitur ac de formatione Evae et translatione Henoch, quae certe erant actiones Dei immediatae. — Alii e SS. Patribus, uti S. Gregorius Naz. (orat. 38, n. 11), S. Augustinus (de civ. Dei, l. 14, c. 11, n. 1), distinguunt tres actiones, 1. creationem materiae, 2. formationem corporis humani, 3. infusionem animae, quas aequaliter et in eodem modo Deo adscribunt; prima autem et tertia sunt certe actiones speciales et immediatae ipsius Dei; ergo et secunda. — Formationem corporis humani esse speciale et magnum omnipotentiae opus docent v. g. S. Joannes Chrys. (hom. 12 in Genes., n. 4) et Tertullianus (de resurrect. carnis, cc. 6, 7).

Loca haec *specialia* citasse sufficiet. *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 33. 4), « Ad haec omnia, sacris et intaminatis manibus formavit [Deus] animal excellentissimum, et intellectûs dignitate celsissimum, hominem, imaginis suae characterem ». *S. Irenaeus* (l. 5, c. 3, n. 2), « Sumpsit Deus limum de terra, et formavit hominem. Et quidem multo difficilius et incredibilius est ex non existentibus ossibus, et nervis, et venis, et reliqua dispositione, quae est secundum hominem, facere ad hoc ut sit, et quidem animalem et rationalem facere hominem, quam quod factum est et deinde resolutum est in terram, rursus redintegrare ». *S. Joannes Chrys.* (hom. 12 in

Gen., n. 5), « Ille formatus et de pulvere susceptus, inspiratus spiraculo vitae factus est in animam viventem..... Cogita, obsecro, formationis ordinem : et expende tecum, qui esset ille antequam inspiraretur a Domino spiraculum vitae, et fieret in animam viventem. Inanimis nempe imago, operatione carens, et ad nihil utilis ». *S. Joannes Damascenus* (de fide orth., l. 2, c. 12), « Hominem ex visibili et invisibili natura suis Deus manibus ad imaginem et similitudinem suam condit ; sic nempe, ut efficto de terra corpore, animam ratione et intelligentia praeditam insufflatione sua ei tribuerit : id quod divinam imaginem appellamus ».

92. — Scholion de sententia S. Augustini. — I. Hunc S. Doctorem docuisse ut probabile, res organicas universim unico instanti creatas fuisse « secundum rationes seminales », et nonnisi postea successive incepisse existere in actu, jam notatum est (supra, n. 41, *a*) : quae quidem doctrina juxta aliquos theoriae evolutionis implicite saltem favet. Contrarium tamen tenendum videtur : etenim in tractatu « de Genesi ad litteram » saepius docet S. Augustinus Deum (juxta verba Gen. 2. 2, « requievit die septimo ab universo opere quod patrarat ») *omnia genera creaturarum instituisse in initio*, quamvis generum illorum nova *individua* multa nunc faciat, juxta verba Jo. 5. 17, « Pater meus usque modo operatur » (cf. S. Thomas, 1, qu. 118, a. 3, ad 1). Ita (de Gen. ad litt. l. 5, c. 20, n. 41), « Secundum illa enim genera rerum quae primum condidit, nova eum [Deum] multa facere, quae tunc non fecit, manifestum est. *Novum autem genus instituere credi recte non potest*, quoniam tunc [in die sexto] omnia consummavit ». — Similiter (l. 4, c. 12) docet S. Doctor Deum post diem sextum nulla jam ulterius nova genera creaturarum, nullamque novam naturam concedere. Dicit (l. 5, c. 4, n. 11), « Causaliter ergo tunc [in hexaemero] dictum est produxisse terram, herbam et lignum, idest producendi accepisse virtutem..... Jam omnes *naturae* fructicum atque lignorum in prima conditione [seu creatione] factae fuerant..... Non solum tunc plantavit paradisum, sed etiam nunc *omnia* quae nascuntur ».

II. Nominatim docet (l. 7, c. 24), « *hominem* ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi... crearetur ». At vero (l. 9, c. 17), « elementa mundi hujus corporei habent *definitam vim*..... Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus ». In quibus locis et aliis certe docere videtur S. Augustinus, *omnia rerum organicarum genera, naturas et species distincta prorsus fuisse ab initio, etiam in « rationibus seminalibus »*, minime vero postea successu temporis orta fuisse per evolutionem aut transformationem *ex paucis formis primitivis*.

III. *Actualem formationem* corporum Adae et Evae quod attinet: evidenter supponit eam S. Doctor omnino *specialem* fuisse, prout describitur in Genesi. Ita v. g. (l. 9, c. 15, n. 26), « Formare autem vel aedificare costam, ut mulier esset usque adeo non potuit nisi Deus, a quo universa natura subsistit, ut ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius costae successit locum, ab angelis factum esse crediderim; sicut nec ipsum hominem de terrae pulvere ». Et (de Gen. contra Manich., l. 2, c. 7. n. 8), « Quod de limo terrae Deus hominem finxit, solet habere quaestionem, qualis ille limus fuerit..... Quid autem mirum aut difficile Deo, etiamsi de limo istius terrae hominem fecit, tale tamen corpus ejus efficere, quod corruptioni non subjaceret, si homo praeceptum Dei custodiens peccare noluisset? »

IV. Quomodo autem dici possit, quod vult sententia S. Augustini, *corpus humanum fuisse ab initio in elementis mundi secundum rationes seminales et causales*, non videtur posse melius explicari, quam cum S. Thoma (1, qu. 91, a. 2, ad 4), de potentia *passiva* seu obedientali, « ut scilicet *de materia praeexistente fieri possit a Deo.* Et hoc modo secundum Augustinum corpus hominis praeexstitit in operibus productis secundum causales rationes ». Pariter docet S. Thomas (qu. 92, a. 4, ad 3) de corpore Evae.

93. — (3) Argumenta ex ratione. — I. Illa theoria physica rejicienda est quae perpetuae et constanti hominum experientiae contradicit, ut fatentur ipsi viri scientifici; atqui talis est theoria transformismi; ergo.

Prob. Min. 1. Principium fundamentale adversariorum est specierum transformatio; atqui experientia, dum ex una parte agnoscit *varietates* et quidem magnas in eadem specie (v. g. canina), ex altera parte mutationem *specierum* nullatenus admittit, sed « fixitatem » e contra declarat: ab equis enim equi, a canibus canes, etc. semper nasci cernuntur. — Ad hanc difficultatem eludendam coactus est Darwin legem inducere quam « permanentiae » vocat, qua scilicet natura cum acquisiverit characteres omnino definitos, stabilitatem obtinet, et manentibus iisdem existentiae conditionibus, in alias species non convertitur.

2. Experientia docet uniones inter animalia ejusdem speciei esse indefinite fecundas, uniones vero inter individua diversarum specierum vel esse omnino steriles vel saltem harum unionum prolem hybridam, excepta quidem prole specierum aliquarum valde affinium (uti capri et ovis), non esse ipsam fecundam; atqui hoc factum mutabilitatem specierum et originem novae speciei a praeexistente excludit; ergo.

3. Theoria Darwiniana de graduali specierum evolutione sup-

ponit *formas plantarum* et animalium *intermedias plures* exstitisse; atqui formarum harum nullum vestigium aut exemplum certum hactenus repertum est; sed e contra animalia omnia easdem semper essentialiter formas constanter habuisse, testantur non tantum monumenta historica antiquissima, scilicet sculpturae et cadavera aegyptiaca (« mummies »), sed et strata geologica, ita ut ipse Darwin (Origin of Species, c. 15) sperare tantum potuit fore, ut *futurae* geologorum investigationes evidentiam *abundantiorem* suae sententiae praebeant. Item, in ipsa epocha praecambriana, in qua primo apparuisse videntur viventia organica, species (nunc exstinctae) reperiuntur in se distinctae et *perfectae* sine intermediis. Viri quoque scientifici plures vel ex ipsis acatholicis (uti Fleischmann, « Descendenztheorie »; Dawson, « Modern Ideas of Evolution ») negant de *Eohippo*, cujus fossilia arma praecipua fuerunt transformistis (uti Huxley, Grant-Allen, Clodd), derivatum esse equum nostrum domesticum (ēquum caballum).

94. — **II.** Media ab adversariis assignata ad transformationem specierum explicandam non sufficiunt: quod justo quodam praejudicio colligendum esset ex ipsa multiplicitate opinionum a Transformistis propositarum (1). Non sufficit 1. juxta plures constans conatus ad indigentias aliquas in novis conditionibus explendas, quem excogitavit Lamarck: licet enim per ejusmodi conatus novas aliquas qualitates acquireret individuum, haud liquet qualitates sic *acquisitas* posse ad prolem per generationem transmitti.

2. Medium a Darwin excogitatum (« Natural Selection ») inefficax et insufficiens etiam esset: etenim *a*) pugna et lucta ista (« struggle for existence »), per quam selectio, juxta Darwin, facta est, fere negativa esset et nihil *positivi* de novo produceret (cf. Mivart, « On Truth », p. 514): et ex qualitatibus positivis jam existentibus illas solas foveret et augeret quae majoris utilitatis essent in pugna et lucta, qualitates scilicet feroces, dum ex alia parte qualitates nobiliores eliminaret: et sic simia in hominem, physice debiliorem, nunquam mutata esset. — *b*) Haec pugna adhuc viget, quin ideo animalia perfectiora fiant, imo perfectiora aliqua jam desierunt, et non habetur « survival of the fittest ». — *c*) Magna quoque difficultas contra Darwinii theoriam oritur (ut fatetur ipse, op. cit., c. 8) ex factis quibusdam, praesertim ex iis quae narrantur de *formicis neutris* seu operariis, quarum qualitates speciales non *individuis* ipsis (nec proli, cum sint steriles), imo in casu formicarum *captivarum* nec ipsi propriae *speciei* prosunt. Item,

(1) Recensentur v. g. (apud « Times », Literary Supplement, June 9, 1905, p. 184), « Darwinians and Neo-Darwinians, Lamarckians and Neo-Lamarckians, Galtonians, Haeckelians, Weismannians, de Wriesians, Mendelians, Hertwigians ».

nedum inutiles sed et *nocivas* qualitates in aliquibus speciebus conservari, commemorant naturalistae : cujusmodi est pronitas avicularum multarum ad nutriendam in propriis nidis prolem cuculi in propriae perniciem ; necnon instinctus migratorius quadrupedum illorum qui *lemming* (Myodes lemmus) vocantur, quorum multa millia per plures menses itinere recto, per quaelibet obstacula transgrediuntur, donec tandem in mare perituri ruant (cf. P. Gerard S. J., « Science and Scientists », pp. 116, sqq.). — Demum *d*) vita animalis in terra ex ipsis scientistis ad summum non plus quam 50,000,000 annorum hactenus duravit ; atqui transformatio et evolutio quam asserit Darwin, longius adhuc tempus exposceret : quam difficultatem fatetur ipse (c. 15) gravissimam omnium esse. Proinde hoc medium, quod dicitur a Mivart « a puerile hypothesis », ab ipso Darwin postea habitum est ut in se inefficax et insufficiens. Nec majoris efficaciae est medium aliud « sexual selection » ab ipso introductum, cum ab aliis zoologistis factis et experientiae contrarium censeatur.

Demum 3. legem internam ignotam a Mivart invectam quod attinet, esset quidem sufficiens si existeret : sed ejus existentia quae gratis asseritur gratis etiam negatur : imo contra eam stat experientia, quae docet unamquamque naturam habere vires agendi determinatas, bene perspectas, et suae speciei proprias, quas diversis quidem gradibus exercere potest, transgredi vero nequit.

95. — **III.** Argumenta quae deducunt adversarii ex similitudine et affinitate hominis cum simiis et aliis inferioribus animalibus nihil probant. Etsi enim similitudo corporalis perfecta esset, non valide inde inferretur communis stipes, cum plures protoparentes quoad corpus perfecte similes simul creari potuissent : imo, ut advertit Mivart (« On Truth », p. 528), homo utpote *animal* rationale alicui alteri animali necessario similis est, et entis rationalis operationibus melius responderet organismus simiarum quam aliorum animalium. Hominem vero a brutis essentialiter differre in *natura rationali*, contra transformismum crassiorem, tenet ex ipsis evolutionistis Wallace (« Darwinism », c. 15), licet corpus humanum ex forma aliqua inferiori dicat derivatum.

Sed his omissis, 1. Quoad *ipsum corpus*, *a*) dissimilitudines plures et majores sunt quam similitudines inter hominem et bruta : differunt videlicet praecipue homo et simia tum cranii formâ et magnitudine, tum dentibus ; necnon brachiis, femoribus, manibus, quae ut notat ipse Wallace (l. c., p. 453), in homini ambulationi, in simia autem scansioni apta sunt (1) ; *b*) infirmitatem argumenti

(1) Hinc Bossuet (« Hist. Univ. », p. 2, c. 1), « L'homme a la taille droite, la tête élevée, les regards tournés vers le ciel : et cette conformation, qui lui est particulière,

ex similitudinibus deducti agnovit ipse Darwin cum aliis, repetendo hominis originem ex aliqua specie *exstincta* simiarum (« the missing link »).

2. Similitudines inter ova et embryones animalium omnium vertebratorum, quae, ex evolutionistis, exhibent seu recapitulant per diversa stadia in uniuscujusque *individui* productione (« ontogenesi »), totius *speciei* historiam (« phylogenesim »), sunt tantum apparentes, ut ab insignioribus embryologistis etiam ex ipsis adversariis admittitur. Cf. Mivart, op. cit., p. 523.

3. Argumentum derivationis hominis a prototypis inferioribus sumunt quoque transformistae (uti Darwin, op. cit., c. 14) *ex organis rudimentariis* et imperfectis, quae nunc vel prorsus *inutilia* evaserunt (uti dentes cetorum, alae struthionum, digiti laterales in pedibus equorum), vel etiam *nociva* (uti in ipso homine, appendix vermiformis). Sed responderi potest, cum ipso Huxley contra Haeckel (cit. apud Gerard, « The Old Riddle and the Newest Answer », p. 191), bene habere posse organa ista utilitates quae nobis ignotae sint. Deinde si organa ista revera inutilia aut nociva dicantur, jam diu, ex adversariorum ipsorum principiis, ope selectionis naturalis ex organismo omnino excludi debuissent (1).

4. Tandem fatetur ipse Mivart op. cit. (« On Truth », p. 527), transformismi hypothesim quoad hominis originem etiam spectata sola ratione naturali incertam esse, imo difficultatem admittendi contrariam doctrinam communem oriri praecipue ex praejudicio quodam et imaginatione.

96. Conclusio. — Cum ergo 1. semel admissa potentia Dei creativa, non magis repugnet varias species, et inter eas ipsum hominem, per immediatam Dei operationem quam per evolutionem produci; cumque 2. sensus obvius historiae sacrae, juxta communem et antiquam interpretationem formationi immediatae divinae

lui montre son origine et le lieu où il doit tendre ». Et antea S. Basilius (hom. in illud, « Attende tibi ipsi », n. 8), « Finxit (artifex optimus) hominem solum ex omnibus animantibus erecta facie, ut ex ipsa figura scias vitam tuam e superno genere oriri. Nam quadrupedum genus omne respicit terram, et in ventrem inclinatur: homini vero patet ad coelum aspectus, ut ne indulgeat ventri, neque venereis, sed impetum omnem ad supernum iter dirigat ».

(1) Propter argumenta autem praedicta plures tenent species saltem *affines* intra eadem genera (uti respective, leones, tigres, feles; canes, vulpes, lupos; oves, boves, cervos; equos, asinos, zebras) ab eodem primordiali stipite (qui in initio quidem *plasticus* fuisset), ac praecipue vi legis innatae, derivatas esse, accipiendo ex externis adjunctis accidentales tantum variationes. Hanc evolutionem *polyphyleticam* (seu ex pluribus prototypis) propugnant Dawson (« Modern Ideas of Evolution », p. 126), Geddes (« Chambers' Encycl. », art. « Evolution », t. 4, p. 483), et ex Catholicis, quoad animalia irrationalia, P. Wasmann S. J. (« Evolution Problems », vers. angl., pp. 14, sqq.: 219, 220; qui et alios citat).

faveat; cumque 3. adversariorum argumenta, ex eorum admissione, decretoria non sint: videtur Transformistarum hypothesis, saltem quod attinet *hominis* originem, licet possibilis, nullâ tamen niti ratione positivâ quae ad assensum prudentem moveat, ac proinde improbabilis esse. Hancque theoriam, ut jam fassus est ipse Darwin (in conclusione operis de Origine Specierum), rejiciunt plures vel ex ipsis scientistis, inter quos citantur praecipue Quatrefages, Virchow, Reinke, Fleischmann (1).

ART. 2. — DE TRANSFORMISMI COHAERENTIA CUM DOCTRINA FIDEI

97. — I. Praemittendum est, propositionem aliquam *de fide divina* esse quando in revelatione continetur, nondum autem authentice proposita est ab ecclesia: *de fide* vero *catholica* quando (juxta verba Concilii Vaticani, « de Fide Catholica », c. 3: Denz. 1641) ab ecclesia tanquam divinitus revelata credenda proponitur *sive solemni judicio* (v. g. in Concilio Generali, aut in Romani Pontificis dogmatica constitutione), *sive ordinario et universali magisterio* (idest in praedicatione quotidiana pastorum per orbem, qui in communione cum Romana ecclesia existunt). Virtute autem fidei et in conscientia, tenentur credere Catholici praeter praefatas veritates revelatas, decisiones doctrinales, et communes sententias plures, quarum contradictoriae notam aliquam theologicam haeresi inferiorem mereantur.

98. — II. Jam his notatis, ex communi sententia transformismus crassus qui *totum hominem*, tam in anima quam in corpore, terminum evolutionis esse asserit, doctrinae fidei repugnat, vel eo ipso quod supponat animam humanam aliunde quam ab immediata Dei actione originem habere.

99. — Utrum vero *de fide* dicenda sit propositio nostra docens contra transformistas mitiores, etiam *corpus* Adami esse a Deo immediate formatum: 1. Si inspiciatur *S. Scripturae testimonium*, dum ex una parte propositio tradita exprimat Geneseos 2. 7. sensum magis naturalem et obvium, ex alia vero parte hic sensus non ita manifeste est unice et exclusive verus, ut alius quivis certe falsus sit: idque, ut dictum est, fatentur theologi. Et revera sunt plures doctrinae quae magis connexae videntur cum ordine supernaturali clariusque in sacro textu contentae quam doctrina

(1) Insigne est testimonium naturalistae Virchow in allocutione ad Conventum Anthropologicum habitum Viennae Austriacae an. 1889, ubi inter alia dicit, « Frustra quaerebamus *anulos deficientes* istos (« missing links »), qui veluti in catena quadam hominem directe cum simiis conjungerent; homo ille primigenius, pro-anthropos proprie dictus, nondum inventus est... Hodieque affirmare licet, ex populis antiquioribus nullum affiniorem fuisse simiis quam nos ipsi simus... Demonstrari potest clarissime, nullam decursu 5,000 annorum effectam fuisse typi mutationem, quae alicujus sit momenti ». — Vid. Windle, « Dublin Review », July, 1905.

nostra de origine corporis Adae, quin tamen de fide esse habeantur. Ita v. g. doctrinae *a*) de voluntate Dei salvifica universali (1 Tim. 2. 1-6; 4. 10; 1 Jo. 2. 2); *b*) de igne gehennali (Matth. 13. 42; 25. 42; Marc. 9, 44, 46; Luc. 16. 24, etc.); *c*) de coena paschali a Domino nostro anno ejus emortuali celebrata (Matt. 1 26; Marc. 14; Luc. 22).

100. — 2. *Ecclesiae* autem oraculum infallibile quod attinet, nondum habetur de transformismo *solemne ejus judicium*, imo nec praescriptum disciplinare, seu prohibitio ad securitati doctrinae prospiciendum, cujusmodi editum est (15 Jan. 1897) de authentia « commatis joannei » (1 Jo. 5. 7) neganda: *ordinarii* autem magisterii et traditionis ejus indicia et criteria in hac re essent declarationes Patrum et theologorum consensus.

a) *Patres* imprimis, ut habeantur traditionis divinae testes, doctrinam aliquam docere debent consensu aequivalenter saltem unanimi, non tantum ut historice aut philosophice veram, sed etiam ut ad fidem pertinentem. Hinc quando Patres censebant secundum S. Scripturae sensum litteralem magis obvium universum aspectabile sex diebus ordinariis creatum esse, Diluvium fuisse prorsus universale, solem circa tellurem circumire, etc., propositiones tradebant quas libere jam negant Catholici. Item Patres perplures tum ex Latinis tum ex Graecis docuerunt animas in Purgatorio detentas ignis poena torqueri, propter verba Apostoli 1 Cor. 3. 12, sqq.; et tamen ab hac doctrina tanquam de fide definienda consulto abstinuit Concilium Florentinum. Ex Patrum proinde testimonio non sequitur doctrinam nostram de fide esse, nisi simul constet eos hanc doctrinam uti ad communis fidei depositum pertinentem tradidisse: hocque constare, negant plures Catholici (cf. Ill. Dr. Hedley, « Dublin Review », July 1888, p. 163).

b) *Theologos* quod attinet, quamvis eorum per plura saecula *universalis* et *constans* consensus de aliqua propositione tanquam ad fidem pertinente sit indicium veritatis revelatae (juxta litt. Pii IX ad archiep. Monach. 21 Dec. 1863: Denz. 1536), non sunt tamen ipsi theologi organon authenticum doctrinae et institutionis Christianae: et revera aliqui eorum etiam majoris auctoritatis nonnunquam propositiones tanquam de fide tradunt quae non sint. Ita v. g. Suarez (de Incarn., d. 18, s. 2, n. 5), agens de quaestione utrum Christus praeter gratiam unionis hypostaticae habuerit etiam gratiam habitualem, affirmantem sententiam dicit esse de fide: Lugo vero (d. 16, n. 92) hanc sententiam censet quidem tam veram et communem ut contraria sit temeraria, negat vero esse de fide. Pariter haereticam dicit idem Suarez sententiam quae negat Christum pascha legale postremo vitae suae anno celebrasse: in qua

tamen censura, ut dicunt auctores cum Card. Gotti, plus aequo progressus est non exspectato ecclesiae judicio. Simile quid videndum est in aliis quaestionibus v. g. de immediata institutione omnium sacramentorum ab ipso Christo facta, de forma consecrationis Eucharisticae.

101. — IV. In nostra vero quaestione, utrum Deus Adae corpus immediata actione an mediante transformatione formaverit, cum in Scholis *nova* sit, merito allegari vix potest veterum theologorum testimonium. Suarezium autem nominatim quod attinet (de Op. Sex dier., l. 3, c. 1), ad quem appellat Mazzella (n. 513): ut omittatur, ipsum concedere neque principiis fidei neque Patrum doctrinae repugnare eam sententiam quae post S. Joannem Chrysostomum, docet Deum ante infusionem animae, *per mutationem successivam ab imperfecto ad perfectius* formasse corpus Adae (nn. 11, 12): assertionem suam principalem de *immediata formatione* corporis Adae eatenus dicit « catholicam doctrinam » (n. 5) quatenus excludat, tanquam Creatoris dignitati minus convenientem, *cooperationem Angelorum* in creatione corporis organizati. Attamen ex dictis, etiamsi manifeste doctrinam nostram de fide declaraverit Suarez, non ideo sententia contraria haereseos statim damnanda esset.

Ex recentioribus autem theologis qui de nostra quaestione distincte et explicite tractarunt, plures docent transformismum etiam mitiorem non posse salva fide teneri. De eo dicit Palmieri (p. 221), « satis aperte repugnat mosaicae narrationi », necnon doctrinae Patrum et sensui fidelium (p. 222). Hurter (n. 306, annot.) dicit, « Cui opinioni [Mivarti] certe neque materialismi neque incredulitatis notam inurimus, eam tamen reprobamus, quod rationi non sit consona nedum S. Scripturae »: ita fere et Pesch, nn. 107, 108. Haec Mivarti sententia videtur Cardinali Mazzella si non prorsus haeretica, saltem « non tuta »; ac Tepe (n. 676) nostram propositionem putat esse « de fide ».

Contra hos, scriptores plures Catholici praesertim in America et Anglia negant ecclesiam ordinario suo magisterio nostram sententiam ut ad fidem aliquo modo pertinentem docere. Certe, contrariam Mivarti sententiam nondum datâ operâ damnavit aut censura notavit, etsi ejusdem Professoris Mivarti elucubrationes aliquas de poenis inferni reprobaverit. Hic ergo forsan valet axioma, « in dubiis libertas » (1).

(1) Quod opus P. Leroy O. P. (« Evolution restreinte aux espèces organiques », in quo transformismus mitigatus tradebatur) ab « auctoritate competenti » parum consonare textibus Scripturae sacrae sanaeque philosophiae principiis judicatum fuerit, ac proinde ab ipso auctore repudiatum sit (cf. « Le Monde » 4 Mars 1895), hoc nihil probat de

Concludere tandem licet verbis Tournely in alia quaestione (de Euch., qu. 4, art. 8),« Quamvis igitur sententia Conclusionis nostrae certa sit ac vera, non tamen fidei certitudinem hactenus assecuta est; neque nostro quidem judicio, privatorum est, non auditâ prius Ecclesiae voce atque sententiâ, definire hanc vel illam opinionem haereticam esse, aut haeresim redolere. Audiatur eam in rem gravissimi Theologi Melchioris Cani monitum l. 8. de Locis, cap. 5. *Theologos omnes admonitos esse velim*, ait, *ut sepositis non affectibus modo, sed opinionum etiam praejudiciis, de causis fidei prudenter graviterque decernant. Non enim si quidquam in Schola bonis etiam temporibus inveteravit, mox fidei dogma existimandum est* ».

CAPUT TERTIUM

De Anima Rationali Forma Corporis

102. — Praenotanda. — I. In omni composito duplex elementum distinguunt Scholastici, *materiam* scilicet quae est pars indeterminata, et *forma* quae determinat, perficit et complet materiam. In composito autem humano praeter corpus, elementum materiale, admittendum est (ut ostenditur in Psychologia) elementum spirituale nempe anima rationalis. Suppositis, ex philosophia, hujus animae simplicitate, spiritualitate, immortalitate (1), hic inquirendum est utrum sit *corporis forma:* postea de ejus *origine* agendum est.

Duplici sensu inquiri potest utrum anima rationalis sit corporis forma: 1. ita ut sit *principium omnis vitae, sensus, motus corporis*, ad exclusionem alterius principii, adeo ut in homine sit

magisterii supremi ecclesiastici censura aut judicio, sicut nec acta Concilii provincialis Coloniensis, ad quae provocant aliqui scriptores.

(1) *Immortalitatem animae*, seu existentiam vitae futurae post corporis mortem, passim declarari aut supponi in novo Testamento et in traditionibus symbolisque christianis, nemo diffitetur (cf. Palmieri, thes. 29), eamque explicite definivit Concilium Lateranense V (Denz. 621). Eandem fidem habuisse Judaeos saltem recentiores, liquet ex libris sapientialibus (v. g. Eccli. 18. 22, « Ne verearis *usque ad mortem* justificari: quoniam mercès Dei manet *in aeternum* »: cf. Prov. 12. 28; 14. 32; Eccles. 12. 7; Sap. 3. 1, sqq.; 5. 1, sqq.) et Machabaeorum (v. g. 2 Machab. 6. 26; 7; 12. 43, sqq.). Neque de animae immortalitate dubitasse, quod aliqui asseruerunt, veteriores Hebraeos, 1. praesumptione rationabili inferendum esset, cum haec veritas vel apud gentes circumjacentes retenta sit (v. g. apud Aegyptios ab anno saltem 3,600 A. C., ut ex antiquis inscriptionibus liquet); 2. manifeste constat ex consultationibus mortuorum (Deut. 18. 11; 1 Reg. 28. 7, sqq.); 3. ex testimonio S. Pauli (Hebr. 11) de fide et spe antiquorum Sanctorum. Attamen fatendum est, revelationem de statu post mortem futuro, sicut et de pluribus aliis doctrinae capitibus, obscuriorem fuisse in vetere quam in novo Testamento.

una tantum anima eaque intellectualis; 2. utrum anima rationalis immediate uniatur materiae et huic tribuat ipsam *formam corporeitatis* seu *esse corporis*, sicut v. g. in auro forma auri determinat primam materiam ad *esse auri*.

103. — II. De quaestione in priori sensu praecipue agunt theologi propter errores aliquos tum veterum tum recentiorum ab ecclesia damnatos. — Praeter Manichaeos, qui cuilibet homini assignabant, una cum corpore, *duas animas*, alteram bonam alteram malam; ex veteribus philosophis et haereticis asserebant quidam cum Platone in homine esse *tres partes* realiter et substantialiter distinctas, scilicet *corpus*, *animam sensitivam*, et *spiritum*, seu mentem aut animam intellectivam, quae proinde doctrina dicta est *trichotomia*. Ex hac sententia dicebat Apollinaris, Verbum divinum assumpsisse tantum carnem et animam sensitivam, non vero animam rationalem, hujusque vices supplere in Christo ipsum Verbum. Praeter hanc, seu crassam, est alia seu *subtilior* trichotomia quam cum multis Protestantibus recentioribus docuerunt Günther, Baltzer et quidam alii catholici nominis. Non asserebant quidem auctores isti tres substantias distinctas in homine esse, sed cum distinguerent ab anima rationali seu *spiritu*, principium vitae vegetativae et animalis aut *animam somaticam* (quam unum quid cum corpore esse docebant), negarunt animam rationalem esse formam corporis sensu declarato, seu unicum principium totius vitae, sensus et motus.

104. — III. Contra utramque trichotomiam tenenda est *dichotomia*, quae docet hominem unâ animâ eâque rationali et *uno corpore* constare, hancque animam esse formam corporis, seu principium unicum omnis motus ejus et sensus. — Unitatem animae jam declaraverat Concilium Constantinopolitanum IV (an. 869: Denz. 274). Animam autem rationalem esse formam corporis praecipue docet Concilium Viennense (an. 1311: Denz. 409), definiendo contra Petrum Joannem Olivi « quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tanquam haereticus sit censendus ». Quam definitionem Leo X in Concilio Lateranensi V, sess. 8 innovavit (Denz. 621); eamque iterum inculcavit Pius IX contra Güntherum in epist. ad Card. De Geissel, die 15 Jun. 1857 (Denz. 1509), et in litteris ad episc. Wratislaviensem 30 April. 1860 (apud Hurter, n. 334)

De fide proinde est juxta verba Concilii Viennensis, « animam rationalem esse formam corporis humani *per se* et *essentialiter* ». Dicitur 1. « per se », idest *a*) non per accidens, quia anima naturaliter hanc aptitudinem et hoc munus habet, ut informando

corpus sit humanae vitae principium; *b*) non per aliud: sed immediate, ad exclusionem alicujus animae mediae inter corpus et animam rationalem. Declaravit Pius IX (litteris citatis 15 Jun. 1857), animam rationalem esse veram, per se atque immediatam corporis formam. — Dicitur 2. « essentialiter », *a*) ex parte ipsius animae: quia hoc est de ejus essentia, ut sit apta corpori informando; *b*) ex parte compositi, idest hominis: quia composito hujusmodi essentiale est, ut corpore tanquam materia et anima tanquam forma coalescat.

105. — **Propositio. Anima rationalis est forma corporis, seu principium omnis vitae, sensus, motus ejus.**

Prob. (cum Hurter, nn. 335, sqq.). **I.** Ex Genes. 2. 7, « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem ». — Hic describitur formatio hominis ex duplici tantum elemento, scilicet ex limo terrae et spiraculo vitae; atqui « spiraculum vitae » est 1. principium immediatum omnis vitae humanae, et 2. idem est cum anima rationali; ergo anima rationalis est forma corporis.

Prob. Min. per partes. — 1. « Spiraculum vitae » esse *principium immediatum omnis vitae*, patet tum *a*) ex ipsa locutione « spiraculum vitae », tum *b*) ex effectu ejus: istud enim vere est principium immediatum vitae, ex quo limus, omni vita carens, factus est in animal vivens.

2. Istud spiraculum vitae *idem est cum anima rationali*. *a*) In omni sententia, etiam eorum qui crassam trichotomiam propugnant, anima rationalis est pars nobilior hominis; atqui si per « spiraculum vitae » intelligitur tantum anima sensitiva, manca est descriptio creationis hominis a scriptore sacro tradita. — *b*) In loco parallelo Eccles. 12. 7 (« Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum »), « spiritus », idem est quod « spiraculum vitae » in Genesi; atqui si « spiritus » esset tantum principium vitae sensitivae et vegetativae, non rediret ad Deum, sed periret cum corpore. — *c*) Praecipue contra eos qui subtiliorem trichotomiam docent: « Spiraculum vitae », quod Deus inspiravit fuit *ab extra* infusum (« inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae »); atqui in adversariorum hypothesi principium vitae sensitivae non differt substantialiter a corpore, sed ab eo emanat, nec ab extra infunditur; ergo spiraculum vitae idem est cum anima rationali.

106. — **II.** Ex usu loquendi S. Scripturae. — In Scriptura voces « spiritus » et « anima » promiscue adhibentur ad eandem

partem substantialem hominis viventis designandam (ita v. g. Matt. 10. 28, « Potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam »; 1 Cor. 7. 34, « sancta corpore et spiritu »; Jac. 2. 26, « Corpus sine spiritu mortuum est »; Luc. 1. 46, 47, « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus »); atqui si duplex esset principium distinctum vitae in homine, promiscuus usus non esset legitimus, ut probat modus agendi ipsorum adversariorum, qui ab isto usu promiscuo sedulo abstinent; ergo.

107. — **III.** Ex Traditione. — Scilicet 1. Ex promiscuo usu apud Patres vocum « spiritus » et « anima ». Ita S. Athanasius (de Incarnat. contra Apollin., l. 1, n. 20), « Anima (ψυχή) hominis anima dicitur et non corpus: alterum ad alterum, idest spiritus (πνεῦμα) ad corpus ».

2. Ex eo quod Patres tradendo definitiones seu descriptiones animae humanae, inter ejus proprietates recensent virtutem vivificandi, animandi corpus, etc. Ita S. Joannes Damasc. a quo (de fide orth., l. 2, c. 12) anima definitur, « Vivens, simplex et incorporea substantia..... immortalis, rationis et intelligentiae particeps, organis instructo utens corpore, cui vitam, incrementum, sensum et gignendi vim tribuat, non aliam a se sejunctam mentem habens ».

3. Ex disertis testimoniis, quibus Patres animae rationali adscribunt omnem corporis vitam tanquam principio. Ita inter alios S. Irenaeus, cujus auctoritatem adversarii objiciunt: dicit enim (l. 2, c. 23, n. 4), « Non enim est fortius corpus quam anima, quod quidem ab illa spiratur et vivificatur et augetur et articulatur, sed anima possidet et principatur corpori..... Corpus enim organo simile est: anima autem artificis rationem obtinet..... non amittit in totum suas virtutes; sed quasi vitam participans [i. e. impertiens] corpori, ipsa vivere non cessat ». Ita et Athenagoras (de resurrect. mort., c. 15), « Omnis communiter hominum natura ex anima immortali constat et corpore, quod cum anima in creatione conjunctum fuit, ac neque naturae animae per se ipsam aut corporis naturae separatim Deus ejusmodi creationem ac vitam et totius discursum dispendit et destinavit, sed compositis ex utroque hominibus ».

4. Ex eo quod ecclesiae pastores et doctores, dum veritatem humanae naturae a Verbo assumptae declarant, docent eam constare corpore et anima rationali. Ita S. Leo (epist. 28, ad Flavianum, c. 2), « Habitavit in nobis: hoc est, in ea carne quam assumpsit ex homine et quam spiritu vitae rationalis animavit ». Declarat quoque Concilium Constantinopolitanum II (can. 4: Denz. 175), « unionem Dei Verbi ad carnem animatam anima ra-

tionali et intellectuali secundum compositionem, idest secundum hypostasim, factam esse ».

108. — **IV.** Ex experientia hoc argumentum tradit Hurter, n. 338 : « Experimur enim unum idemque plane subjectum quod alias atque alias experitur sensationes, quodque sensitivi appetitus actus elicit, etiam intelligere, ratiocinari ac velle. Atqui identitatis conscientia in hypothesi duarum animarum quarum una intelligit, altera sentit, utraque vero suam conscientiam habet, explicari nullatenus potest. Anima enim sibi conscia esse nequit nisi earum operationum, quas ipsa elicit ; proinde si duplex esset anima, duplex quoque esset conscientia non *una eademque* ».

109. — **Dices.** Ipsa Scriptura distinguit inter hominis animam, spiritum et corpus : ita v. g. Dan. 3. 86, « Benedicite spiritus et animae justorum Domino » ; 1 Thess. 5. 23, « Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia : ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur » ; Hebr. 4. 12, « Vivus est enim sermo Dei..... pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus » ; ergo admittenda est trichotomia.

Resp. *Dist. Anteced.* Scriptura idem principium vitale *diversis nominibus* animae et spiritus distinguit, pro diversis operationibus vel animalibus vel intellectualibus, *transeat :* distinguit duo principia vitalia, *nego.* Responsum illustrant verba S. Augustini (de fide et Symb., n. 23), « Et quoniam tria sunt quibus homo constat, spiritus, anima et corpus : quae rursus duo dicuntur, quia saepe anima simul cum spiritu nominatur : pars enim quaedam ejusdem rationalis, qua carent bestiae, spiritus dicitur : principale nostrum spiritus est, deinde vita qua conjungimur corpori, anima dicitur ».

Ad primum membrum dicitur *transeat :* etenim in textu saltem Danielis habetur parallelismus hebraicus in quo nomina *anima* et *spiritus* sunt prorsus synonyma. Textu altero, precatur solummodo Apostolus incolumitatem perfectam et integram iis ad quos scribit : quamvis alii uti S. Irenaeus et Gennadius (apud Pesch, n. 118), per *spiritum* intelligant dona supernaturalia. Loco autem tertio significatur omniscientia Dei perfecta, quae animae motus et animales et intellectuales licet abditissimos clare videt et rimatur : imo si re distinguerentur spiritus et anima, mirum non fuisset Verbum divinum ipsa discernere.

Inst. Est in homine pugna interna inter animam rationalem et partes inferiores ; atqui non possunt in una anima dari simul inclinationes et actus contrarii ; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Non possunt dari simul inclinationes et actus contrarii efficaces, *conc.*: inefficaces, *nego.* Imo ex hac ipsa pugna inter partes sensitivam et rationalem, confirmant plures cum S. Thoma (contra Gent., l. 2, c. 58) unitatem animae: si enim propensiones istae diversae non ex uno principio orirentur, nulla omnino *sentiretur* pugna.

110. Scholion. — De quaestione, « utrum anima rationalis sit corporis forma » remanet inquirendum juxta alterum sensum jam indicatum, nempe num (ut ait De Maria, t. 2, p. 501), « eadem anima intellectiva corpori substantialiter unita, excludat ab homine non solum quamlibet aliam animam; verum etiam quamlibet aliam formam substantialem, ita ut ipsa composito tribuat, tum quod reliquae animae, tum quod reliquae formae inferiores seu inanimatorum largiuntur materiae. Haec quaestio eodem recidit ac si inquiratur, an anima rationalis, in generatione hominis, uniatur purae materiae primae, vel corpori jam constituto in esse substantiae corporeae per aliam formam substantialem, quae una cum anima remaneat in homine ». De qua quaestione *philosophica* breviter indicandae sunt praecipuae opiniones. — 1. S. Thomas cum Scholasticis communiter docet subjectum ab anima informatum esse materiam primam, quae accipit ab ea primum esse corporis. — 2. Juxta Scotum e contra, anima informat corpus organicum, adeoque praeter animam quae est forma totius hominis et principium vitale corporis, in corpore ipso est forma organica seu corporeitatis. — 3. Mediam sententiam proponit Tongiorgi (« Psychol. », n. 183), docens cum Thomistis, unicam formam in homine esse animam rationalem, dum admittit cum Scotistis subjectum quod anima informat non esse materiam primam sed corpus organicum, organizatum quidem non forma aliqua propria corporeitatis sed vi cohaesionis juxta leges physicas et mechanicas. — Plura videantur apud Palmieri (pp. 242, sqq., et Nota, pp. 769, sqq.), qui Scoto favet; Mazzella (nn. 614, sqq.), qui S. Thomam sequitur.

CAPUT QUARTUM

De Animae Humanae Origine

111. Praenotanda. — I. Sententiae multiplices de origine animae humanae ad quatuor classes generales reduci possunt. — 1. Sententiae nempe pantheisticae docent animam produci ex substantia divina; 2. Traducianismus dicit eam produci ex substantia parentum; 3. Creatianismus docet eam ex nihilo produci quando

corpori infunditur; 4. Praeexistentianismus demum vult animas omnes ab initio creationis a Deo e nihilo productas fuisse.

1. Ex pantheistis, *a*) dicunt aliqui, Deum esse ens corporeum, animam autem ipsius partem; *b*) alii eum esse ens spirituale, animam vero ejus veluti effluxum seu emanationem; *c*) alii demum eum esse ens quoddam indeterminatum, cujus determinatio aliqua esset anima humana, quam dicunt « phaenomenon divinitatis ». Ipso limine satis patet, has sententias pantheisticas rejiciendas esse, utpote simplicitati et immutabilitati Dei adversantes.

2. Traducianismus est duplex. *a*) Materialis et proprie dictus docet, non tantum corpora sed et animas ex substantia corporali parentum produci: ita videtur sensisse Tertullianus, refutatus a SS. Augustino et Hieronymo: ita aliquatenus et materialistae hodierni, qui tamen distincte negant spiritualitatem animae. Haec sententia dicitur « haeretica » a S. Thoma, 1, qu. 118, a. 2. — *b*) Traducianismus spiritualis, seu generatianismus, docet animas produci non ex corporibus sed animabus parentum: ita ex recentioribus Protestantibus Doederlein, Bretschneider, De Wette etc.: et ex Catholicis Klee, necnon aliquatenus Froschammer, Hermes, Rosmini: a qua sententia, ob difficultatem explicandi propagationem peccati originalis, cum pluribus aliis in ecclesia occidentali post exortam haeresim pelagianam, non prorsus abhorruit S. Augustinus (cf. epist. cit., c. 6, n. 25; de Genesi ad litt., l. 9, c. 11, n. 19; epist. 166, ad Hieron., c. 3, n. 7).

3. Creatianismus etiam est duplex: nam *a*) alii, juxta verum et Catholicum sensum, docent Deum ipsum animas immediate producere ex nihilo; *b*) alii vero, uti Froschammer, asseruerunt parentes per vim peculiarem a Deo ipsis concessam filiorum animas ex nihilo producere: contra quam posteriorem formam sufficiunt quae dicta sunt supra, n. 16.

4. Praeexistentianismus quoque est duplex. *a*) Aliqui dixerunt omnes animas humanas fuisse una cum Angelis creatas, ac postea in poenam peccatorum detrusas in corpora tanquam in carceres: ita post Platonem Origenes, et ex recentioribus Kant et Schelling: hunc errorem confutarunt plures Patres et damnavit Concilium Constantinopolitanum II (Denz. 187, sqq.). — *b*) Alii dixerunt, animas humanas una cum Angelis creatas fuisse et deinde modo unam, modo alteram ad corpora mitti, non tamen in poenam peccati: ita, juxta Bellarminum (de Amiss. Grat., l. 4, c. 11), Rabbini aliqui et antiqui quidam Catholici. Contraria sententia dicitur a S. Leone (epist. 15 ad Turrib., c. 5) vera et constans fides Catholica.

112. — II. Tenendum proinde est (cum Hurter, nn. 314, 315), « Animas divinitus creari, atque tunc cum corpore conjungi, cum

praestitutus naturae ordo id exigit »: « quae quidem sententia non est *de fide*, propterea non tamen est *mera opinio*, cujus contraria *tuto* possit defendi. Nam ea a tempore scholae vere *communis* dici potest in ecclesia, quaeque magis semper in ea prevaluit: et quamvis ab ecclesia forte nulla *peremptoria* declaratione fuerit definita, in nonnullis tamen authenticis decretis significatur vel supponi videtur ». Citatis deinde documentis quae ediderunt Romani Pontifices Leo IX (Denz. 296), Benedictus XII (Id. 1794), Leo X (Id.. 621), (necnon Concilio Coloniensi ac Schemate Concilii Vaticani), concludit, « Quare oppositam saltem *temerariam* putamus ».

Doctrina haec de creatione animae dicitur a S. Thoma (de Potent., qu. 3, a. 9) « judicio ecclesiae approbata », a S. Bonaventura (1. 2 dist. 18, qu. 2) « catholica et vera », a Cano (de locis, l. 12, c. 13) ad fidem pertinens, quem sequitur Mazzella: ac contraria sententia vocatur a Valentia (d. 6, qu. 8) « erronea », ab Estio (in 2 dist. 17) « maxime temeraria », a Palmieri (p. 261) « temeraria satis ».

113. — Propositio. Animae humanae divinitus creantur, et tum creantur cum, juxta praestitutum naturae ordinem, corporibus infunduntur.

Haec propositio ostenditur praecipue ex *Traditione* et *Ratione Theologica.* — Etenim, ut notat Bellarminus (l. c., cc. 5, 6), ex solis Scripturae verbis, « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae » (Gen. 2. 7) creatio immediata etiam ipsius Adae animae satis quidem efficaciter, sed nonnisi indirecte infertur: animarum aliarum nullomodo. Loca quaedam alia Scripturae quae citari solent, docent ad summum Deum esse *auctorem animarum:* sed *modum* non indicant. Ita v. g. Ps. 32. 15, « Qui finxit singillatim corda eorum »; Is. 42. 5, « Dans [Deus] flatum populo qui est super eam [terram], et spiritum calcantibus eam ». Firmiora, non autem decretoria, videntur loca Eccles. 12. 7, « Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum »; et Hebr. 12. 9, « Patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum.....? »

114. — Prob. prima pars, scilicet animas divinitus creari. — **I.** Ex Patribus: Sepositis paucis illis qui vel 1. dubie haerent (uti S. Augustinus, ac post eum S. Gregorius Magn., S. Fulgentius, Cassiodorus, Eucherius), vel 2. tuentur animam ex traduce gigni (Anastasius presb., Theodorus Abucar.; forsan etiam Gregorius Nyssen. et Macarius): 3. plures alii *implicite* doctrinam nostram productionis animae a solo Deo et non a parentibus effectae, as-

serunt ea utendo ad mysterium Incarnationis illustrandum, et ad explicandum, quomodo B. Virgo licet divinitatem non pepererit, Dei Genitrix dici possit (ita S. Cyrillus Alex., l. 1, contra Nestor., c. 4); dum 4. permulti et celebriores *diserte* docent animas ex nihilo creari: ita v. g. S. Hieronymus (lib. contra Jo. Hierosol., n. 22, « Deus quotidie fabricatur animas »), S. Hilarius (de Trin., l. 10, n. 20, « cum anima omnis opus Dei sit »), S. Cyprianus (de dom. orat., c. 16, « corpus e terra et spiritum possidemus e coelo »): ac nonnunquam oppositam sententiam verbis sat gravibus rejiciunt.

115. — **Obs.** Dubitavit quidem *S. Augustinus* de hac quaestione propter difficultatem, quam sentiebat, intelligendi, quomodo animae, si essent a Deo creatae, statim inficerentur *ab initio* peccato originali, quin tamen hoc Deo tribuatur (de qua difficultate dicendum est infra, n. 189): propendebat tamen in sententiam communem, ut constat ex ejus Epistola (166, c. 8, n. 25) ad S. Hieronymum (« unde illa de novarum animarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam [peccati originalis] non oppugnat, sit et mea »). Cf. Palmieri, pp. 258, 259.

116. — **II.** Ex ratione sic argumentatur Bellarminus (l. c.). — 1. Si animae humanae a parentibus trahuntur, trahuntur vel ex corpore vel ex anima parentum; atqui neutrum dici potest; ergo animae humanae non gignuntur a parentibus.

Prob. Min. per partes. 1. Non trahuntur animae ex corpore parentum: tunc enim essent corporales et per hoc mortales.

2. Nec ex anima. Si enim anima filii ex anima parentis trahitur, hoc est vel ex tota, vel ex parte: *a*) Si ex *tota*, igitur vel parens caret deinceps anima, quippe qui totam transfudit in filium: vel tota manet in patre et in filio. Utrumque est evidenter falsum; nam experientia testatur parentem per generationem anima non destitui: et non esse unam, atque eandem animam patris et filii; ut omittam singulare, ac proprium esse divinae naturae ob ejus infinitatem, ut una numero sit in pluribus personis. *b*) Sin autem non ex tota, sed *ex parte* animae patris, existit anima filii, igitur anima partibilis est, et per hoc corporalis, et mortalis. Ergo.

117. — **Prob. secunda pars**, scilicet animas creari cum infunduntur. — **I.** Contra Origenis errorem, ex Scriptura: 1. Dicitur Genes. 1. 31, « Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona »; atqui si hominis anima inclusa tantum erat in carcere, non essent cuncta bona; ergo non est admittenda Origenis sententia de praeexistentia animarum. — 2. Juxta Scripturam, Deus aliquando punit peccatores extrahendo eos e vita: mandata servantibus longam vitam promittit: patriarchis et aliis benefecit

prolem numerosam concedendo; atqui haec omnia falsa et absurda, si animae essent in corporibus inclusae velut in carceribus ad vindictam et poenam; ergo. — 3. S. Paulus (Rom. 9. 11) dicit de Jacob et Esau, « Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut *mali*.... »; atqui in adversariorum sententia non essent immunes ab omni culpa personali; ergo.

118. — **II.** Contra alteram erroris formam sic probatur propositio ex S. Thoma (1, qu. 118, a. 3). In adversariorum hypothesi vel naturale esset animae uniri corpori, vel non. Si *naturale* esset, tunc Deus animas tandiu ante unionem cum corpore creando, reliquisset opus suum imperfectum, quod gratis ac sine fundamento asserendum non est.

Si vero dicatur, *non* esse animae *naturale* ut corpori uniatur, unio tandem facta est vel 1. ex ipsius animae voluntate vel 2. ex alia causa. Atqui non 1. ex ipsius animae voluntate, quia *a*) haec voluntas ex hypothesi esset irrationabilis, cum anima non indigeret corpore, *b*) anima extra mundum visibilem et temporum vicissitudinem posita nullam haberet rationem sese alicui corpori debito tempore conjungendi, *c*) videretur fieri casu quod haec anima huic corpori uniretur. — 2. Si autem praeter ipsius voluntatem anima corpori uniretur, hoc esset violentum et poenale: et ita in Platonis et Origenis errorem iterum deventum esset.

119. — **Dices.** Filii saepe habent eundem characterem et indolem ac parentes; atqui hoc ita non esset, nisi animas a parentibus filii derivarent; ergo anima est a parentibus.

Resp. 1. *Retorquendo.* Habent enim saepe pueri eandem indolem quam nutrices et tutores, a quibus tamen nec animam nec corpus derivant.

Resp. 2. *Nego Min.* Etenim dispositiones hujusmodi vel pertinent potius ad corpus et nervos quam ad animam, vel sunt ex adjunctis externis, educationis, exempli, etc. acquisitae.

Inst. Parentes generant hominem; atqui non generant hominem nisi generant animam: id quod confirmatur ex Scriptura docente (Gen. 12. 5; 46. 26) parentes animas facere et generare; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Parentes generant personam humanam in natura humana, *conc.*: producunt totum quod est in homine, *nego.* *Nego. Min.* Etenim ministrando parentes actione sua materiam ita dispositam, ut ex lege naturali divinitus constituta, infusio animae necessario sequatur, vere producunt hominem: sicut ex adverso sicarius operatione sua reddendo corpus ineptum ad animam retinendam, vere hominem occidit. — Ad confirmationem: respondendum est, locis citatis animam poni pro homine vivente.

120. — Scholion 1. de momento quo anima rationalis corpori conjungatur. — Duplex est sententia apud Catholicos. Prima est eorum qui dicunt animam rationalem divinitus creari et infundi in primo conceptionis momento, vel saltem quando foetus vivere incipit. Altera sententia, quae est S. Thomae (1, qu. 76, a. 3, ad 3: qu. 118, a. 2, ad 2) et plurium Scholasticorum, tenet in embryone esse primo animam tantum imperfectam vegetativam, cui in ulteriore stadio cessanti, succedit anima imperfecta sensitiva, ac tandem quando foetus ad formam et organismum distincte humanum adductus fuerit, creari divinitus et infundi animam rationalem, quae deinde sit unica corporis forma. — Non videtur autem necessaria altera haec sententia, cum anima rationalis possit esse principium aptum vitae omnis humanae.

121. — Scholion 2. de protoparentum creationis adjunctis. — Multa hic inquirunt theologi: praecipue vero de formatione Evae ex costa Adami (Gen. 2. 21, 22), ac de creatione hominis ad imaginem et similitudinem Dei (Gen. 1. 26, 27).

1. Ex Suarez (de Op. sex dierum, l. 3, c. 2, n. 3), verba Geneseos *de formatione Evae* non metaphorice sed litteraliter intelligit, contra Cajetanum, « catholica sententia »; ac proinde dicendus est Deus actione sua immediata (quae probabilius dicenda est « conversio »: cf. S. Thom. 1., qu. 92, a. 3, ad 1) formasse corpus Evae ex costa Adami — vel saltem (cum non certe constet omnibus de sensu hebraici verbi quod redditur « costa ») ex aliqua parte corporis Adae.

2. *De creatione hominis ad imaginem et similitudinem Dei*, statuit Hurter (thes. 117), hanc praerogativam, « 1. omnibus convenire hominibus, non tamen 2. ratione corporis, sed ratione animae. Distinctione autem 3. facta inter ipsam imaginis essentiam, perfectionem et manifestationem, affirmamus, imaginis veluti *essentiam* contineri animae rationalitate qua homo animalia praecellit; *perfectionem* donis praeter- et supernaturalibus, quibus homo a Deo fuit auctus; *manifestationem*, atque ejusdem signum dominio, quo in rerum universitatem potitur. Merito proinde 4. distingui duplicem imaginis rationem: naturalem scil. et supernaturalem; illam essentialem et indelebilem, accidentalem hanc et amissibilem ». Singulas theseos parte deinde explicat, nn. 343, sqq. — De hac re dicit S. Augustinus (epist. 166, ad Hieron., c. 5, n. 12), « Jam sexto die fecerat [Deus] hominem ad imaginem suam: quod utique secundum animam rationalem fecisse intelligitur ». Ex Tertulliano autem (de resurr. car., c. 6), et quidem contra sensum Geneseos, formatus est Adam ex limo terrae ad imaginem Christi futuri in carne.

QUAESTIO SECUNDA

DE HOMINIS ELEVATIONE SUPERNATURALI

Praemissa explicatione aliqua generali donorum naturalium et supernaturalium inquirendum est, quibus donis praediti fuerint primi parentes vel in quo statu constituti fuerint, ac deinde utrum iste status naturalis et debitus fuerit necne.

CAPUT PRIMUM

Praenotiones de Bono Supernaturali

122. — I. « Supernaturale » vi nominis significat illud quod est supra naturam. Vox autem « natura », quae derivatur a « nascendo », etymologice significat id quod habetur a nativitate seu origine, ut cum S. Paulus (Eph. 2. 3) dicit, « Eramus natura filii irae ». Deinde translatum est nomen ad ea significanda quibus aliquid constituitur (cf. voces « ingenitum », « innatum », anglice « inborn »), ita ut idem fere sonat quod essentia. Notio tamen naturae distinguitur a notione essentiae: haec enim respicit τὸ *esse* illa τὸ *agere* rei, seu ut dicit S. Thomas (« de ente et essentia », cap. 1), natura significat « essentiam rei secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem rei », et in sua integritate sumpta includit non tantum ipsum principium activitatis (seu essentiam) sed etiam ipsam activitatem, scilicet facultates et vires quae ex isto principio manant, et ad rei perfectionem pertinent. In homine v. g. natura complectitur non solum corpus et animam, sed etiam intellectum et voluntatem, et vires sensitivas tum externas tum internas.

Hinc, sepositis significationibus aliquibus vocis « naturale », quae rem praesentem non spectant: *naturale* est illud quod ad naturam pertinet aut ei **debetur** vel *constitutive*, quod scilicet est aut ipsa natura aut pars naturae; vel *consecutive*, quod scilicet ex natura fluit; vel *dynamice*, quod scil. natura suis viribus attingere aut efficere potest; vel demum *exigitive*, quod scilicet a natura

requiritur, non quidem ut sit, sed ut *bene* sit, aut ne ejus vires frustra sint. Sic, naturale est nobis habere corpus humanum et animam rationalem, cogitare, sentire, manducare, etc. — « Quod naturalia dicuntur *debita* naturae, profecto non est ita intelligendum (monet Franzelin, « de Habitud. Rat. ad Fid. », p. 625), ac si Deus *obligaretur humanae naturae* ». « Deus enim (ait Lessius, « de Perf. Div. », lib. 13, c. 1, n. 2), solum est debitor sibi ipsi seu suae sapientiae, ut juxta hujus praescriptum, et prout tantum artificem decet, operetur; ut pulchre docet S. Thomas 1 p. q. 31, a. 1, qua ratione dicimus pictorem, qui imaginem quam coepit, imperfectam relinquit, lineamentis vel coloribus congruis omissis, injuriam facere non operi, sed arti suae et nomini ».

Notandum est naturalia deberi tantum *naturae*. Etenim, ut dicit Murray (de Gratia, d. 1, n. 18), « aliud est debitum *speciei* aliud debitum *individuo*. Sic homini debetur ut habeat animam rationalem, duos oculos, manus, etc. Sed hoc speciei debetur, ita ut genus humanum ea omnia semper habeat: sed non debetur individuis, quorum quidam nascuntur et manent caeci, surdi, etc. ».

123. — II. Explicato, quid sit naturale, inferimus *supernaturale* illud esse quod nec est 1. natura ipsa nec pars naturae, nec 2. ex ipsa fluit, nec 3. ab ipsa propriis ipsius viribus attingi potest, nec 4. ipsi ullomodo debetur vel ut connexum quid aut praemium: seu brevius, est *illud quod naturae vires et exigentias excedit*. Supernaturale autem non est naturae contrarium nec eam excludit, sed potius eam supponit et (ut mox videbitur) perficit: quemadmodum et superrationale non contradicit rationi.

Jam vero quod respectu unius naturae est supernaturale, relate ad alteram superiorem potest esse naturale. « Sic multa sunt in angelis naturalia quae in homine plane supernaturalia essent: ut esse invisibilis, transire in momento temporis a loco in alium locum longinquum, etc. Multa sunt in homine naturalia, quae in bestia supernaturalia essent, ut usus sermonis: Num. 22. 28, 30 ». (Murray, l. c., n. 8). Hinc habetur distinctio in *supernaturale relative*, seu respectu alicujus naturae in particulari, et *supernaturale absolute*, seu quod tale est respectu omnis creaturae, vel *quod cujuslibet naturae, creatae vel creabilis, vires et exigentias, et totum complexum rerum creatarum transcendit*. « Quemadmodum enim (ait Franzelin, l. c., p. 622) sunt in natura ipsa gradus diversorum ordinum toto genere differentium, a substantia materiali inorganica et ejus accidentibus usque ad purum spiritum, ita est ordo aliquis communicationis divinae et consortii divinae naturae superior omnibus ordinibus naturalibus ».

124. — III. Istud quod ita superat omnem naturam creatam

est manifeste ens divinum; ac divinae naturae infinita excellentia et dignitas dicitur « supernaturale *per essentiam* », quippe quae creaturis incommunicabilis est. Proinde quando de dono supernaturali *creaturae* collato agitur, intelligendum est supernaturale *participatum*. Et quia imperfecta et deficiens aliqua participatio et imitatio divinae perfectionis omnibus creaturis ita naturalis et essentialis est, ut sine ipsa esse nequeant, hinc inferendum est participationem quae absolute *supernaturalis* est, esse divinae bonitatis participationem prorsus specialem, eamque collocant Patres et theologi in visione intuitiva Dei sicuti in se est (« facie ad faciem »: 1 Cor. 13. 12) et in ipsius, cum hac conjuncta, fruitione beata: hancque dicunt Patres « deificationem ». Supernaturalis etiam absolute est unio hypostatica, qua natura humana Christi vero aliquo sensu dici potest « deificata »: sed de hac agitur in tractatu de Verbo incarnato.

125. — **Obiter hic recolendum est,** 1. intuitivam visionem et cognitionem Dei, in qua consistit supernaturale absolutum participatum, opponi cognitioni *abstractivae*, qua cognoscitur Deus ideis aliunde, idest ex creaturis derivatis et analogice tantum non autem ut in se est; necnon 2. hanc unionem cum Deo totam naturam *creatam* superare (cf. de Deo Uno, p. 2, qu. 1, c. 1). Dicit ad rem Lessius (op. cit., lib. 12, c. 11, n. 73), « Qui... est in statu naturae innocentis, nunquam poterit ad perfectionem angelicam pertingere etiamsi absque fine bonis humanis, quorum scilicet natura illius vi sua est capax, ut robore, agilitate, pulchritudine, sanitate, eloquentia, industria, experientia rerum, artibus liberalibus, mechanicis, mathesi, astronomia, et omne genus scientiarum augeatur..... Denique angelica perfectio, etiamsi absque fine in suo ordine crescat, nunquam statum filiorum et gloriam ipsis praeparatam aequabit ».

126. — Ut ergo creatura ad ordinem hunc supernaturalem elevetur, 1. in ipsa praesupponenda est potentia quam dicunt theologi « obedientialem » quaeque definitur a Viva (Curs. mor.; de Sacram., qu. 1, a. 5, n. 10), « Aptitudo in creatura, per quam nata est obedire Deo ad producendum scilicet cum omnipotentia quidquid non implicat contradictionem ». Cf. S. Thomas, 3, qu. 11, a. 1. Deinde, 2. hac potentia et possibilitate supposita, requiritur ut creatura *novum* aliquod donum et auxilium a Deo accipiat cujus ope ad finem supernaturalem, Dei scilicet visionem intuitivam, pertingat: et liquet, auxilia ac media quaecumque hujusmodi esse ipsa absolute supernaturalia aeque ac finem, cum ad illum proportionem habeant. Dicit Kilber (Wirceb., « de Virtutibus Theol. » n. 4), « Potest autem aliquid ad hanc unionem pertinere vel (1) formaliter ac identice, uti ipsa fruitio beatifica; vel (2) tan-

quam principium immediatum, uti est lumen gloriae; vel (3) tanquam principia mediata [seu dispositiva], uti sunt sacramenta, habitus infusi, gratia, actus salutares; vel (4) tanquam effectus, uti sunt dotes gloriosae, etc.» : et haec omnia, ut dictum est, sunt absolute supernaturalia.

« Supernaturale *absolutum* » hactenus explicatum sub aliis respectibus spectatum dicitur etiam 1. supernaturale *quoad substantiam* (ontologice, entitative), 2. supernaturale *intrinsecus*. Videlicet 1. supernaturale dicitur *quoad substantiam* comparate ad supernaturale quod est tale *quoad modum* tantum, quod videlicet in se naturale est, sed efficitur modo qui superet exigentiam et vires naturae, uti sunt v. g. visus in caeco, vita mortuo restituta. Dicitur 2. supernaturale *intrinsecus*, quatenus distinguitur a supernaturali *extrinsecus*, quod tale eatenus tantum est quatenus ex divina voluntate ad finem supernaturalem ordinatur, v. g. bona naturalia, necnon morbi, etc. quae divinitus ordinantur ad aeternam salutem. (Franzelin, op. cit., p. 623).

127. — IV. Ad accuratiorem adhuc notionem, distinguatur oportet supernaturale absolutum : 1. a *connaturali* seu ab eo quod natura secum ducit quodque cum ea connexum est, licet ab ea non intendatur, utpote ad ejus perfectionem minime conferens : ut concupiscentia, mortalitas in homine, etc. ; 2. a *praeternaturali* (seu « supernaturali *secundum quid* », ut loquitur Franzelin), quod ex nullis principiis naturae aut consequitur aut exigitur, non tamen elevat naturam ad superiorem illum ac divinum ordinem : ita v. g. donum immortalitatis naturae humanae non fuit debitum, sed eam intra suum ordinem admodum perfecit, non tamen ita, ut eam elevaret ad ordinem divinum ; quod adeo est verum, ut haec praerogativa maneat in damnatis. — « Ex dictis (ait Franzelin) colliges, non ideo jam aliquid esse supernaturale, quia est beneficium *indebitum* et gratuitum ei cui confertur, nisi simul sit supra exigentiam et supra vires *totius* naturae », seu « creaturam perficiat ultra totum ordinem naturae ».

CAPUT SECUNDUM

Quo Statu Protoparentes constituti fuerunt

128. — **Praenotanda.** — I. Status ex ipsa vi nominis (ait Hurter, n. 362) significat firmam et permanentem rei positionem in aliquo situ. Status vero naturae humanae in praesenti quaestione est certa conditio *totius* humani generis, seu modus se habendi,

in ordine ad finem ultimum nempe Deum, et quod consequens est, ad media eo spectantia : dicitur « *totius* generis humani », non enim hic agitur de statu peculiari aliquorum, v. g. B. Virginis, S. Joannis Baptistae, S. Joseph, qui aliqua dona specialia habuerunt.

129. — II. Post Pelagianos, de quorum erroribus distinctius dicetur in tractatu de Gratia, negant rationalistae diversos exstitisse status humani generis relate ad eorum finem ultimum, dicuntque homines nunc nasci in eodem statu in quo fuit primus homo, qui proinde juxta ipsos fuit ab initio mortalis, subjectus miseriis humanis, etc. — Ita fere et Sociniani, qui negant Adamum habuisse justitiam originalem, admittunt vero in ipso immortalitatis donum.

130. — III. In Catholica autem doctrina, cum Deus, finis ultimus, possit homini praefigi vel naturaliter vel supernaturaliter attingendus, duplex praecipue status distingui potest, naturalis scilicet et supernaturalis. Attamen propter diversas humani generis vicissitudines, alias distinctiones tradunt theologi quas, propter earum connexionem cum doctrina de gratia et de peccato originali, accurate recolere juvat.

Enumerari solent : 1. *Status naturae purae*, importans facultates humanae conditioni naturaliter debitas, sine peccato originali et sine gratia supernaturali : dicit proinde *duplicem carentiam*, primam peccati originalis, secundam gratiae et donorum supernaturalium, atque etiam gratuitarum perfectionum. « Homo in statu naturali (ait Murray, de Gratia, d. 2, n. 2) praeceptis naturalibus teneretur, et ei ad haec servanda auxilia omnino naturalia darentur. Post vitam in isto statu recte transactam, beatitudinem naturalem assequeretur, in qua Deo ut auctori naturalium perfecte conjungeretur, ipsum cognoscendo abstractive, ut aiunt, seu per creaturas, omnipotentiam ejus et sapientiam et cetera attributa, prout in creaturis naturalibus elucent, clare videndo, eumque sic cognitum in aeternum amando ». « Status naturae purae (dicit idem, ibid., n. 6, citans Bellarminum et Billuart) a statu in quo nos nascimur in eo differt, quod in priori statu defectus iste [gratiae sanctificantis] esset mera *negatio*, in posteriori vero est *privatio*. In illo gratia nec esset, nec esse deberet ; in hoc secundum ordinationem Dei esse debet, et tamen non est. Theologi communiter assimilant hominem in priori statu *nudo*, qui nunquam vestes habuit, in posteriori autem *nudato* et vestibus spoliato..... Alia ab aliis datur comparatio : Si aulicus propter culpam excludatur ab aula, ad quam ex benevolentia regis fuerit admissus, est ipsi poena et exilium : at quod rusticus ad eam non admittatur, non est poena et miseria, sed tantum carentia boni indebiti ».

2. *Status naturae integrae* superaddit praecedenti, virium et appetituum inferiorum non quidem destructionem, sed perfectam subjectionem sub imperio rationis, ita ut nec eam praevenirent, nec ipsi resistendo, aut ad malum impellerent aut a bono impedirent; et sic homo haberet integras vires perfectamque sanitatem citra ullam infirmitatem in ordine morali. Juxta quosdam (v. g. Murray, l. c., n. 7; Hurter, n. 362; Schiffini, de Gratia, p. 51) hic status includit immunitatem non tantum a concupiscentia, sed a morte, morbis et aliis miseriis. « Status hic (ait Murray, l. c.) idem est atque ille, in quo Adam fuit usque ad lapsum, *dempta omni gratia*, et idcirco dempto fine isto supernaturali, ad quem gratia ordinatur ». Kilber autem statui naturae *innocenti*, non statui naturae integrae tribuit « immunitatem a morte, morbis reliquisque vitae humanae infirmitatibus ac miseriis », in quo, saltem quoad immunitatem a morte convenit cum aliis (v. g. Salmant. cit. ab ipso Murray, Suarez).

3. *Status naturae elevatae*, *a*) *simpliciter dictus* et spectatus ut mere possibilis, importaret praeter ea quae ad statum naturae purae pertinent, destinationem ad beatitudinem supernaturalem una cum donis gratiae actualis et sanctificantis ad finem istum attingendum necessariis; *b*) *historice* autem *spectatus*, sicut fuit in primis parentibus, vocatur status *innocentiae* seu *justitiae originalis*, et includit non tantum destinationem supernaturalem et gratiam sed cetera dona praeternaturalia et supernaturalia (immortalitatis, etc.), de quibus mox dicetur.

Demum distinguitur 4. *status naturae lapsae*, importans privationem gratiae et integritatis; ac 5. *status naturae reparatae*, importans restitutionem gratiae sine integritate aut felicitate.

131. — IV. Ex statibus enumeratis, duo secundum doctrinam Catholicam sunt reales, scilicet 1. status justitiae originalis, in quo primitus natura humana in Adam a Deo constituta erat, 2. status naturae lapsae et reparatae, in quo homines nunc actu sunt. — Ceteri status sunt solum possibiles, in quibus scilicet genus humanum nunquam permanenter fuit, sed esse posset. Hoc dicendum etiam de statu naturae *mere lapsae:* cum immediate post lapsum per Redemptoris promissionem reparatio incepta sit. — Hic ergo statuendum est, distinctis propositionibus, primos parentes primitus dotatos fuisse gratia sanctificante, integritate, scientia singulari, immortalitate, etc.

132. — **Propositio I. Primi parentes in statu justitiae et sanctitatis constituti fuerunt.** — Est dogma fidei catholicae quod jam significatum in can. 19 Concilii Arausicani II (Denz. 162), clarius

adhuc declaratum est a Concilio Tridentino sess. 5, can. 1, ubi damnantur omnes qui negent Adamum mandatum Dei in paradiso transgrediendo « sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse »; ac can. 2, ubi asseritur Adam « acceptam a Deo sanctitatem et justitiam » perdidisse (Denz. 670, 671).

Prob. I. Ex Eph. 4. 23, 24, « Renovamini autem spiritu mentis vestrae. Et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis »: cf. Coloss. 3. 9, sqq. — Novus homo, de quo loquitur Apostolus est vel Adam in primitivo statu, vel ipse Christus; atqui 1. si novus homo intelligitur Adam, ex ipso textu fuit creatus in justitia et sanctitate: si vero 2. Christus intelligitur, ejus justitiam et sanctitatem jubemur indui *per renovationem;* ergo istam sanctitatem habuimus primitus in Adamo.

133. — **II.** Ex scopo generali Dispensationis novae. — Hic scopus juxta Scripturas fuit generis humani *renovatio* (2 Cor. 4. 16; 5. 17; Eph. 4. 23, 24), *redemptio* (Matth. 20. 28; Rom. 3. 24; 1 Tim. 2. 6, etc.), *reconciliatio* (Rom. 5. 11; 2 Cor. 5. 18, 19; Coloss. 1. 20, 22), *restauratio* (Eph. 1. 10), seu in pristinum statum restitutio; atqui reparatio ista in singulis fit per infusionem gratiae sanctificantis, ut docet Concilium Tridentinum (sess. 6, cap. 7, can. 11: Denz. 681, 703) et demonstrabitur in tract. de Gratia; ergo istam gratiam habuit genus humanum in Adamo ante lapsum.

134. — **III.** Ex Eccles. 7. 30, « Hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum ». — Rectitudo in qua dicitur homo primitus constitutus est rectitudo moralis, ut constat ex ipso contextu, ubi haec rectitudo opponitur stultitiae peccatoris; atqui haec rectitudo moralis intelligi debet, secundum constantem Scripturarum usum (cf. Job, 1. 8; Ps. 7. 11; 10. 3, etc.) justitia supernaturalis seu gratia sanctificans; ergo. — Argumentum autem hoc, sicut et argumentum ex Gen. 1. 26, 27 (« Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram..... et creavit Deus hominem ad imaginem suam »: cf. Palmieri, pp. 410, sqq.), aliquibus videtur infirmum: et licet Patres dicant primum hominem fuisse *similem Deo* et *rectum* supernaturaliter, idest per gratiam sanctificantem, non deducunt certo hanc veritatem ex textibus citatis. Cf. Pesch, nn. 171, 173.

135. — **IV.** Ex Patribus omnino constat propositio nostra. Ita S. Athanasius (orat. contra gentes, n. 2), « Mundi opifex et omnium moderator Deus....., humanum genus ad propriam imaginem fecit..... ut videlicet hac conservata similitudine..... datam Dei gratiam et propriam ex paterno Verbo vim infusam retinens exsultaret, et cum Deo familiariter viveret, securamque ac vere beatam immortalem vitam duceret ». S. Basilius M. (serm. ascet. 1, n. 1), « Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est; sed per

peccatum anima ad vitiosas cupiditates impulsa deformavit imaginis pulchritudinem..... Revertamur igitur ad gratiam initio nobis concessam, ex qua excidimus per peccatum». S. Cyrillus Alex. (thesaurus: M. 75. 586), « Videamus quomodo sit [vir] imago et gloria Dei. Ac manifestum quidem esse arbitror ita prius appellatum esse virum, quia particeps factus fuit Spiritus divini, et per hunc divinae naturae »; et (in Joannis evang., l. 2, c. 1: M. 73. 206), « Et erat [Adam] in paradiso, servans adhuc mandatum, et divina Creatoris conspicuus imagine per inhabitantem Spiritum». S. Augustinus (de Gen. ad litt., l. 6, c. 24), «Quomodo ergo, inquiunt, renovari dicimur.....? Recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo ». S. Joannes Damasc. (de fide orth., l. 2, c. 30), « Hunc igitur hominem summus ille opifex masculum condidit, divinam ei gratiam suam impertiens, seque per eam ipsi communicans ».

136. — **Dices.** Apostolus (1 Cor. 15. 45, « Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem ») opponit statum Adae statui Christi; atqui Christus habuit gratiam sanctificantem; ergo carebat ea Adam.

Resp. *Dist. Maj.* Opponit statum Adae statui Christi in resurrectione *quoad corporis dotes, conc.: quoad gratiam, nego.* — Significat scilicet Apostolus, agendo ex proposito de resurrectione cărnis, Adam habuisse corpus vivens vita vegetali et animali pluribusque indigentiis obnoxium, corpus vero Christi post resurrectionem agilitate, subtilitate, claritate aliisque qualitatibus spiritualibus dotatum fuisse.

137. — **Obs. 1.** Concilium Tridentinum consulto dicit Adamum in sanctitate et justitia *constitutum*, non vero, ut cum S. Thoma (1, qu. 95, a. 1), communis nunc fert sententia post plures Patres, *creatum* aut conditum esse; quia nimirum noluit Concilium censurâ notare opinionem veterum aliquorum Scholasticorum (Alexandri Halens., S. Bonaventurae, Scoti, etc.) dicentium Adam in ipso momento creationis dona tantum *praeternaturalia* accepisse, gratiam autem sanctificantem (quippe quae adultis citra voluntatis consensum non confertur) nonnisi post primum instans. Cf. Suarez, de Op. sex dier., l. 3, c. 7, nn. 5, sqq.

138. — **Obs. 2.** Argumentum ex scopo generali Dispensationis novae desumptum suadet Adamum, praeter gratiam sanctificantem habuisse etiam virtutes infusas et dona Spiritus sancti. Inter has virtutes fuisse fidem proprie dictam negavit S. Bonaventura (2, dist. 23, a. 2, qu. 3), post Alexandrum Halensem, docentes Adamum

habuisse de rebus supernaturalibus scientiam *claram* divinitus infusam, superiorem quidem assensu fidei (quae est obscura), sed visione intuitiva inferiorem. Communis autem sententia cum S. Thoma (1, qu. 95, a. 3; 2. 2, qu. 5, a. 1) affirmat, eo quod fides sit fundamentum omnium virtutum, sine qua impossibile est homini viatori placere Deo (Hebr. 11. 6). Proinde saltem cognovit Adam *ex revelatione divina* Deum ut remuneratorem supernaturalem, necnon juxta Suarez (l. c., c. 18, nn. 5, sqq.), mysteria Trinitatis et Incarnationis. — Docet quoque S. Thomas (l. c.) protoparentes recepisse divinitus *habitus* illarum etiam virtutum (uti poenitentiae ac miserationis), quarum exercitium incompatibile fuisset cum Paradisi felicitate.

139. – Propositio II. Inter dona protoparentibus collata numerari debet immunitas a concupiscentia, seu integritas.

Prob. I. Ex Gen. 2. 25; 3. 7, 10, 11. Protoparentes erubescentiam quam etsi nudi non experti erant ante lapsum, statim post eum patiebantur; atqui sola ratio hujus differentiae potuit esse, quod concupiscentia, quae erubescentiae istius causa erat, antea in ipsis non fuit, postea autem fuit; ergo habuerunt protoparentes ante lapsum donum integritatis. — Hoc argumento utuntur plures Patres, quorum aliqui mox citentur.

140. — II. S. Paulus (Rom. 7. 7, sqq.) concupiscentiam vocat « peccatum »; atqui ita eam non appellasset, si esset consequens naturam humanam prout a Deo fuit creata (cf. Eccles. 7. 30; Rom. 5. 12): sed ita eam appellat quia, ut dicit Concilium Tridentinum (sess. 5, can. 5: Denz. 674) « ex peccato est et ad peccatum inclinat »; ergo ante peccatum concupiscentiâ carebant protoparentes.

141. — III. Nominatim dicit S. Joannes Chrysostomus (in Gen. hom. 15, n. 4), « Erant ambo nudi, et non erubuerunt. Peccato enim et praevaricatione nondum praesente, gloria, quae superne venerat, vestiti erant ». Ita S. Ambrosius (de paradiso, c. 13, n. 63), « Antea quidem nudi erant, sed non sine virtutum integumentis..... Ergo posteaquam spoliatos se illa sinceritate et simplicitate viderunt integrae incorruptaeque naturae, quaerere mundana et manufacta ceperunt, quibus nuda suae mentis operirent ». Praecipue autem S. Augustinus (contra Julian., l. 4, c. 16, n. 82), « Quid est, gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia tegebat? Gratiâ quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratia sensit quod operire debebat ».

142. — **Obs. 1.** Hoc donum integritatis putat Suarez (l. 3, c. 12, nn. 18, sqq.) in primo statu collatum hominibus fuisse partim 1. per *intrinsecos habitus*, qui *a*) multiplices essent pro diversis potentiis et objectis, *b*) supernaturaliter infusi, ac *c*) in actum frequenter deducti; partim vero 2. per *specialem Dei providentiam externam*, qua (cf. ibid., nn. 14, 17) removerentur omnia incitamenta prava, vel saltem negatione concursûs impediretur appetitus ne iis turbaretur, sed ut efficaciter moveretur ad voluntati obtemperandum. — Ipsa tamen *voluntas* Adae, non obstante integritatis dono, perfecta libertate gaudebat, nec gratiâ necessitabatur; ac proinde peccatum illius perfecte deliberatum fuit.

143. — **Obs. 2.** Ex dictis inferunt communiter auctores cum S. Thoma (1. 2, qu. 89, a. 3), contra Scotum, non potuisse Adam « antequam integritatem primi status amitteret peccando mortaliter », committere *peccatum veniale* saltem « ex surreptione » seu ex imperfecta deliberatione. Idque, ut dicit Suarez (l. c., c. 13, n. 16), ad peccatum veniale deliberatum extendunt « fere omnes », ex alia ratione, nempe quod felicitatem et perfectionem divinitus constitutam illius status magis quam quaevis alia causa perturbaret minueretque peccatum veniale deliberatum, quippe quod tristitiam et *satisfactionis necessitatem* induceret, quodque proinde Deus non potuisset ordinate permittere (ib., nn. 24, 26). Cf. Palmieri, p. 659.

144. — **Propositio III. Homo in suo ortu accepit a Deo singularem scientiam** (intellige, rerum *naturalium:* revelatas enim aliquas veritates sciebat per fidem).

Prob. I. Ex Eccli. 17. 5, 6, « Disciplina intellectus replevit illos [protoparentes]..... sensu implevit cor illorum... ». — Qui disciplina intellectus et sensu repleti sunt, quibusque ostensa sunt mala et bona, et magnalia operum Dei, certe singularem habuerunt scientiam; atqui verbis citatis docet Scriptura, Deum primos parentes tali scientia instruxisse; ergo.

145. — **II.** Ex Gen. 2. 20, « Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia ». — Hanc appellationem animalium aptam et convenientem fuisse, constat ex versu praecedenti (« omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus »); atqui appellatio apta omnium animalium citra praeviam eorum experientiam exposcit singularem scientiam, tum quoad modum acquisitionis tum quoad extensionem; ergo. Cf. Hummelauer, in Gen., p. 143.

146. — **III.** Patres insignem Adae scientiam aperte declarant. Ita S. Cyrillus Alex. (in Jo., l. 1, c. 9: M. 73. 127), « Auctor ille nostri generis Adam, non in tempore sicuti nos, sapientiam videtur

esse consecutus, sed a primo statim ortus sui initio perfecta intelligentia praeditus cernitur, dum acceptam divinitus illuminationem illibatam in se ipso conservaret et integram naturae suae retineret dignitatem ». Et S. Augustinus (op. imperf. contra Julian., l. 5, c. 1), « Universis generibus animarum vivarum nomina imposuit [Adam]: quod excellentissimae fuisse indicium sapientiae in saecularibus etiam litteris legimus ».

147. — **IV.** Rationabiliter adscribitur Adae scientia illa quae statui ejus consona fuit quamque exigebat munus et character ejus; atqui 1. status Adae propter immunitatem tum a passionibus per integritatis donum tum a doloribus et timoribus per summam ejus felicitatem (de qua postea) maxime promovebat veritatis contemplationem et perspectionem: et 2. munus ejus, quod ut caput humani generis (non tantum in ordine physico generationis sed etiam in ordine ethico, sociali et theologico) habuit filios instituendi, poscebat insignem et singularem scientiam rerum naturalium; ergo. Cf. S. Thomas, 1, qu. 94, a. 3.

148. — **Obs.** Gradum et extensionem scientiae hujus naturalis (per accidens Adamo infusae) quod attinet: 1. Talis saltem fuit, ut, si permansisset status innocentiae, potuisset Adam alios instruere et gubernare, ut notat S. Thomas (loc. cit.) ac proinde rejicienda est sententia rationalistarum et aliorum dicentium primum hominem conditum fuisse in statu rudi et imperfecto, ad instar infantium. Ex Suarez et aliis post S. Thomam, habuit Adam scientiam omnium rerum naturalium quas *a*) homines ope sensuum scire possunt et quae *b*) ad vitae paradisiacae usum necessariae erant, non vero alias (v. g. problemata mathematica et mechanica, morborum remedia, microbia, etc.: cf. Pesch, nn. 211, 212). Ex communi sententia, intellectus Adae ab omni *errore* exemptus fuit vel ob ingenii et scientiae perfectionem, vel etiam per externam Dei providentiam. — Quoad *Adae posteros*, « dicendum est (ait S. Thomas 1, qu. 101, a. 1), quod pueri in statu innocentiae non nascerentur perfecti in scientia, sed eam in processu temporis absque difficultate acquisivissent inveniendo vel addiscendo ». — *Primam linguam*, quam philologi negant fuisse hebraeam, censet Pesch (nn. 215, 216) ab Adamo natura duce productam fuisse, et non a Deo revelatam: cf. Hummelauer, in Genes., p. 303.

149. — **Propositio IV. Gaudebant protoparentes immortalitatis corporis dono, quo praediti nunquam mortui fuissent, si in accepta justitia perseverassent.** — De fide praesertim contra Pelagianos ex Concilio Milevitano II (seu Carthaginensi) can. 1

(Denz. 65), et contra Semipelagianos ex Concilio Arausicano II, can. 2 (Denz. 145) : necnon ex Concilio Tridentino, sess. 5, can. 1, « Si quis non confitetur, primum hominem Adam... incurrisse..... per offensam praevaricationis..... iram et indignationem Dei, *atque ideo mortem*, quam antea illi comminatus fuerat Deus..... anathema sit » (Denz. 670).

Prob. I. Ex Gen. 2. 17, « In quocumque die comederis ex eo, morte morieris ». — Si Adam non habuisset in prima sua conditione immortalitatis donum, non potuisset Deus veraciter mortem illi comminari in praevaricationis poenam ; atqui comminatus est Deus mortem in praevaricationis poenam ; ergo. — Vix opus est notare, contra aliquorum Pelagianorum cavillationes, divinam hanc comminationem non posse intelligi : 1. de morte spirituali animae : comminationi enim respondet sententia illa post peccatum Adae pronuntiata (3. 19), « pulvis es et in pulverem reverteris », quae certe de corpore agit ; neque 2. de morte corporis acceleranda : etenim *a*) de ipsa morte simpliciter et absolute loquitur Deus, *b*) S. Paulus (Rom. 5. 12) dicit aperte mortem per peccatum Adae in mundum intrasse, *c*) ipsorum saltem protoparentum mors non est accelerata.

150. — **II.** Ex Sap. 2. 23, 24, « Deus creavit hominem inexterminabilem [graece, « ad immortalitatem »]..... invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum » ; atqui nisi auctus fuerat Adam immortalitatis dono, inexterminabilis creatus non fuisset, nec per invidiam et seductionem diaboli mors in mundum intrasset ; ergo.

151. — **III.** Ex 1 Cor. 15. 21, « Quoniam quidem per hominem [Adam] mors, et per hominem [Christum] resurrectio mortuorum ». — Ex contexta oratione, quae de resurrectione mortuorum agit, mors quae hic dicitur esse propter Adamum est (praecipue saltem) *mors corporis ;* atqui mortalitas corporis non potuisset in Adae peccatum refundi, nisi humana natura, in ipso ut morali capite, immortalitate donata fuisset ; ergo. — Similiter Rom. 8. 10 (« Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem ») peccatum originale dicitur causa mortis corporis ; quod certe non esset, nisi Adam immortalitatem habuisset primitus. — Pariter dicit idem Apostolus Rom. 5. 12, per unum hominem peccatum in mundum intrasse et per peccatum mortem : ergo sine peccato mors non fuisset.

152. — **IV.** Ex Patribus haec loca citasse sufficiet. S. Joannes Chrysostomus (in Gen. hom. 17, n. 9), « Licet multos annos vixerint [protoparentes], attamen a quo tempore audierunt : Terra es, et in terram abibis, et sententiam acceperunt mortis, mortales fuerunt : et ex illo tempore fuerunt perinde ac si quis illos dicat mortuos fuis-

se ». S. Ambrosius (de bono mort., c. 4, n. 15), « Si recolamus quod Deus mortem non fecerit, sed postquam homo lapsus in flagitium est praevaricationis et fraudis, sententia eum comprehenderit, ut in terram suam terra remearet, inveniemus mortem finem esse peccati ». Dicit S. Augustinus (de civ. Dei, l. 13, c. 15), « Constat inter Christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturae, qua nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati ».

153. — **Dices.** Corruptioni et morti obnoxius erat qui, ut viveret, debebat edere de fructibus terrae ac praecipue de ligno vitae; atqui ex Scriptura talis fuit Adam; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Habebat ille intrinsecam capacitatem moriendi, seu potuit mori et corrumpi sensu diviso, *conc.;* mori debuit in sensu composito status innocentiae, *nego.* — Quod ut explicetur sit

154. — **Scholion 1. de modo et causa immortalitatis Adae.** — I. Ex vulgata distinctione S. Augustini (de Gen. ad litt., l. 6, c. 25) aliud est « *non posse mori* », aliud « *posse* non mori ». Prius competit puris spiritibus per naturam, corporibusque gloriosis Beatorum per formam aut dispositionem praeternaturalem inhaerentem (cf. S. Thomas, 1. qu. 97, a. 1): alterum tantum tribuit catholica fides Adae. Homo enim utpote compositus ex anima et corpore corruptibili, secundum naturalem conditionem et secluso divino beneficio est mortalis, et ideo prop. 17 synodi Pistoriensis quae negavit mortem esse « naturalem conditionem hominis », declarata est a Pio VI (« Auctorem Fidei ») « captiosa, temeraria, Apostolo [Paulo] injuriosa, alias damnata » (Denz. 1380). Proinde Adam, ut dicit S. Augustinus (l. c.) « mortalis erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio conditoris ».

155. — II. Ut explicetur aliquatenus hujus immortalitatis causa, distinguendum est (cum Suarez, l. 3, c. 14, n. 9) inter mortem violentam et naturalem. — 1. Ad mortem *violentam* (per ignem, aquam, ensem, etc.) evitandam, non recurrit communis sententia ad intrinsecam aliquam qualitatem corpori aut animae Adam inhaerentem (n. 12): cum plane sufficerent ipsa naturalis ratio et prudentia Adae ac Dei providentia externa (ut docet S. Thomas, l. c., a. 2, ad 4).

2. Mors autem *naturalis* ex duplici causa obvenire potest, vel *a*) ex defectu nutritionis, vel *b*) ex diminutione continua virium et mala dispositione (morbis etc.) corporis. *a*) Priori defectui subventum esset (ait Suarez, l. c., n. 23) « per fructus lignorum com-

munium Paradisi », quibus vescendo opportuno et debito tempore, juxta divinum praeceptum, homo famem aut sitim nunquam pateretur. *b*) Alteri defectui subventum esset tum per perfectam corporis dispositionem humorumque attemperationem, per absentiam laboris nimii aut vexationis, per salubritatem loci etc., tum praecipue per lignum vitae, cujus usus (frequens : c. 15, nn. 5, sqq.) corporis dispositionem post longum tempus ad optimum iterum statum et juventutis florem reduceret (c. 4, nn. 24, 25). Lignum autem vitae, juxta aliquos nec cognovit Adam de facto, multo minus de ipsius fructu comedit (cf. Hummelauer, p. 172). — Hujus praerogativae causas sic explicat S. Bonaventura (breviloq., l. 2, c. 10), « Incorruptio igitur et immortalitas corporis Adae principaliter veniebant ab anima sicut a continente et influente ; a corporis bona et aequali complexione sicut a disponente et suscipiente ; e ligno autem vitae sicut a vegetante et adminiculante ; a regimine vero divinae providentiae sicut interius conservante et exterius protegente ».

Peracto autem successive probationis cujusque tempore (quod fortasse centum annos non excederet : Suarez, op. cit., l. 5, c. 12, n. 8) singuli homines in statu innocentiae permanentes immediate transferendi essent ad beatitudinem coelestem (n. 13) : qui vero in fine cursûs reatu culpae mortalis aut poenae temporalis tenerentur, fortasse mortem non evaderent, et in infernum vel purgatorium detrudendi essent (n. 14).

156. — Scholion 2. de felicitate status innocentiae. — Docent Patres primos parentes dotatos fuisse singulari felicitate et impassibilitate, qua ab aerumnis et doloribus omnibus immunes fuerunt. Ita v. g. Greg. Nyss. (de beatitud., orat. 3), « Hujus boni quod superat omnem vim comprehendendi, nos homines olim participes eramus..... Quae nunc de illo per conjecturas speculamur et imaginamur, haec omnia circa hominem quoque erant, incorruptibilitas simul et beatitudo, propria et a nullius alterius arbitrio dominiove pendens potestas, vita nullis negotiis implicata, nullis molestiis, nulli aegritudini obnoxia ». Saepissime vero S. Augustinus, ex quo (Enrichid., c. 25) Deus hominem « in Paradisi felicitate, tanquam in umbra vitae, unde, justitia custodita, in meliora conscenderet, collocavit ». Quam felicitatem describit (de civ. Dei, l. 14, c. 26), « Vivebat itaque homo in Paradiso, sicut volebat..... Vivebat fruens Deo, ex quo erat bonus ; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate : cibus aderat, ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitae, ne illum senecta dissolveret..... Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas.....

Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum ».

Haec vero felicitas, quam testatur omnium gentium traditio vetustisisma de « saeculo aureo », colligitur ex propositionibus praecedentibus. « Ex his enim liquet (ait Hurter, n. 376), protoparentes bene se habuisse relate *ad Deum* ob gratiam sanctificantem familiaremque cum ipso conversationem : relate *ad se ipsos* ob integritatis donum ; in ordine *ad verum* propter insignis scientiae lumen ; relate *ad vitae continuationem* propter immunitatem a necessitate moriendi ; ratione *loci* et commodorum vitae, quia erant in paradiso voluptatis [seu *Eden :* cujus situs hodie determinari nequit], immunes ab omnibus aerumnis, doloribus, laboribus, cum haec sint peccati fructus. Nihil ergo eorum deerat, quae ad singularem quamdam felicitatem pertinent. Quare penes christianos semper viguit fides de feliciore quondam conditione protoparentum..... ; imo apud gentes plerasque hujus traditionis reperiuntur vestigia, cum auream quamdam aetatem praecessisse nostram plus minus persuasum habeant ».

CAPUT TERTIUM

Utrum Protoparentum Status Naturalis fuerit

157. — **Praenotanda.** — I. Lutherus docuit protoparentum sanctitatem, integritatem, scientiam, immortalitatem, felicitatem ita naturales et *essentiales* fuisse, ut ex earum amissione et liberi arbitrii privatione (quam etiam de homine lapso asseruit Lutherus) humana natura *intrinsece corrupta* sit, adeoque homines nunc sine justitia originali nascentes aliquo *naturali bono* careant, haud aliter quam pecus quae caeca aut clauda nasceretur.

Ita fere et Baius, Jansenius, Quesnellus, qui tamen ista dona non dicunt essentialia fuisse, sed tantum *ex aliqua exigentia debita*, ut scilicet homo innocens finem suum proprium attingere potuisset ; ac per ipsos, non potuit Deus creaturam rationalem citra dona ista et citra destinationem ad visionem beatificam, aut ex alia parte cum subjectione ad hujus vitae miserias (ignorantiam, mortem, etc., quas *poenales* tantum censent), condere. Ex horum ergo sententia, protoparentum felix status fuit *naturalis*.

158. — II. In catholica autem doctrina sanctitas, immortalitas etc. fuerunt dona supernaturalia aut praeternaturalia. Nominatim docet Pius VI (« Auctorem Fidei ») contra synodum Pistoriensem (n. 16 : Denz. 1379), protoparentum statum nullatenus sequelam

fuisse creationis, aut debitum ex naturali exigentia et conditione humana, sed *gratuitum Dei beneficium*, ita ut a Deo, salvis ejus sapientia, misericordia, justitia, etc., homo primitus creari potuisset qualis nunc nascitur, solo peccato excepto, idest citra gratiam sanctificantem, et obnoxius concupiscentiae, ignorantiae, morti, miseriae, etc. Haec quidem doctrina nondum solemni ecclesiae judicio *ut dogma fidei* definita est, sed ex errorum contrariorum repetita damnatione (v. g. in Baii propositionibus 9, 21, 23, 24, 78, 79, et Quesnelli 35 : Denz. 889, sqq. ; 1250) *fidei proxima* dici potest, et de ipsa paratus erat canon in schemate Concilii Vaticani.

159. — Propositio. Status justitiae seu gratiae sanctificantis et felicitatis, in quo primi parentes constituti a Deo sunt, non erat eis debitus.

Prob. I. Ex modo loquendi Patrum, qui saepe considerant bona ab homine in ortu suo accepta, tanquam vestem qua natura a Deo ornata fuit et sine qua esse potuit, proinde tanquam aliquid naturae superadditum et indebitum. — Ita, praeter testimonia jam allata (supra, n. 141), S. Ambrosius (in Luc. 10 : l. 7, n. 73), « Cave ergo ne ante nuderis, sicut Adam ante nudatus est, mandati coelestis custodia destitutus, et exutus fidei vestimento, et sic lethale vulnus accepit ». S. Joannes Chrys. (hom. 16 in Gen., n. 5), « Nudati propter peccatum supernae gratiae amictu, sensibilis suae nuditatis sensum acceperunt ». S. Bernardus (serm. 1. de Annunt., n. 6), « Videre mihi videor quatuor virtutibus [veritatis, justitiae, pacis, misericordiae] his amictum primum hominem ab ipso suo creationis exordio, et, ut propheta meminit, vestimento salutis indutum ». Alia apud Palmieri, th. 55.

160. — II. Adamus peccando illius statûs dona amisit ; atqui peccando nihil amisit naturale ; ergo haec dona et hic status non erant illi naturalia.

Minor semper pro certo principio habita est. Etenim 1. Ex principio « manente natura, manere naturalia » probabant Patres contra monothelitas, Christum eo ipso habere humanam voluntatem, quod humanam assumpserit naturam. — 2. Hoc illustrari potest exemplo angelorum lapsorum, qui per peccatum, ut dicit S. Thomas (1, qu. 95, a. 1), dona naturalia (intelligentiae, etc.) non amiserunt. — 3. Hoc suadet analogia : si enim per culpam peccati mortalis personalis non amittuntur nunc dona naturalia, a fortiori propter peccatum originale (quod pro Adae posteris, ratione voluntarii, censetur a S. Thoma et pluribus aliis minus aliis peccatis nedum lethalibus sed et venialibus), dici nequit universum genus humanum privatum bonis naturalibus.

161. — **III.** Si status ille debitus homini esset, debitus foret vel ex parte hominis vel ex parte Dei; atqui neque ex parte hominis, neque ex parte Dei debitus dici potest; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Non quidem *ex parte hominis* cujus natura non exigit, nisi ut sit animal rationale, et bene aptatum ad sui ordinis bonum, cujusmodi profecto non est *a*) *gratia sanctificans*: alioquin non esset gratia, ut ratiocinatur Apostolus (Rom. 4); sed neque *b*) *immunitatem a concupiscentia* per se humana natura exigit; illius enim est ferri in bonum sensibile per sensum et appetitum, ac in bonum spirituale et intelligibile per intelligentiam et voluntatem, ex quorum contrariis propensionibus naturaliter conflictus oritur ac ingens recte agendi difficultas; neque demum *c*) humanae naturae debentur *immortalitas et immunitas a doloribus* ac poenis, cum proprium sit naturae sensibilis, ac contrariis elementis seu principiis concretae, dolores, corruptionem, totalem denique solutionem pati.

2. Non debitus est status ille *ex parte Dei*, qui, cum in donorum suorum distributione liberrimus sit, nulla adigitur necessitate, ut hunc potius quam illum perfectionis gradum creaturis suis largiatur. — Argumentum sumit Hurter (nn. 378, 379) ex praestantia donorum status innocentiae, praesertim vero gratiae sanctificantis, qua acquirunt creaturae *adoptionem filiorum Dei*, Dei haereditatem, imo qua creaturae juxta modum loquendi Patrum *deificantur*.

Solvuntur Objectiones

162. — Obj. 1. Non potuit Deus creare hominem sine ordinatione ad finem suum ultimum; atqui ordinatio ad finem suum ultimum supponit in homine gratiam et dona; ergo status justitiae fuit naturalis.

Resp. *Dist. Maj.* Non potuit Deus creare hominem sine ordinatione ad finem suum naturalem, nempe ad beatitudinem naturalem ex cognitione Dei abstractiva, *conc.;* sine ordinatione ad finem supernaturalem, nempe ad visionem Dei intuitivam, *nego.*

Contradist. Min. Ordinatio ad finem supernaturalem supponit gratiam et dona, *conc.;* ad finem naturalem, *nego*, vel *subd.:* supponit auxilia etiam interna, quae sint naturalia et naturae debita, *conc.;* supernaturalia, *nego.* Cf. Franzelin «de habitud. Fidei ad Rat.», pp. 624, 625.

Inst. Homo appetit visionem Dei intuitivam et beatificam; atqui non potuit Deus creare hominem sine ordinatione ad id quod appetit; ergo status justitiae fuit naturalis.

Resp. *Dist. Maj.* Homo appetit visionem beatificam, in praesenti ordine et appetitu elicito, *conc.;* appetitu innato, *nego. Contradist. Min.* — Appetitus scilicet *innatus* est proclivitas seu propensio naturae in bonum aliquod proprium etiam sine reflexione seu cognitione intellectuali : qua ratione homo sitiens appetit potum. Appetitus vero *elicitus* est tendentia in bonum *ex cognitione illius*, cujusmodi v. g. est appetitus videndi causam ex cognitione et admiratione effectûs. Porro in praesenti ordine homo appetit appetitu elicito visionem Dei beatificam et media ad illam, quia hic finis illi proponitur attingendus in revelatione divina ; in statu autem purae naturae, etiamsi aliquid cognosceret aut suspicaret de tali beatitudine (quod plures negant), agnosceret eam ut sibi *inaccessibilem*, et proinde non posset eam appetere nisi appetitu inefficaci et inordinato : sicut si quis appeteret v. g. ad stellam aliquam pertingere. Cf. Mazzella, nn. 875, sqq.

163. — Obj. 2. Si status integritatis non est naturalis potuit Deus creare hominem cum concupiscentia ; atqui concupiscentia 1. est poena, et 2. inclinat ad peccatum ; ergo non potuit Deus creare hominem cum ea : seu, status integritatis est naturalis.

Resp. *Dist. Min. Ad 1.* Concupiscentia est poena in praesenti ordine, comparate scilicet ad statum justitiae originalis, *conc.;* fuisset poena in statu purae naturae, *nego:* non esset enim (ut dicit S. Augustinus, de lib. arbitr., c. 20, n. 56), « supplicium peccäti, sed proficiendi admonitio, et perfectionis exordium ».

Ad 2. Concupiscentia inclinat ad peccatum per accidens, ita tamen ut vinci possit, *conc.;* inclinat ad malum exclusive vel insuperabiliter, *nego.* — Concupiscentia ergo quatenus est potentia tendendi in bonum, praesertim sensibile, est bona in se : quod autem tendat aliquando in bonum sensibile illicitum, est per accidens, et *malum quidem physicum* seu defectus naturae humanae sicut et mortalitas et peccabilitas ; est etiam in praesenti ordine *malum poenae;* non est autem *malum culpae* nisi ex consensu voluntatis. In statu autem naturae purae plura forsan fuissent auxilia naturalia tum interna tum externa ad concupiscentiam regendam et peccatum vitandum. Cf. Mazzella, n. 729, sqq.

164. — Corollarium de statu naturae purae. — Ex propositione directe sequitur, *possibilem esse statum purae naturae*, qui scilicet careret donis supernaturalibus et praeternaturalibus. Quidam autem theologi (Norisius etc. ex schola Augustiniana ; Serry, Contenson etc. ex familia Dominicana), dum admittunt possibilem esse statum illum potestate Dei *absoluta* (qua scilicet, ut ipsi intelligunt, Deus « operatur ex solis legibus *justitiae* ») negant autem

possibilem esse potentia *ordinata* (qua nempe Deus « operatur non solum sapientiae sed et *bonitatis, decentiae ac congruentiae* legibus »). Futilem autem esse hanc distinctionem in praesenti materia, eo ipso liquet, quod si status naturae purae vel *uni* ex divinis attributis (v. g. bonitati aut misericordiae) repugnaret, jam nec esset *absolute* possibilis. Cf. Schiffini, de Gratia, pp. 81, sqq.

QUAESTIO TERTIA

DE HOMINIS LAPSU

165. — Catholica doctrina, quam declarat Concilium Tridentinum sess. 5 (Denz. 670, 671), cann. 1, 2, docet: 1. Adam ipsum in paradiso mandatum Dei transgrediendo amisisse dona gratuita, et secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; 2. hoc peccatum non Adae soli sed et omni generi humano nocuisse; cui transfudit tum corporis mortem tum peccatum. — Agendum est primo de lapsu seu peccato personali protoparentum, deinde de peccato originali ejusque natura, modo transfusionis, etc.

CAPUT PRIMUM

De Peccato Personali Protoparentum

166. — Breviter hic resolvendae sunt sequentes quaestiones: 1. an revera peccaverint primi parentes; 2. cujusmodi fuerit peccatum; 3. quaenam ejus causa; 4. cujus gravitatis fuerit; 5. quinam ejus effectus; 6. an poenitentiam egerint protoparentes.

I. Peccati factum quod attinet: Primis parentibus verum impositum fuisse *praeceptum*, constat 1. ex usu vocis « praecepit », Gen. 2. 16, 17; 3. 3, quae obvio et naturali sensu accipienda est; 2. ex comminatione poenae, scilicet mortis, quae verum mandatum, non merum consilium supponit. — Eos vero *formaliter transgressos* esse praeceptum, fructum vetitum comedendo, sequitur ex eorum scientia et libertate: et ostenditur a posteriori in inflictione poenae (Gen. 3. 16-19). — Hoc totum confirmari traditione omnium populorum, exponit Perrone, n. 380.

167. — **II. Quoad peccati qualitatem:** Ex S. Thoma (1. 2, qu. 82, a. 2 ad 1), « In peccato primi parentis..... fuerunt plures deformitates, scilicet superbiae, inobedientiae, gulae et alia hujusmodi ». Praecipuum autem, ut dicit idem (2. 2, qu. 163, a. 1), fuit *peccatum superbiae* (cf. Eccli. 10. 14, 15; Tob. 4. 14), a quo cau-

sata est inobedientia, gula, etc. Adae. « Ipsi primi homines per serpentem decepti et dejecti non fuissent, nisi plus quam acceperant habere, et plus quam facti fuerant esse voluissent », ait S. Augustinus (enarr. in Ps. 118, serm. 11, n. 6).

168. — **III. Peccati protoparentum causam** quod spectat: 1. Causam *intrinsecam* peccati *superbiae* non fuisse ignorantiam aut fragilitatem, sed liberam voluntatem, sequitur ex primitivae integritatis dono: posthac autem, per superbiam dono isto (ipsis parentibus, nondum autem posteritati) amisso, ad *inobedientiae peccatum* et fructûs vetiti esum per concupiscentiam allecti sunt, ut significat Scriptura (Gen. 3. 6), « Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile ». Nullatenus enim, ut advertit S. Augustinus (de Genesi ad litt., l. 11, c. 30, n. 39), « his [serpentis] verbis crederet mulier, a bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propriae potestatis, et quaedam de se superba praesumptio ». Cf. S. Thomas, 2. 2, qu. 163, a. 1, ad 2. — Causam autem *extrinsecam*, seu potius occasionem peccati, fuisse diabolum, utendo tanquam instrumento serpenti (et probabilius quidem naturali et vivente), declarant Scripturae et Patres. Hinc Apoc. 12. 9, dicitur « draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem ».

169. — **IV. Peccatum hoc gravissimum** omnium fuisse secundum quid (absolute enim gravissimum esset odium Dei), constat 1. extrinsece: *a*) ex Eccli. 10. 14, 15, ubi dicitur « apostasia a Deo », « initium omnis peccati », *b*) ex poenis gravissimis propter ipsum inflictis; 2. intrinsece vero, ut ostendit Bellarminus (de Amiss. Grat., l. 3, c. 10, ex S. Augustino l. 14, de civ. Dei), *a*) ex facilitate non peccandi, quae major fuit in Adam, quam in aliis hominibus unquam: *b*) ex ingratitudine primi hominis, qui summa felicitate in paradiso fruebatur Dei beneficio: *c*) ex laesione generis humani, nullum enim fuit unquam peccatum, quod pluribus noceret, quam peccatum Adae.

170. — **De hujus peccati effectibus** habetur definitio Concilii Tridentini (sess. 5, can. 1: Denz. 670), « Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum cor-

pus et animam in deterius commutatum fuisse, a. s. » Effectus hos quoad corpus et animam late expendit Bellarminus (op. cit. l. 6, cc. 8, sqq.).

1. Dona *supernaturalia et praeternaturalia* amissa fuisse, fatentur Catholici omnes : ac proinde effectus peccati certe fuerunt, quoad *corpus* aerumnae, labores, dolores, mors, et quoad *animam* amissio gratiae sanctificantis, ignorantia in intellectu, infirmitas et debilitas in voluntate (cf. Eccli. 40. 1-10) : et hoc sensu dicunt aliquando Patres et Concilia, *libertatem* periisse per peccatum, non quidem libertatem indifferentiae quae consistit in potentia agendi vel non agendi positis omnibus ad agendum requisitis, sed, ut explicat S. Augustinus (contra duas epist. Pelag. l. 1, c. 2), illam « quae in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam ».

2. Hominem non fuisse per peccatum *essentialiter corruptum in naturalibus*, tenendum est contra Lutherum, etc. : aliter enim nec homo nunc esset. — Eum autem *etiam in naturalibus fuisse in deterius* mutatum, infirmatum, *vulneratum*, admittendum est : sed dissentiunt theologi in explicatione. — Videlicet, sepositâ consideratione obstaculorum *extrinsecorum* ex diaboli impugnatione et pravis hominum exemplis quae virtutis exercitium in praesenti humani generis statu difficile reddunt, *a*) dicunt aliqui auctores praedictam vulnerationem non ex intrinseca aliqua corruptione naturae ipsius oriri, sed tantum *ex amissione donorum gratuitorum*, quae harmoniam et concordiam inter naturae humanae vires et facultates superiores et inferiores servaverant (ita, post S. Thomam, Bellarminus, Suarez et theologi communius) ; *b*) alii (praecipue ex Thomistis et Augustinianis) censent *naturales hominis vires in se ipsis imminutas et laesas* fuisse, ac naturam humanam in se deteriorem effectam esse. Aliis verbis, juxta priorem sententiam homo est in deterius mutatus comparate tantum ad statum innocentiae : in alia vero sententia comparate etiam ad statum naturae purae.

171. — **VI. Protoparentes poenitentiam egisse** et veniam accepisse communiter docent Patres contra Tatianum : ita v. g. SS. Irenaeus, Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Magn. (apud Knoll, n. 218) : et ecclesia ipsa in vigilia Nativitatis Domini Adam et Evam inter sanctos nominat : hocque demum fundamentum videtur habere in Sap. 10. 1, 2, ubi dicitur secundum lectionem communiorem quam sequitur Vulgata, Sapientia divina eduxisse primum hominem, patrem orbis terrarum, *a delicto suo;* etsi alii legant, *de limo terrae.*

CAPUT SECUNDUM

De Existentia Peccati Originalis

172. — **Praenotanda.** — I. Concilium Tridentinum, ut jam dictum est, docet Adamum per peccatum non sibi tantum sed et omni generi humano nocuisse et in ipsum transfudisse peccatum. Hoc autem peccatum, eo quod a primo parente derivatur et in nobis inest ab origine, *originale* dicitur. De ejus natura postea seorsum inquiretur, sed interea antequam probetur ejus existentia, cum Mazzella (n. 919), describi potest aut definiri (definitione *nominis*) ut « peccatum illud, quod a peccato primi parentis in omnes, qui per carnalem generationem ab eo ortum ducunt, derivatur, nisi de speciali privilegio constat ».

173. — II. Praeter illos qui cum Manichaeis et Gnosticis originem mali a principio malo repetebant, aut, cum Praeexistentianis, a peccatis actualibus ab anima commissis in statu praevio, quique proinde peccatum originale in sensu Catholico negabant indirecte : directe ejus existentiam post Theodorum Mopsuestenum praecipue inficiati sunt Pelagiani.

Pelagius scilicet, aut potius ejus discipulus Coelestius, quamvis in synodo Palaestina demum confessus sit, quod antea plane negaverat, peccatum Adae aliquo modo posteris nocuisse, id subdole intellexit de nocumento allato non *per propagationem* aut generationem, sed *per imitationem* eo scilicet quod posteri malum Adae exemplum imitentur : ideoque in hac sententia 1. singuli homines in eodem nunc statu et perfectione nascuntur in qua fuit ipse Adam ante peccatum, nec 2. baptizantur infantes in remissionem peccatorum sed tantum ut fiant haeredes regni coelorum, quod distinguebant Pelagiani a *vita aeterna*. Pelagii discipulus Julianus Eclanensis admisit *mortem corporis* infligi propter Adami peccatum secundum Apostoli verba, Rom. 5. 12, « per peccatum mors » : quae verba ipse Pelagius intelligebat tantum de morte spirituali seu de peccato actuali ipsius Adae. In eodem errore sequentibus saeculis fuerunt Albigenses, Abaelardus, Sociniani, Arminiani, Quakeri, protestantes liberales, ac hodie nominatim in Anglia « novae theologiae » sectatores.

174. — III. Pelagianorum errores damnarunt (an. 412, et deinceps) synodi africanae (videlicet Carthaginenses plures, et Milevitana), quarum acta confirmarunt Romani Pontifices S. Innocentius I (n. 417, in epistola quae occasio fuit dicti celeberrimi

S. Augustini [serm. 132, n. 10], « Inde [a Sede Apostolica] rescripta venerunt : causa finita est »), et anno insequenti S. Zosimus in epistola quae vocatur « Tractoria » (Denz. 64, sqq.). Doctrinam catholicam iteravit Concilium Tridentinum (tota sess. quinta) iisdem fere verbis quae adhibuerant Concilia vetera Milevitanum II, Arausicanum II. Praecipua vero capita a Tridentino (l. c., can. 2 : Denz. 671) de peccati originalis existentia statuta, haec sunt : 1. Adae praevaricationem non sibi soli sed toti ejus propagini nocuisse ; 2. Adam in omne genus humanum non tantum mortem et poenas corporis ; sed 3. peccatum, animae mortem, transfudisse. — Doctrinam hanc ad ipsa fidei fundamenta pertinere, saepe docent Patres, praesertim S. Augustinus, qui dicit v. g., (serm. 30, c. 4, n. 5), « Hoc est christianae fidei fundamentum. *Unus* et *unus* : unus homo, per quem *ruina*, alius homo, per quem *structura* ».

175. — Propositio. Datur peccatum originale : hoc est, verum ac proprie dictum peccatum, quod secluso speciali privilegio, in omnes Adae posteros propagatione transfunditur.

(1) —Argumenta ex Scriptura sacra. — I. Ex « loco classico » Rom. 5. 12, sqq. : « Per unum hominem peccatum (ἡ ἁμαρτία) in hunc mundum intravit, et per peccatum (διὰ τῆς ἁμαρτίας) mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. (13) Usque ad legem enim peccatum (ἁμαρτία : sine articulo) erat in mundo ; peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset. (14) Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri. (15) Sed non sicut delictum, ita et donum ; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit », etc. — **Prob.** Apostolus in hoc capite docet 1. omnes omnino homines constitutos esse peccatores, idque 2. vero et proprie dicto peccato, atque 3. per omnium protoparentem Adam ; atqui tale est peccatum originale ; ergo admittendum est peccatum originale.

Prob. Maj. per partes. — 1. « *Omnes* omnino homines constituti sunt *peccatores* ». *a*) Ex vers. 12, « in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt » : In hoc versiculo utrum phrasis « in quo » (graece ἐφ᾽ ᾧ) sumatur sensu relativo (i. e. « in Adamo »), an quod magis placet grammaticis, sensu causali (i. e. « propter quod, eo quod, quia ») — ii omnes *peccatores* constituti sunt, qui *mortales* sunt ; atqui omnes omnino homines sunt mortales : nam etiam in illos qui (ut ait Apostolus vers. 14) « non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae », idest pec-

cato personali, « mors regnavit »; ergo ex Apostolo omnes omnino homines peccatores constituti sunt ideoque mortui sunt.

b) Ex vers. 18, « Igitur sicut per unius delictum *in omnes homines* in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae ». His vobis docet Apostolus, unum lapsum (παράπτωμα) seu « delictum » (scilicet Adami) fuisse omnibus in condemnationem (graece κατάκριμα: « damnatorium judicium »); atqui justo judicio non damnantur nisi peccatores; ergo omnes homines sunt peccatores constituti (cf. Beelen in loc.).

2. « Omnes constituti sunt peccatores *vere* et proprie dicto *peccato* ». Ex vers. 19, « Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi »: Hic et alibi (cf. praeter versus 15, sqq. hujus capitis, 1 Cor. 15. 45, sqq.), Apostolus, comparatione instituta inter Adam et Christum, affirmat homines peccatores *constitui* per Adamum, sicut justi constituuntur per Christum; atqui per Christum homines vere et proprie justi efficiuntur; ergo vere et proprie per Adam efficiuntur homines peccatores. — Et hoc exigere verbum graecum κατεστάθησαν notat Beelen. « Καθιστάναι est *constituere, facere aliquem aliquid,* et passive *fieri aliquid*, idque non externa nescio qua *imputatione* aut *denominatione* sed vera *acquisitione* atque *possessione* ».

3. « Omnes peccatores constituti sunt *per unum Adam* ». Hoc posset *indirecte* ex praecedentibus demonstrari: etenim peccatum *illud* (ἡ ἁμαρτία) quod omnes omnino afficit homines etiam eos qui *actûs humani incapaces* sint, ortum habeat necesse est a communi omnium stirpe et origine. Sed et diserte hoc asserit Apostolus: etsi enim in vers. 12 (« in quo omnes peccaverunt »), phrasis « in quo » non intelligatur sensu relativo de Adamo — dicitur tamen *a*) in eodem versu *per unum hominem* (scilicet per Adam) intrasse in mundum illud peccatum (ἡ ἁμαρτία) quod in omnibus inventum est (etenim « omnes peccaverunt »); praeterea *b*) docet Apostolus (vv. 15, sqq.), lapsum et inobedientiam Adae ita esse hominibus peccati causam, sicut est Christus justificationis causa: *solus* autem Christus est justificationis causa meritoria de condigno; ergo per unum Adam omnes constituti sunt peccatores.

176. — **II.** Ex Job, 14. 1, sqq. (juxta LXX et Italam), « Nemo mundus a sorde: ne infans quidem, cujus est unius diei vita super terram ». — Datur sordis quaedam et immunditia universalis cuilibet homini ab origine inhaerens; atqui immunditia illa est spiritualis, seu est peccatum; ergo datur peccatum originale. — Ex eodem loco (juxta Vulgatae versionem): Loquitur Job de immunditia,

a qua Deus solus mundare potest (« Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? »); haec autem ea est, quae afficit animam, a sorde enim corporis et homines mundare possunt; ergo. — Hunc textum de peccato originali interpretatur S. Ambrosius (de interpell. Job. l. 1, c. 7, n. 22), « Cum mundus a peccato quivis esse non possit, ut ab ipsis incunabulis prius obrepat infantiae culpa, quam sit ullus sensus erroris ». Ita et Origenes (in Levit., hom. 8, n. 3 : M. 12. 495), « Ipse qui nascitur, sive virilis, sive feminei sexûs sit, pronuntiat de eo Scriptura quia : Non sit mundus a sorde etiamsi unius diei sit vita ejus ».

177. — **III.** Ex Ps. 50. 7, « Ecce enim in iniquitatibus [hebraice « iniquitate »] conceptus sum, et in peccatis [hebr. « peccato »] concepit me mater mea ». — Asserit David hominem concipi in peccato; sed illud aliud non est aut esse potest, nisi peccatum originale; ergo datur peccatum originale.

Prob. Min. Illud peccatum *proprium* fuit ipsi David, uti constat ex eo quod per totum psalmum misericordiam et veniam *sibi* implorat; atqui peccatum personale seu actuale non habuit in conceptione; ergo fuit peccatum originale. — De peccato originali hunc versum intelligit Origenes (in Levit., l. c.), « Quod si placet audire quid etiam alii sancti de ista nativitate senserint, audi David dicentem : In iniquitatibus, inquit, conceptus sum, et in peccatis peperit me mater mea; ostendens quod quaecumque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur ». Ita et S. Hilarius (tract. in Ps. 118, litt. 22, n. 6), « Vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerit : Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Scit sub peccati origine et sub peccati lege se esse natum ». Ac S. Ambrosius (de poenit., l. 1, c. 3, n. 13), « Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David : Ecce enim in iniquitatibus..... ». Ita postea S. Gregorius M. (Moral., l. 4, c. 3).

178. — **Obs.** Palmieri, in fine thes. 67, agens de textibus Ps. 50. 7, Job. 14, putat eos ostendere quidem humanam naturam vitiatam esse saltem per concupiscentiam, et ideo Patres merito eos contra Pelagianos adhibuisse ad convincendum Adae lapsum posteris aliquo modo nocuisse : textus vero non videntur Palmieri satis efficaciter probare reatum culpae et *peccatum proprie dictum* hominibus nascentibus inesse.

179. — **(2) Argumentum ex traditione.** — Omnium consensu Patres et scriptores ecclesiastici S. Augustino posteriores existentiam peccati originalis docuerunt. — Patres vero praecedentes tum

Graecos tum Latinos adducit S. Augustinus contra Pelagianos, v. g. SS. Irenaeum, Ambrosium, Joannem Chrysostomum, Hieronymum (contra Julian., l. 2, c. 10).

Sequentia testimonia citasse sufficiet. Dicit S. Irenaeus (l. 5, c. 16, n. 3), « Deum in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus ». Tertullianus (de test. animae, c. 3), « Quem [Satanam] nos dicimus malitiae angelum, totius erroris artificem, totius saeculi interpolatorem, per quem homo a primordio circumventus, ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit ». S. Athanasius (in Ps. 50, n. 7), « Omnes itaque qui ex Adamo oriuntur in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi ». S. Hieronymus (comment. in Jonam proph., c. 3, v. 5), « Nullus absque peccato, etsi unius quidem diei fuerit vita ejus, et numerabiles anni vitae illius. Si enim stellae non sunt mundae in conspectu Dei, quanto magis vermis et putredo, et hi qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii? ». S. Ambrosius (apol. David, c. 11, n. 56), « Antequam nascamur, maculamur contagio, et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur ». S. Joannes Chrys. (hom. 10 in Rom., nn. 1, 2), « Palam est..... illud Adami peccatum inobedientiae, ipsummet fuisset quod perdidit..... Quod peccatum mortem et damnationem inducere potuerit; gratia vero non illud modo peccatum abstulerit, sed alia quoque omnia, quae post illud admissa sunt ». Cf. Palmieri, thes. 70.

180. — **(3) Argumenta ex ratione theologica.** — **I.** Qui indigent remedio peccati ut in regnum coelorum ingrediantur, sunt peccatores: ab isto enim regno nemo excluditur nisi propter peccatum; atqui parvuli, etsi peccati personalis incapaces, antequam in regnum coelorum intrent indigent Baptismo (Jo. 3. 5), qui alioquin institutus fuit praecipue in remissionem peccatorum (cf. Act. 2. 38; Eph. 5. 26; Tit. 3. 5); ergo omnes etiam parvuli peccatores sunt, peccato non quidem semper personali, proinde saltem originali.

181. — **II.** Salvatio et redemptio reparativa per Christum est liberatio a peccato (cf. 2 Cor. 5. 19); atqui in ista salvatione et redemptione comprehenduntur omnes etiam parvuli, qui tamen peccati personalis sunt incapaces; ergo in omnibus etiam parvulis est, aut fuit aliquando, peccatum non quidem semper personale, proinde saltem originale.

182. — **III.** Omnes homines, etiam illi qui peccati actualis

incapaces sunt, multis malis, miseriis et morbis, ac tandem morti obnoxii sunt; atqui consideratâ providentiâ divinâ, et spectatâ humani generis felicitate primaevâ, quam testatur Scriptura, imo et populorum traditio, vix intelligi possunt tantae miseriae inflictae omnibus, nisi commune aliquod et universale fuisset peccatum; ergo admittendum est peccatum originale. — Argumento hujusmodi, quod « satis probabile » aestimat S. Thomas (contra gentiles, l. 4, c. 52, init.), utitur Card. Newman (Grammar of Assent: Natural Religion, p. 393).

Solvuntur Objectiones

183. Obj. 1. Peccatum de quo loquitur Apostolus Rom. 5. 12, idem omnino est cum illo de quo agit vers. 13; atqui vers. 13 agitur de peccato actuali, cum dicat Apostolus, « peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset »; ergo non agit Apostolus hoc loco de peccato originali.

Resp. *Neg. Maj.* Etenim in vers. 13 vox ἁμαρτία (peccatum) caret articulo. Dicit Beleen in loc., « Peccatum hic nonnulli intellexere peccatum illud de quo modo (v. 12) sermo fuerat, *peccatum*, inquam, *originale*. Sed si hoc sibi voluisset Apostolus, dixisset, addito Articulo, ἡ ἁμαρτία, ut ibi fecerat ».

Dist. Min. Agitur de peccato in genere, ut constat ex omissione articuli, *conc.;* de peccato aliquo speciali, vel actuali vel originali, *nego.* — Omnino generale est incisum objectum in textu graeco (ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου: « peccatum autem non imputatur, cum lex non est »: cf. Rom. 4. 15, « Ubi non est lex, nec praevaricatio »), ac neque de peccato aliquo particulari neque de lege aliqua particulari (v. g. Mosaica) agit. Apostoli ergo argumentum sic exponi potest: Poena, ex *principio generali*, non infligitur nisi ex lege positiva, propter *culpam;* atqui (v. 14) poena mortis ab initio inflicta est etiam iis qui non peccaverunt actualiter; ergo (quod subaudiendum relinquit Apostolus) ab initio fuit in omnibus *culpabilitas* juxta legem aliquam positivam divinam. — In qua explicatione manifeste habetur declaratio et non negatio peccati originalis. Cf. Agus, in loc., pp. 304, 305.

Inst. 1. Eo sensu dici potest peccatum de quo agit Apostolus, per unum hominem in mundum intrasse, quod Adam qui pars fuit mundi primus peccavit; atqui peccatum in hac interpretatione esset peccatum actuale quod posteris nocuisset non propagatione sed imitatione; ergo non loquitur Apostolus de peccato originali.

Resp. *Nego Maj.* Siquidem 1. peccatum primum, absolute loquendo fuit Satanae, in mundo autem visibili Evae. Item 2. agit Apostolus de peccato, quo peccatores constituti sunt multi (v. 19); atqui ex lege ordinaria actus peccaminosus alicujus hunc solum peccatorem facit. Praeterea 3. docet Apostolus pari ratione per Adam intrasse in mundum peccatum et mortem; atqui non eo sensu per Adam mors in mundum intravit, quod ipse primus mortuus est, cum Abel ante ipsum decesserit. Demum 4. peccatum de quo agit Apostolus constituit omnes, etiam infantes, peccatores; infantes autem peccare nequeunt *imitatione.*

Inst. 2. Peccatum de quo loquitur Apostolus, « per *unum* hominem in mundum intravit »; atqui peccatum originale quod supponitur per generationem transmissum, per duos intrasset; ergo peccatum de quo loquitur Apostolus fuit peccatum actuale.

Resp. *Dist. Maj.* Per unum intravit tanquam per causam primariam, utpote caput naturae humanae, *conc.;* per unum, tanquam per causam unicam instrumentalem, *nego.* Simili locutione dicuntur (Hebr. 11. 12) omnes Israelitae « ab *uno* [Abraham] orti ».

184. — Obj. 2. Ex Apostolo, per delictum et inobedientiam unius hominis (Adam) *multi* mortui sunt (v. 15), multique peccatores constituti (v. 19); atqui in hypothesi peccati originalis non multi tantum sed *omnes* mortui essent et peccatores constituti; ergo non agit Apostolus de peccato originali.

Resp. *Dist. Maj.* Multi, idest multitudo universa hominum, *conc.;* multi tantum, ad exclusionem aliquorum, *nego.* Ipse Rosenmüller (cit. apud Perrone, n. 420) agnoscit hic hebraismum, quo per « multi » significatur « totum genus humanum ». Dicit etiam Beelen, p. 169, « Οἱ πολλοὶ opponuntur τῷ ἑνί, ceterum intelliguntur πάντες, nam sunt οἱ πολλοὶ ipsi illi, qui antegresso versiculo (v. 18) dicti fuerant πάντες ἄνθρωποι ».

Inst. Ex v. 15 gratia Christi non tantum in multos quibus nocuit Adam, sed « multo magis..... in *plures* abundavit »; atqui gratia et justificatio Christi non est omnibus data; ergo a fortiori nec omnes in Adam peccaverunt.

Resp. *Nego Majorem.* Vox enim « plures » idem sonat quod « multi », ut magis constat ex textu graeco (v. 15) ubi eadem vox πολλοί, πολλούς repetitur. Notat Beelen, p. 162, « Pro τοὺς πολλούς est in Vulgata *plures.* Sed haec lectio ne unius quidem graeci Codicis testimonio nititur..... Dixeris interpretem nostrum voci *plures* tribuisse notionem vocis *multi* ».

Dist. Min. Gratia et justificatio Christi non est omnibus data quoad effectum in actu secundo, quia omnes non sunt in ipso spiritualiter regenerati, sicut in Adamo secundum carnem sunt

generati : aut quia ponunt obicem, *conc.;* non est data quoad sufficientiam in actu primo, *nego:* « quemadmodum (ait Agus, p. 211) peccatum Adami, quantum ad sufficientiam perdidit omnes, seu potuit omnes a vita beata excludere; sed quantum ad effectum multos tantum ad aeternam mortem damnavit ».

185. -- Obj. 3. Ex Propheta (Ezech. 18. 20), filius non portabit iniquitatem patris; atqui in nostra doctrina filius portaret iniquitatem patris; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Si nullomodo sit particeps, *conc.;* si sit particeps, vel imitatione ut in peccato actuali, vel generatione ut in peccato originali, *nego.* — Ex contextu vero patet hic agi de adultis ac de peccatis actualibus : id quod dicendum est etiam de aliquibus aliis locis objectis, v. g. Rom. 4. 15, « Ubi non est lex, nec praevaricatio », 2 Cor. 5. 10, « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum ».

Contradist. Min. vel *nego:* peccatum enim originale ex doctrina Conc. Tridentini est unicuique proprium, sensu postea declarando.

186. — Obj. 4. S. Joannes Chrys. (hom. in Rom. 5. 19 : « peccatores constituti sunt multi ») dicit, « Quid igitur hoc loco verbum hoc *peccatores* significat? Mihi videtur tantumdem significare, quantum illud; *supplicio obnoxii, ac mortis rei* ». Item (hom. ad Neophytos apud S. Augustinum, contra Julian., l. n. 26), « Hac de causa etiam infantes baptizamus, *quamvis non habeant peccata,* ut in eis detur vel addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint ». — Similia idem S. Doctor alibi habet sicut et alii Patres aut scriptores ecclesiastici antiquiores, praesertim S. Cyrillus Hieros., Clemens Alex., Origenes, Tertullianus, S. Gregorius Nyssenus.

Resp. I. *Generatim* juxta argumentum *praescriptionis,* his canonibus quos tradit Palmieri, thes. 70 (pp. 537, 538) : « 1. Cum certum sit creditum semper esse in Ecclesia baptismum conferri in remissionem peccatorum, cum certum sit in ecclesia latina et graeca saeculo quinto explicationem dogmatis de vitiata et perdita humana natura per peccatum Adami [quod apud S. Paulum jam invenitur] illud veluti principium comprehendisse quod reatus quoque culpae transierit ad posteros; praesumendum est *praecedentes Patres,* qui et baptismum infantibus conferebant, et qui vitiatam et perditam humanam naturam per peccatum Adae fatebantur, illud ipsum principium [transmissionis reatûs non solum poenae, sed et culpae] *implicite* saltem affirmasse, nisi *diserta* quaedam eorum affirmatio aut negatio huic sensui adversetur. -- 2. In lo-

cutione ambigua ea verborum Patrum interpretatio est vera existimanda, quae cohaeret cum doctrina ab iis tradita, quae juxta sensum communem Ecclesiae recipienda est, siquidem possit verbis Patrum ea interpretatio adhiberi. — 3. Legitima methodus interpretationis exposcit, ut si quis gravis auctor de eadem re saepius scripserit, ejusdem sententiae, quoad ejus fieri potest, harmonice concilientur. — 4. Non perinde est aliquid negare atque silentio praeterire ».

Quibus animadversionibus addi potest 5. (ex Hurter, n. 405), « Ratio autem aliqua est, quare *rarius* vel *minus diserte* de peccato originali loquerentur [Patres praesertim Graeci], quod plus minusve in *Oriente* grassarentur errores, qui per excessum a sana deficerent doctrina, ut manichaeorum, origenistarum et platonicorum ». — Jamvero, cum *a*) nulla exstet apud Patres *aperta* doctrinae nostrae negatio, cumque *b*) omnes saltem *implicite*, (« baptismum in remissionem peccatorum » etiam parvulis ministrando), plures etiam *c*) *explicite* hanc doctrinam profiteantur, nihil valent objectiones ex eorum scriptis desumptae.

187. — II. Quod attinet loca S. Joannis Chrysostomi nominatim, quae praecipue opponebantur a Pelagianis: 1. Ex ipsa homilia citata in Romanos testimonium doctrinae nostrae jam citatum est (in probatione, n. 179). In alia vero homilia, « ad Neophytos », legitur (apud S. Augustinum, contra Julianum, l. 1, c. 6, n. 22), « Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis ». Quibus verbis significatur reatus noster unicuique proprius non tantum ex peccatis actualibus, sed ex priori aliquo communi oriri per factum Adae. — 2. In priori loco objecto, S. Chrysostomus negat quidem omnes homines, etiam parvulos, constitutos esse peccatores *sensu adversariorum* (Manichaeorum, etc.), quippe qui, ut ex contextu patet, isto nomine intelligebant eos qui *actualiter* peccaverunt: attamen S. Doctor dicendo omnes etiam parvulos « *supplicio* obnoxios et mortis *reos* », supponit aliquam eorum culpam, non sane actualem, ergo originalem. — 3. In altero loco objecto, instituta comparatione inter neophytos adultos et parvulos, *a*) manifeste docet S. Chrysostomus, hos ex baptismo accipere *sanctitatem*, *justitiam*, *adoptionem*, in quarum praecise *privatione*, juxta communiorem sententiam (infra, n. 193), consistit ipsa essentia peccati; neque *b*) negat S. Doctor eos habuisse *aliquod peccatum*, sed tantum *peccata plurima*, nempe actualia, a quibus liberantur adulti in baptismate. Cf. Palmieri, pp. 542, sqq.

188. — Obj. 5. Videtur repugnare justitiae Dei, ut infantes

humani actus incapaces, peccatores nascantur et absque baptismate morientes damnentur; atqui hoc dicendum est in nostra doctrina; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Repugnat ut Deus imputet parvulis peccatum *personale* alienum illiusque causâ eos poenis *positivis* addicat, *conc.;* repugnat ut privet eos donis supernaturalibus naturae *indebitis*, quae Caput naturae propriâ culpâ posteris amisit, *nego.*

Contradist. Min. In nostra doctrina Deus privat parvulos ob peccatum Adae dono naturae *indebito* nempe gratia sanctificante, *conc.;* imputat eis peccatum personale alienum, vel privat eos bono naturae debito aut poenis positivis addicit, *nego.* — Res aliquatenus illustrari solet exemplo hominis, cui rex ex munificentia confert dignitatem aut *nobilitatem jure haereditario posteris transmittendam*, quique si regis amicitiam culpa aliqua sua abjiciat, juste amittit *non tantum sibi, sed et posteris*, dignitates, honores et *privilegia* collata. Cf. Palmieri, thes. 73, pp. 576, 577.

189. — Obj. 6. Peccatum originale in nostra doctrina, in primo conceptionis momento animae inhaeret; atqui Deus solus est auctor animae; ergo in nostra doctrina Deus solus est auctor peccati originalis.

Resp. *Dist. Maj.* Inhaeret animae, quatenus haec anima pertinet ad humanam naturam, seu *infunditur corpori quod* per actum naturae, idest per carnalem generationem, *ab Adamo oritur, conc.;* quatenus praecise est *anima, nego:* « si enim (dicit S. Thomas, de Pot., qu. 3, a. 9, ad 3) non uniretur ei [corpori] ad constituendam naturam, sicut angelus unitur corpori assumpto, infectionem non reciperet »: cf. 1. 2, qu. 83, a. 1, ad 4.

Dist. Min. Deus solus est creator animae, *conc.;* est auctor immediatus seu *parens totius hominis* constantis ex anima et corpore, *nego.* — « Ex peccato Adami fit ut filii ejus omnes sint peccatores; filius autem Adami est totus homo; hic ergo peccator erit; si hic peccator est, anima, quae ejus est pars, quae ipsum constituit, gratia carere debet ». Palmieri, thes. 76, p. 598. Ex positiva ergo actione Dei non fit anima peccatrix, sed e contra creatur *naturaliter bona.* Deus quidem non confert ei gratiam sanctificantem, contulisset tamen si non peccasset Adam: neque haec gratiae absentia in se foret peccatum, nisi *propter relationem ad Adam* et transgressionem ejus.

190. — Obj. 7. Parentes justi habent gratiam sanctificantem; atqui per generationem transmittitur filiis id quod in parentibus est; ergo saltem filii justorum in gratia sanctificante nascuntur.

Resp. *Dist. Maj.* Habent sanctitatem personalem recuperatam, *conc.;* habent sanctitatem naturae, seu *naturam sanctam, nego.*

Dist. Min. Transmittitur filiis id in parentibus quod pertinet ad naturam humanam, *conc.;* id quod pertinet ad personas, *subd.:* in rebus naturalibus, *transeat;* in rebus supernaturalibus, *nego.* Nam, ut dicit S. Thomas (de Malo, qu. 4, a. 6 ad 4), « Homo baptizatus non generat secundum superiorem partem animae, sed secundum inferiores et secundum corpus: et ideo homo baptizatus non transfundit in prolem novitatem Christi, sed vetustatem Adae ». E converso, si Adam non peccasset, etiam filii parentum peccato personali inquinatorum sancti nascerentur.

CAPUT TERTIUM

De Natura Peccati Originalis

191. — **Praenotanda.** — I. Originale peccatum aliquando distinguitur in originale *originans*, quod fuit in Adamo, et in originale *originatum*, quod est prioris effectus et in quo omnes nascuntur. De hoc posteriori inquiritur, « Quid sit in infante nonbaptizato id quod habet *veram rationem* peccati, et quo ipse infans vere constituitur peccator ».

Hujus quaestionis *difficultatem* jam agnovit S. Augustinus dicens (de morib. Eccl., l. 1, c. 22), « antiquo peccato nihil esse ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius »; et ab ea definienda consulto abstinuit Concilium Tridentinum. Nec tamen est quaestio omnino libera: nam ex iis quae de peccati originalis *existentia* tradidit S. Synodus, colligi possunt quaedam notae, quibus saltem dignosci possit *quid non sit* peccatum originale. Docuit scilicet Concilium, 1. peccatum originale esse *vere* et proprie peccatum, 2. *propagatione*, et non tantum imitatione transfundi, 3. esse unicuique *proprium*, 4. per baptismum *totaliter* remitti. Responsio ergo quaevis quae ulli ex his notis contradiceret eo ipso rejicienda esset.

192. — II. Seponendae imprimis sunt sententiae quaedam *falsae* tum haereticorum tum paucorum Catholicorum, seu statuendum est, quid non sit peccatum originale. — 1. Sentiebat Flaccus Illyricus ex secta lutherana, eodem fere errore quo antiqui Manichaei, peccatum originale esse ipsam animam rationalem *substantialiter corruptam* et transformatam in substantialem imaginem diaboli. Contra est: *a*) Peccatum originale in baptismo totaliter deletur, nec tamen ostendi potest, hominem substantialiter mutari: *b*) Deus solus est auctor animae: non potest autem esse auctor substantiae malae; *c*) Christus assumpsit eandem substantialiter naturam quam

habent reliqui homines : atqui non potuit assumere naturam substantialiter malam.

2. Lutherus et Calvinus docuerunt *concupiscentiam* non tantum cum lapsu et peccato originali connexam esse (quod fatentur Catholici), sed esse ipsum peccatum originale : hanc fere sententiam renovavit recentius Hermes. Contra est : Per baptismum totaliter remittitur peccatum originale (juxta Rom. 8. 1, « Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu », et juxta expressam definitionem Concilii Tridentini) ; atqui concupiscentia remanet in baptizatis.

3. Zuinglius dicendo *effectus et poenas* transgressionis Adae vocari metaphorice « peccatum », *a*) revera negabat *existentiam* realem peccati originalis : sed praeterea, *b*) in baptismo deletur totaliter peccatum originale ; effectus vero peccati Adae, mors scilicet et miseriae permanent.

4. Veteres aliqui scholastici (Gregorius Ariminens., Henricus, etc. post Petrum Lombardum : apud Bellarminum, « de Amiss. Grat. », l. 5, c. 15) dicebant peccatum originale esse morbidam aliquam in anima *qualitatem positivam*, a simili dispositione seu morbo corporis derivatam et prava desideria perpetuo excitantem : videretur proinde esse ipsa concupiscentia, et ita ab his auctoribus vocabatur. Contra hanc sententiam gratuito assertam (quae alioquin videtur, licet ab aliquibus tribuatur ipsi S. Augustino, a lutherana differre in eo tantum quod admittat hanc qualitatem morbidam seu concupiscentiam non habere rationem *peccati in baptizatis*) urgetur *a*) Difficultas assignandi causam istius qualitatis ejusque transmissionis : etenim, ut argumentatur Bellarminus, « vel Deus est auctor positivae illius qualitatis vel non : si est, igitur est auctor peccati..... : si non est, igitur Deus non est auctor omnium rerum » ; *b*) Si illa qualitas per baptismum tollitur, non remanet amplius concupiscentia in baptizato : si vero non tollitur, remanet peccatum originale in baptizato. — Huc referri potest canon sequens in Schemate Concilii Vaticani paratus, « S. q. d. peccatum originale formaliter esse ipsam concupiscentiam aut physicum seu substantialem naturae humanae morbum, et negaverit, privationem gratiae sanctificantis de ejus ratione esse, a. s. ».

5. Pighius et Catharinus, theologi saeculi decimi sexti, dicebant peccatum originale esse ipsum unum numero peccatum *actuale* Adae cuique posterorum extrinsece imputatum. Contra est, peccatum originale, *a*) propagatione transfundi, *b*) inesse unicuique proprium : actus autem in se completur, nec transfundi potest ; item mera imputatio peccati non reddit quem peccatorem, ut constat exemplo Christi, qui omnium peccata tulit nec tamen peccator revera fuit.

O. Card. de Lugo (de poenit., d. 7, ss. 2, sqq.) cum Salmeron et Toleto, quos sequuntur Wirceburgenses, Collet et quidam alii, docet peccatum originale esse ipsum *peccatum actuale Adae prout a singulis* ejus posteris in ipso moraliter contentis *commisum* est et ipsis vere et proprie communicatum reddensque eos objectum odii divini. Sed in hac etiam sententia difficile videtur, quomodo peccatum originale sit unicuique *proprium:* actus enim Adae nequit fieri proprius posterorum.

193. — III. His ergo sententiis rejectis, omnino tenenda videtur sententia quae docet, « Peccatum originale consistere in habituali aversione a Deo, seu in privatione gratiae sanctificantis, inducta per actum peccati a primo parente libere commissum ». Ita olim S. Anselmus (de Concept. Virg. et pecc. orig., c. 27), « Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam quam supra posui, *factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem* ». Haec sententia vocatur a Palmieri et ab Hurter « communior », et ex antiquioribus theologis eam tenent S. Thomas, Scotus, Durandus, Suarez, Bellarminus, Vasquez (apud Palmieri, pp. 569, 570): ex recentioribus ipse Palmieri, Hurter, Mazzella (n. 982), Franzelin (« de Verbo Incarnato », p. 476, annot.), etc. Notandum est, in hac sententia duplex tradi elementum constitutivum peccati originalis, scilicet, 1. *privationem gratiae sanctificantis* seu justitiae unicuique propriam, 2. respectum seu *relationem ad peccatum actuale Adae* (cf. Palmieri, pp. 567, 570).

Antequam probetur haec sententia, supponendum est, Adam fuisse non tantum caput naturale et protoparentem, sed constitutum *caput juridicum seu morale totius generis humani*, et accepisse gratiam ac dona non tantum sibi sed etiam ut ea ad posteros transfunderet. Hoc manifeste supponit Scriptura (v. g. Rom. 5. 12, 17, 18), et tradit v g. S. Ambrosius (in Luc., l. 7, n. 23, « Fuit Adam, et in illo fuimus omnes. Periit Adam, et in illo omnes perierunt »); necnon Concilium Tridentinum definiendo (sess. 5, can. 2: Denz. 671), Adam non solum sibi sed et propagini nocuisse, et illa dona non solum sibi sed et nobis amisisse: quomodo autem constitutus sit Adam caput juridicum totius generis humani disputant theologi, ut dicetur in scholio cap. seq. (n. 200). — Demum notandum est contra Baium (propp. 46, 47: Denz. 926, 927), ad veram ipsam rationem et definitionem peccati cujuslibet ac proinde peccati originalis pertinere, ut sit *voluntarium*.

194. — Propositio. Peccatum originale formaliter consistit in privatione gratiae sanctificantis quatenus haec privatio relationem habet ad peccatum actuale Adami.

Prob. I. Ad constituendum peccatum, quod dicitur a S. Thoma, « aversio ab incommutabili bono » (de Malo, qu. 4, a. 2), requiritur et sufficit *privatio voluntaria debitae ordinationis ad Deum*, ultimum finem; atqui in definitione allata peccati originalis 1. declaratur privatio, eaque 2. voluntaria, debitae ordinationis ad Deum, finem ultimum, et simul 3. distinguitur peccatum istud ab omnibus aliis peccatis; ergo ista est vera definitio.

Prob. Min. per partes. — 1. Privatio gratiae sanctificantis est privatio debitae ordinationis ad Deum finem ultimum. Etenim, ut ait Vasquez (in 1. 2, d. 132, c. 9, n. 36), « cum illa privatio sit *gratiae, sanctitatis et amicitiae*, quam quisque [juxta ordinem a Deo primitus institutum] debebat habere, Deo nascitur inimicus, et offensus, qui sine illa nascitur, non quia male fecerit, sed quia sine sua justitia natus sit cum qua nasci debebat; displicet ergo Deo defectus ille ». — Hanc gratiae sanctificantis privationem esse in praesenti ordine, secundum communem sententiam contra Card de Lugo, elementum aliquod constitutivum saltem partiale omnis peccati lethalis habitualis, ac nominatim peccati originalis, ostendit Palmieri, thes. 73, n. II.

2. Ista privatio est *voluntaria:* non quidem voluntate aut actuali aut habituali ipsius parvuli (peccatum enim originale, dicit Vasquez, est « vitium *naturae* non personae, quia est defectus non in operatione, quae personae tribuitur, sed in *esse*, quod naturae convenit »): sed est voluntaria *per relationem ad voluntatem Adae*, non quidem quatenus persona singularis fuit ille, sed quatenus constitutus est *caput naturae humanae* quae ab ipso juxta decretum Dei propaganda erat cum donis gratiae et sanctitatis. — Et haec quidem ratio voluntarii non est prorsus *extrinseca*, sed revera intrinseca, quatenus nempe voluntas Adae, quae causa est illius peccati licet extrinseca respectu singulorum posterorum, est tamen intrinseca et intima respectu *naturae ipsius* quam ab ipso tanquam capite derivant singuli. Cf. S. Thomas, 1. 2, qu. 81, a. 1; 3, qu. 8, a. 5, ad 1.

3. Hac definitione *distinguitur peccatum originale* ab omni alio peccato, scilicet in ejus causa, seu in peccato Adae; quamvis enim, ut ait S. Thomas (in 4 dist. 18, qu. 1, a. 2), « Quantum ad ipsam gratiae privationem non differant maculae peccatorum, differunt tamen quantum ad causam ex qua macula consequitur ».

195. — II. In privatione gratiae sanctificantis et non in actuali Adae peccato moraliter imputato consistere formaliter peccatum

originale, confirmatur ex modo loquendi Conciliorum. Haec enim docent originale peccatum esse 1. mortem animae (Concilium Arausicanum II, can. 2: Denz. 145), 2. privationem sanctitatis et justitiae quam Adam a Deo accepit (Tridentinum, sess. 5, can. 2), 3. injustitiam propagatione ex Adamo contractam, et singulis proprie inhaerentem (Tridentinum, l. c., et can. 3); atqui omnibus Catholicis fatentibus, 1. animae vita est gratia sanctificans, quae etiam, 2. fuit sanctitas Adami, ac 3. hujus sanctitatis privatio et non peccatum actuale Adae singulis revera inest; ergo.

196. — **Corollarium.** Ex dictis liquet, omne peccatum mortale habituale, sive sit originale sive illud quod (in praesenti ordine supernaturali) ex peccato personali relinquitur, consistere in privatione gratiae sanctificantis, quatenus haec privatio est voluntaria et inducta per peccatum aliquod actuale. Differunt autem haec peccata in causa, eo nempe quod dum peccatum habituale personale consistit in privatione gratiae sanctificantis cum ordine ad peccatum actuale personale, peccatum originale consistit in privatione ejusdem gratiae quatenus inducta est per peccatum primi parentis Adam.

197. — **Dices.** Privatio gratiae sanctificantis est effectus et poena peccati; atqui quod effectus et poena peccati est, nequit ipsius essentiam constituere; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Privatio gratiae sanctificantis *active* spectata (idest *ex parte Dei*, et quidem naturâ et ratione *consequenter ad objectionem voluntariam gratiae* et amicitiae divinae a creata voluntate) est poena, *conc.;* privatio gratiae *passive* et ex parte hominis spectata, seu quatenus est cessatio debitae rectitudinis et amicitiae hominis erga Deum, est tantum effectus et poena peccati, *nego:* in ista enim aversione a Deo consistit peccatum omne habituale. Cf. Palmieri, p. 568.

Inst. Si essentia peccati originalis consistit in privatione gratiae sanctificantis, per omne grave peccatum actuale incidit iterum homo in peccatum originale; atqui hoc repugnat; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Ita dicendum, si essentia peccati originalis in sola gratiae sanctificantis privatione nude spectata consisteret, *conc.;* si in ista privatione cum relatione ad transgressionem Adam (ut docet nostra sententia), *nego.*

198. — **Scholion de sensu quo dicitur concupiscentia « materiale peccati originalis ».** — I. Ex S. Thoma (1. 2, qu. 82, a. 3, « *peccatum originale materialiter* quidem *est concupiscentia*, formaliter vero est defectus originalis justitiae ». Item docet (de Malo,

qu. 4, a. 2; et alibi), concupiscentiam esse *quasi materiale* peccati originalis. — His autem non significatur, concupiscentiam esse materiam proprie dictam seu *elementum intrinsece constitutivum* peccati originalis: nam tunc 1. privatio seu defectus gratiae (quae est formale peccati originalis) in concupiscentia tanquam in subjecto reciperetur, et non in anima aut facultatibus; et 2. cum concupiscentia remaneat post baptismum, aliquid peccati originalis maneret in regeneratis, contra doctrinam S. Pauli et Concilii Tridentini.

II. Ut aliquatenus videatur, quomodo vel improprie et analogice, dici possit habitualis concupiscentia materiale peccati originalis, hoc peccatum quatenus est inordinatio moralis et *praevaricatio totius naturae*, comparandum est cum statu justitiae originalis quatenus fuit *ejusdem naturae rectitudo moralis*.

Jamvero 1. perfecta illa rectitudo consistebat ex decreto Dei non tantum in gratia sanctificante, sed etiam in integritate (seu immunitate a concupiscentia), quae se mutuo perficiebant: et cum haec integritas (non proprie et simpliciter supernaturalis in se) ad supernaturalem ordinem *determinata* sit per gratiam sanctificantem a qua pendebat, dici potest integritas analogice materiale, gratia vero sanctificans formale rectitudinis moralis primitivae: in omni enim composito elementum minus determinatum dicitur materia, elementum autem determinans forma.

2. E converso, ad moralem inordinationem, seu peccatum, totius naturae, tum privatio gratiae sanctificantis tum privatio integritatis (seu concupiscentia habitualis) pertinet, et cum haec concupiscentia, in se quidem plane naturalis, *nunc* oriatur ex praevaricatione Adami et privatione gratiae sanctificantis, analogice dici potest concupiscentia *materiale* peccati originalis seu deordinationis moralis totius naturae, ac formale dici potest privatio gratiae sanctificantis: quippe quae *determinat* carentiam istam integritatis esse in praesenti dispensatione, deordinationem, poenam et privationem.

III. Haec explicatio etiam illustrari potest ex doctrina S. Thomae aliorumque theologorum de peccato actuali *externe completo*. Actus enim externus *imperatus* (v. g. occisionis) dicitur *materiale peccati* quia determinatur et nominatur peccatum ex voluntatis actu interno elicito, in quo est *vera ratio peccati* et qui proinde dicitur *formale peccati*. — Commemorandum est, Concilium Tridentinum (teste Pallavicino, l. 7, c. 9) consulto abstinuisse ab approbatione illius sententiae quae docet, « manere post baptismum partem materialem peccati originalis non formalem », quin tamen eam improbaret. Cf. De Rubeis, c. 59; Palmieri, thes. 75.

CAPUT QUARTUM

De Modo Transfusionis Peccati Originalis

199. — Ex Concilio Tridentino (sess. 5, can. 3: Denz. 672), Adae peccatum quod origine unum est, *propagatione* transfunditur omnibus: item (sess. 6, cap. 3: Denz. 677), « homines nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti; quum *ea propagatione*, per ipsum dum concipiuntur, *propriam injustitiam contrahant* ». Jam dixerat S. Augustinus (Enchirid., c. 26), « Post peccatum exul effectus [Adam], stirpem quoque suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, poena mortis et damnationis obstrinxit: ut quidquid prolis ex illo et simul damnata per quam peccaverat conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiae poena similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum ».

Generatione ergo naturali ab Adamo, contrahitur nunc peccatum originale. Notant autem auctores, generationem naturalem non esse per se causam transfusionis peccati originalis: in statu enim *naturae purae*, generatione naturali transmitteretur natura rationalis *simplex:* in statu autem *naturae elevatae*, natura rationalis gratia sanctificante *exornata*. Quod ergo *in praesenti statu* transmittatur natura rationalis *vitiata*, hoc non ex mera generatione naturali oritur sed ex generatione *ab Adamo peccatore*. Adam ergo ejusque peccatum est causa moralis principalis transmissionis peccati originalis, juxta verba Apostoli (Rom. 5. 12, 19), « per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit », « per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ».

Generatio autem naturalis est tantum *causa instrumentalis*, vel (ut dicit Palmieri, p. 595) *conditio* propagationis peccati originalis. Videlicet, per generationem naturalem *constituitur individuum in illa natura quae vitiata fuit per Caput Adam:* aliis verbis, homo nascens est peccator, non quia nascitur, sed quia nascitur *in natura lapsa*, et illa natura est lapsa et vitiata propter peccatum Adae. Per generationem, ut dicit S. Thomas (1. 2, qu. 81, a. 1, ad 2), « traducitur humana natura a parente in prolem et *simul cum natura naturae infectio*. Ex hoc enim *fit iste qui nascitur consors culpae* primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem ».

Ex alia parte in praesenti statu nostro *omnis actus naturalis generationis*, etiamsi singulari privilegio a concupiscentia et li-

bidine immunis esset, est actus naturae lapsae in Adamo, adeoque (ut docet S. Thomas, de Malo, qu. 4, a. 6, ad 16) causa instrumentalis transfusionis peccati originalis. Cum vero de facto in praesenti ordine naturalis generatio et generatio cum concupiscentia coincidant et idem materialiter et in concreto sint, hoc sensu dicunt aliquando Patres, concupiscentiam esse causam propagationis peccati originalis. Cf. Palmieri, thes. 77.

200. — Scholion de modo quo Adam constitutus est caput juridicum generis humani. — 1. Hoc certe non fuit *ex ipsa rei natura*: quia ut ait Suarez (de Op. sex dier., l. 3, c. 21, n. 22) ex natura rei lex data parentibus, etiamsi detur ut vera lex et perpetuo duratura, non obligat ullo modo filios, donec generentur et capaces sint praecepti, ut patet in omnibus aliis legibus divinis et humanis, hac de peccato originali excepta. Ergo necessaria fuit *peculiaris institutio et voluntas Dei*, imo (dicit Suarez, ib., n. 23) voluntas « ultra totam naturalem legem, et ultra ordinarium et quasi connaturalem modum obligandi legum positivarum ».

Attamen 2. ad constituendum Adam caput juridicum humani generis non fuit necessarius *consensus Adae* etiam ut capitis physici continentis in virtute totam posteritatem (n. 24), aliis verbis, necessarium non fuit *pactum* verum et proprie dictum: voluntas enim Dei per se est sufficiens ad inducendam omnem obligationem possibilem, ac proinde ad totam naturam in Adamo ligandam praecepto absoluto, non exspectato consensu aut voluntaria acceptatione Adae. — Imo nec fuit simpliciter necessarium, ut Adam *cognosceret* suam dignitatem Capitis ac decretum divinum quo statutum fuit, ut omnium posterorum gratia et justitia in ipsius arbitrio ac voluntate penderet (n. 28). Probabilius tamen est (n. 29), Adam notitiam hujus decreti habuisse de facto, quo vigilantior redderetur, etc.: et praeterea, dummodo ratum sit, humanum genus revera et *absolute* destinatum esse in Adamo ad finem supernaturalem independenter ab ejus consensu aut aliqua conditione, admitti potest (ait Palmieri, p. 585) *pactum* improprie dictum seu implicitum hujusmodi, « si tu, Adam, gratiam conservabis, habebunt eam et alii ».

Neque demum 3. admittenda videtur, quae gratuito ab aliquibus asseritur, *inclusio voluntatum* omnium in voluntate Adami, ita ut ipsi, secundum moralem aestimationem, praeceptum una cum Adamo transgressi sint, et propterea peccatum originale dicatur voluntarium non solum prae voluntate Adami, sed etiam *prae voluntate personali* posterorum.

201. — **Corollarium.** — Cum doctrina de positivo decreto divino constituente Adam caput juridicum humani generis cohaerent responsiones ad plures quaestiones vel hypotheses quas ponunt theologi. Praecipue vero inferendum est, 1. solum Adam, non autem Evam aut aliquem ex posteris, 2. ipsumque Adam uno tantum peccato, scilicet comestione fructus vetiti, potuisse propagini nocere. Videlicet, per omne aliud grave peccatum personale, aut ipsius Adae aut alterius, amissa quidem fuisset gratia individuo peccatori, non autem *naturae*, et pueri omnes, vel parentum iniquorum, sancti nati fuissent. Cf. Mazzella, nn. 924, sqq.

CAPUT QUINTUM

De B. Virginis Immunitate a Peccato Originali

202. — **Praenotanda.** — I. Jam declaratum est, juxta doctrinam Concilii Tridentini peccatum originale, secluso speciali privilegio, propagatione transfundi in *omnes* Adae posteros. Ipsum vero Concilium editis suis canonibus, solemniter protestatum est, « non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem » (Denz. 674). Privilegium Immaculatae Conceptionis Matris Dei, quod ita Tridentini Patres, pro rerum temporumque adjunctis satis innuerunt, quodque Pius V asseruit in damnatione propositionis Baii 73 (Denz. 953), sicut alii Romani Pontifices (1), tandem Pius IX in Bulla « Ineffabilis Deus », 8 Dec. 1854, supremo suo judicio et infallibili magisterio sancivit et definivit his verbis : « Declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo

(1) A S. Sede edita sunt pro doctrina immaculatae conceptionis decreta seu constitutiones saltem viginti sex. Ita Sixtus IV damnavit (an. 1482) praedicatores et scriptores quosdam, qui doctrinam istam haereticam asserebant. Rejecit quoque Pius V hanc Baii propositionem (73), « Nemo praeter Christum, est absque peccato originali : hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis »; ac vetuit idem S. Pontifex (an. 1570) sub poena suspensionis, ne praedicatores in concionibus ad populum contra immaculatam conceptionem disputarent: quod et Paulus V (an. 1616) ad academicas etiam praelectiones et discussiones extendit, sicut et Gregorius XV (an. 1621) ad privata quoque colloquia et scripta. Vid. Pesch, n. 351.

revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam ».

203. — II. Prius, juxta Pii IX definitionem, *explicanda* est doctrina ipsa et deinde *probanda;* ac postea in scholiis videndum est ex theologorum sententia, an vel quale *debitum inclusionis* in lege universali peccati originalis habuerit B. Virgo: item, an praeter dona gratiae sanctificantis habuerit in sua conceptione *alias dotes* conditionis primitivae, praesertim integritatis

1. « In primo instanti suae conceptionis ». — Duplex distinguitur conceptio: activa, seu quatenus est opus parentum; et passiva, seu quatenus respicit ipsam prolem. Haec iterum est duplex, nempe passiva inchoata, quae consistit in efformatione et organizatione corporis usque ad infusionem animae rationalis: et passiva adaequata, quae consistit in infusione animae, seu animatione. *De sola conceptione passiva adaequata hîc agitur*, et in hac dicitur B. Virgo praeservata immunis a labe originali seu sanctificata, idque *in primo instanti*, nec ante nec post animationem. Hinc nullo temporis momento B. Virginis anima corpori fuit unita, seu ipsa B. Virgo existens, quin sancta et immaculata fuerit; et cum animae creatio naturâ tantum praecedat infusionem ejus in corpus, in primo instanti fuit anima B. Virginis sancta et immaculata, quod jam docuerat Paulus V (m. 1621) declarando « piam » esse propositionem quae docet, « animam B. Mariae Virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritûs sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse ».

2. « Singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio ». — His verbis declaratur B. Virgo ab omni peccato immunis fuisse *non jure proprio* et virtute sua, sicut Christus, sed privilegio *singulari:* ac proinde innuitur, in ea fuisse *debitum* aliquod seu necessitatem (ut postea explicabitur), ut in lege universali peccati originalis comprehenderetur.

3. « Intuitu meritorum Jesu Christi ». — Duplex distinguitur *redemptio*, alia *reparativa*, qua quis liberatur a malo in quod jam inciderat, alia *praeservativa*, qua quis a malo servatur. Ipsa doctrina de Immaculata Conceptione prohibet ne dicatur B. Virgo redempta a Christo redemptione *reparativa:* cum vero habuerit debitum aliquod inclusionis in lege universali, indiguit redemptione *praeservativa*, et in hoc sensu dicitur redempta.

4. « Ab omni originalis culpae labe ». — Hoc secundum doctrinam jam traditam (n. 193) de natura peccati originalis, intelligendum est sensu *positivo*, scilicet *de infusione gratiae sanctificantis*, in cujus privatione, cum relatione ad peccatum Adae, consistit, juxta communiorem sententiam, peccatum originale.

204. — Propositio. Beatissima Virgo Maria in primo instanti suae Conceptionis fuit ab omni originalis culpae labe praeservata immunis.

(1) Argumenta ex Scriptura Sacra. — Praecipue affertur testimonium illud Genes. 3. 15, « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus ». — Hoc oraculo, ut dicit Bulla « Ineffabilis Deus » clare praemonstrari *Christum* Redemptorem ejusque beatissimam *Matrem* Virginem Mariam, ipsorumque inimicitias contra diabolum, docuerunt *Patres et ecclesiae scriptores.* Sic dicit S. Leo M. (serm. 22, c. 1), isto Geneseos loco praesignari, « Christum in carnem venturum, Deum hominemque..... qui natus ex Virgine violatorem humanae propaginis incorrupta nativitate damnaret ». Antea S. Irenaeus (l. 3, c. 23, n. 7), « Inimicitiam posuit inter serpentem et mulierem, et semen ejus..... quoadusque venit semen praedestinatum calcare caput ejus, qui fuit partus Mariae ». Ac S. Cyprianus (Testim., l. 2, n. 9), « Hoc semen praedixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli ». Advertit Lamy (commentar. in loc.) : « Judaeos etiam haec tanquam prophetica et in diebus Messiae implenda habuisse, patet e Targum Jonathanis et e Targum Hierosolymitano ad h. l. ». Hunc sensum, spectata saltem traditione antiqua catholica, vehementer quoque suadet ipsius contextus analysis. Cf. praeter interpretes, Palmieri, pp. 728, sqq.

205. — I. Ex verbis, « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius ». — Inimicitiae B. Virginis contra diabolum his verbis pronuntiatae, sunt *absolutae et perpetuae:* dicuntur enim 1. « inimicitiae » simpliciter et sine restrictione ulla, et 2. sunt identicae cum inimicitiis (sane absolutis et perpetuis) ipsius Christi « Seminis Mulieris », contra diabolum; atqui non essent inimicitiae absolutae et perpetuae, si B. Virgo vel unico instanti peccato et diabolo subdita esset; ergo nunquam, etiam in primo instanti Conceptionis, in peccato erat.

206. — II. Ex verbis, « Et ipsa [« ipse », aut « ipsum » : ad vim probativam haud refert] conteret caput tuum ». — His verbis praedicitur fore, ut Mulier (per « Semen » seu Filium suum) plenum de serpente triumphum referat; atqui non plene de eo triumphasset, si vel unico instanti peccato subdita esset; ergo.

207. — III. Ex verbis salutationis angelicae (Luc. 1. 28, « Ave gratia plena..... ») non quidem in se ipsis solis sed secundum interpretationem Patrum spectatis, « haud aegre », ut ait Palmieri, thes. 88, eruitur nostra doctrina. — Salutatione enim ista angelica tribuitur B. Virgini, sine ulla restrictione, specialissima gratiae

plenitudo; atqui plenitudo gratiae specialissima et perfectissima includit favorem et privilegium omne supernaturale, quod creaturae conferri possit, qualis est immunitas a peccato originali seu gratia sanctificans quam habuerunt angeli et Adam in primo creationis instanti; ergo.

208. — **(2) Argumenta ex Traditione.** — **I.** Ad Patres et Liturgias quod attinet, haec capita breviter indicanda sunt ex Hurter, nn. 627, sqq. — 1. Patres saepius de B. Virgine adhibent gradu positivo et superlativo ea omnia verba quae sanctitatem maxime perfectam exprimunt, v. g. « omni tempore pura » (in « theotocia » antiquissima Coptorum), « peccati omnis incapax » (S. Ephraem, Orat. « in Deip. »), « omni ex parte simillima originalis venustatis repraesentatio » (S. Andreas Cretensis, orat. « in Deip. mort. ». — 2. Praedicata et similitudines de ipsa usurpant (v. g. solis, coeli, etc.), quae sanctitatis et puritatis *culmen* designant. — 3. Vocant eam templum, palatium, tabernaculum, a Deo ipsa exstructum et *singulari ratione ornatum*. — 4. Dicunt eam « *novam creaturam* », et in conceptione a reliquo genere humano *secretam*, sicut secernitur lux a tenebris, innocentia a peccato, lilium et rosa a spinis. — 5. Dicunt eam *solam, semper, totam* immaculatam. — Atqui haec omnia vera non essent, si cum ceteris hominibus peccato *vel ad momentum* infecta esset B. Virgo.

209. — Nominatim saec. IV dicit S. EPHRAEM (carm. nisib.: apud Pesch, n. 306), « Tu Christe revera et Mater tua *soli estis*, qui omnino *omni ex parte* pulchri estis: in te enim, Domine, nulla est labes, *nec ulla in Matre tua macula* ». Item saec. V, THEODOTUS ANCYRANUS (hom. 4 in S. Deip. et Simeonem, n. 5), « Qui antiquam illam virginem [Evam] sine probro condidit, ipse et secundam [Mariam] *sine nota et crimine fabricatus est;* quique quod deforis, pulchre fecit, etiam quod intus est, ad domicilium animae, sancte perornavit ». Postea (n. 6) applicat ad rem verba Psalmistae, « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus » (Ps. 45. 5), et « Ipse fundavit eam Altissimus » (Ps. 86. 5). Et Mater Dei dicitur a S. AMBROSIO (in Ps. 118, serm. 22, n. 30), « Virgo per gratiam *ab omni integra labe peccati* ». Postea S. ANDREAS CRETENSIS (orat. 2, in Nativ. B. Mariae: M. 97. 831), « Hanc sanctam Virginem, *sanctisque omnibus longe sanctiorem, quae tota pulchra, tota munda* visa est ei qui totus in illa et corpore et spiritu habitavit ». Ac S. SOPHRONIUS (orat. 2, in Deip. Annunt.: M. 87, p. 3, col. 3247), « Invenisti [Maria] apud Deum gratiam prae qualibet eximiam..... Et alii quidem, iique plures, ante te eximia sanctitate floruerunt. Sed nemini quemadmodum tibi *plena gratia impertita est*. Nemo

sicut tu, sanctitate exornatus est; nemo sicut tu, ad tantum magnificentiae est evectus; nemo, sicut tu, *purificante gratia praeoccupatus* est..... Et merito quidem; nemo enim sicut tu, ad Deum tam prope accessit; nemo sicut tu, Dei gratiae particeps fuit ».

210. — Celebriora sunt verba S. AUGUSTINI (de natura et gratia c. 36, n. 42), « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus, quod ei *plus gratiae* collatum fuerit *ad vincendum omni ex parte peccatum*, quae concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? *Hac ergo Virgine excepta*, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsurus putamus?.... Nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est? » Videlicet, licet admittatur (quod negat Palmieri, p. 702), hoc loco S. Augustinum directe de peccatis actualibus loqui, attamen, *a*) ipsius verba omnino generalia sunt; item *b*) ratio honoris Domini, quam allegat, magis exigit, ut Mater a peccato originali, quod mortale est, quam a veniali sit immunis; ac demum *c*) secundum ipsius S. Doctoris principia alibi tradita (contra Julian., l. 5, c. 15, n. 57), ex immunitate perfecta alicuius personae a peccato actuali inferri potest et debet ipsius immunitas etiam ab originali. Fatetur Harnack (Dogmeng., t. 3, p. 217), S. Augustinum loco citato sanctitatem singularem tribuere Mariae prae ceteris creaturis. — Nec nobis omittendum est testimonium praeclarissimum SEDULII, poetae hibernici, S. Augustino coaevi, qui scribit (carm. paschal., l. 2, vv. 28, sqq.), « Ut velut e spinis mollis rosa surgit acutis — *nil quod laedat habens*, matremque obscurat honore: — sic Evae de stirpe, *sacra veniente Maria*, — Virginis antiquae facinus nova Virgo piaret » (cf. Palmieri, p. 104).

211. — **II.** Ex *festo* conceptionis B. Virginis: Jam saec. V. in ecclesia graeca, a saec. vero VIII ac IX in ecclesia latina celebratum est istud festum; atqui si non rigorose omnino ex ipso *facto* (quasi scilicet juxta aliquorum argumentum, ecclesia non colit nisi quod est *sanctum*), saltem ex *modo* celebrationis, scilicet ex nominibus « sancta », « immaculata », etc. in liturgiis usurpatis, omnino immaculata dicenda est conceptio B. Virginis. — Ex institutione recenti duorum B. Virginis festorum, quorum alterum sub titulo « Apparitionis B. M. V. *Immaculatae* » (de Lourdes), alterum sub titulo « Manifestationis *Immaculatae* Virginis Mariae a Sacro Numismate », habetur doctrinae nostrae multiplex confirmatio: scilicet non solum 1. ipsius ecclesiae iterata doctrinae professio; sed spe-

rata fide historica documentorum in classicum examine allatorum, habetur 2) ipsius B. Virginis testimonium in duplici apparitionum serie, quarum altera antecessit et quasi proxime praeparavit dogmatis definitionem, altera ipsam consecuta est et veluti obsignavit; habetur 3) testimonium etiam divinum quibusdam miraculorum quae utriusque manifestationis occasione patrata sunt et adhuc patrantur.

212. — **III.** *Ex sensu fidelium.* — Haec capita indicanda sunt (cf. Hurter, nn. 622 sqq.): — 1) Doctrina de Immaculata B. Virginis conceptione, quae ex diebus in ecclesia praesertim Orientali iam a saec. V declarata est, fide *explicita* inde a saec. saltem XII manifestari coepit et per universalem ecclesiam tradita est. — 2) *Crevit* haec persuasio contra contradictionem, ut videbatur, plurium et doctiorum ex antiquis theologis (uti S. Bernardi, Hugonis Victorini, Petri Lombardi et ipsius S. Thomae). — 3) Persuasio fuit non solum radicata, sed duce Scoto (saec. XIII) *defensores*, qui teste Caietano erant tunc temporis « numero infiniti », ita ut exeunte saec. XVI per doctrina enumerari possent « ad 200 milia auctorum ». Ita etiam, post Parisiensem, academiae ac universitates studiorum omnes. — 4) Non theoreticam tantum sed *practicam* fuisse persuasionem, probant tum festum Conceptionis praedictum, tum libri scripti, tum sodalitates et congregationes sub titulo Immaculatae Conceptionis institutae, tum denique fructus pietatis et vitae Christianae inde educti. Hunc *sensum communem* vim probativam firmissimam esse, docet ipsa *philosophia* sana, multo vero magis *theologia* (aliquae enim de passiva ecclesiae infallibilitate, ac de fidei unitate actum esset.

213. — **Obs.** In eadem persuasione, saltem ad recentiora usque tempora, semper fuerunt Christiani schismatici orientales, ut constat ex celebratione festi Conceptionis apud eos. Praeterea in Koran legitur: « **Angeli Mariae dixerunt**: Deus te elegit, te ab omni macula liberam fecit ». Imo vel ipse Lutherus decennio post defectionem ab ecclesia docuit ex Luc. 1, 28, « Virginem Mariam quoad corpus quidem conceptam fuisse sine gratia, cum plenitudine autem gratiae quoad animam » (apud Hurter, n. 622, annot.). Elapso saeculo poeta protestans Wordsworth B. Virginis privilegium versibus eleganter celebravit in opere « Ecclesiastical Sonnets » (XXV, « The Virgin ») (1).

214. — **(3) Argumenta congrua ex ratione theologica.** — **I.** Propter B. Virginis elevationem in divina Maternitate supra omnes

(1) « Our tainted nature's solitary boast,
Purer than foam on central ocean tost ».

creaturas puras, decebat ut ei nullum privilegium deesset, quod creaturae purae unquam collatum est, nisi forsan illud ejus statui, conditioni, aut sexui repugnaret; atqui, in ipsa creatione sanctificari, datum est angelis et protoparentibus, nec repugnat statui, conditioni aut sexui B. Virginis; ergo. (Bellarm., « de Amiss. Grat. », l. 4, c. 15).

215. — **II.** Divinum Verbum ab aeterno elegit sibi Mariam in Matrem, et in illius potestate erat, eam talem facere qualem vellet qualemque exposceret dignitas divinae personae; atqui servare Matrem per speciale privilegium a peccato originali immunem, maxime conveniret tum propriae Filii dignitati tum amori et honori Matris; ergo. (Perrone, « Disquisitio de Immac. B. M. V. Conceptu », c. 14, p. 59). — Huc referri potest argumentum Scoti (in 3. d. 3, qu. 1) ex potestate mediatrici perfectissima Christi, quae in actum perfectissimum non reducta esset, nisi unam aliquam personam, ac congruentius propriam ipsius Matrem a peccato originali prorsus immunem servasset. — Similem probationem (« Potuit, decuit, ergo fecit ») proposuit Franciscus de Mayronis. Vid. Pesch, n. 347.

216. — **III.** Reginam Angelorum et hominum haud decet, eis in honore et dignitate inferiorem esse; atqui si B. Virgo concepta esset in peccato originali, inferior foret non solum sanctis Angelis qui nunquam gratia privati sunt, ipsisque protoparentibus qui in gratia sanctificante conditi fuerunt: sed vel ipsorum angelorum rebellium aliquando serva exstitisset; ergo. (Id., p. 62). — Simile argumentum adhibet Card. Newman in Epistola ad Pusey (« Anglican Difficulties », vol. 2, pp. 44, sqq.). Ex comparatione enim saepius instituta a Patribus (quorum loca exscribit) inter Evam et B. Virginem, quae dicitur v. g. a S. Augustino « Nova Eva », infert Em. Cardinalis, Mariam sicut Evam habuisse in primo personalis existentiae momento donum gratiae sanctificantis. Cf. Hurter, nn. 631, sqq.

217. — **Dices 1.** Legis plane universalis nulla admittenda est exceptio; atqui a lege juxta Scripturam et Patres plane universali de propagatione peccati originalis, doctrina nostra excipit B. Virginem; ergo non est admittenda immaculata Conceptio.

Resp. *Dist. Maj.* Si de exceptione non constet, *conc.;* si de ea constet, *nego.* Ita v. g. lex generalis est, eandem non posse esse simul virginem et matrem: et tamen de fide est, B. Mariam ante partum, in partu, et post partum, fuisse semper Virginem.

Dist. Min. Catholici B. Mariam Virginem ab ea lege excipiunt totaliter et etiam quoad debitum, *nego* (ut mox dicetur); quoad

actualem infectionem, *subd.:* eam excipiunt, quia ita docet traditio divina, *conc.;* quin de exceptione constet, *nego.*

Contra dogma urgeri nequit B. Virginis *baptisma:* hoc enim sacramentum non importat necessario peccatum originale remittendum, ut patet ex casu catechumeni jam ante baptisma per contritionem justificati, sed alios habet effectus, nempe characterem et initiationem in ecclesiam. — Neque ex B. Virginis *morte* aliquid excipi potest: immortalitas enim non fuit donum per se supernaturale nec pars essentialis et intrinseca justitiae originalis. Habuit ergo B. Virgo a primo instanti conceptionis donum *supernaturale* gratiae sanctificantis, non tamen donum *praeternaturale* et a gratia sanctificante distinctum immortalitatis; quemadmodum et aliorum hominum justificatio non includit restitutionem integritatis, immortalitatis, felicitatis, etc. Cf. propositiones damnatae Baii, 72, 73.

218. — **Dices 2.** Patres docent 1. solum Christum immunem fuisse a peccato (ita S. Leo M., serm. 5 in Nativ. Dom., c. 5; S. Augustinus, de peccat. merit. et remiss., l. 1, c. 29, n. 57), 2. omnem humanam carnem, excepta carne Christi esse « carnem peccati » (ita S. Augustinus, de Genes. ad litt., l. 10, c. 18, n. 32); atqui huic doctrinae contradicit propositio nostra; ergo.

Resp. *Dist. Maj. Ad 1.* Docent Patres solum Christum a peccato immunem esse jure suo et virtute sua, *conc.;* significant Christum solum de facto a peccato immunem esse, *nego.* Non solum enim docent Patres, omnes praeter Christum concipi, sed et *nasci* in peccato: et tamen admittunt aliquos, v. g. praeter ipsam B. Virginem, Jeremiam Prophetam et S. Joannem Bapt., in utero justificatos fuisse. Significant ergo Patres, neminem justum esse *proprio jure* sed tantum *ex meritis Christi.*

Ad 2. Ex Patribus, B. Virginis caro est « caro peccati », quia derivata est carnali generatione ex Adamo, et proinde citra privilegium animari *debuit* animâ peccato originali inquinatâ, *conc.;* significant animam B. Virginis fuisse *de facto* peccato inquinatam, *nego.* Etenim adhibent Patres appellationem illam « carnis peccati » *a*) de corpore etiam ante infusionem animae (S. Augustinus de peccat. merit. et remiss., l. 2, c. 36), et *b*) de B. Virgine post Incarnationem (S. Augustinus, ibid., c. 34; S. Fulgentius, lib. de Incarn. et Grat., c. 9), imo *c*) aliquando de ipso Christi corpore (S. Hilar., de Trin., l. 1, n. 13): in quibus casibus nequaquam intelligunt Patres peccatum *formale* proprie dictum. Cf. Mazzella, n. 1088; Palmieri, thes. 83.

219. — **Obs. de sententia S. Bernardi et S. Thomae.** — Ve-

hementer disputant scriptores, utrum negaverint S. Bernardus et S. Thomas conceptionem *passivam adaequatam* B. Virginis immunem fuisse a peccato originali. Id tamen de utroque S. Doctore fatendum videtur.

Etenim 1. *S. Bernardus* in epistola (174) ad canonicos Lugdunenses non solum *a*) increpat eos ob institutum festum Conceptionis B. Virginis, inconsulta S. Sede, sed *b*) docet distincte B. Virginem non aliter sanctificatam fuisse in utero quam fuerunt Jeremias et Baptista sanctificati, dicitque ipsam inter eos esse qui confiteri debent, « in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea »; et ita *c*) eum intellexerunt coaevi (v. g. Nicolaus quidam, monachus anglicanus), qui contra eum scripserunt. Cf. Pesch, nn. 318, sqq., post Mabillon et Benedictum XIV.

2. Statuit idem Pesch, n. 327: « mihi certum esse videtur *S. Thomam* negasse immaculatam conceptionem eo sensu, quo postea ab Ecclesia definita est ». Et sane expresse dicit Angelicus in Summa theol. (3, qu. 27, a. 2, ad 2), « sub Christo, qui salvari non indiguit, tanquam universalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas: nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. 1: Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei; sed *B. Virgo contraxit* quidem *originale peccatum*, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur »: nec contra hunc alius afferri posse videtur S. Doctoris textus certo genuinus, qui doceat B. Virginem *semper* immunem fuisse a peccato originali. — De cetero, praecipue ob Angelici Doctoris auctoritatem factum est, ut ad recentiora usque tempora non admiserit schola thomistica doctrinam immaculatae conceptionis. Cf. Pesch, nn. 340-345.

220. — Scholion 1. de B. Virginis debito contrahendi peccatum originale. — Eo ipso quod B. Virgo immunis a culpa originali fuit « intuitu meritorum Christi », habuit ut jam dictum est, aliquod *debitum contrahendi* peccatum originale: *quale* vero fuerit, disputatur.

Duplex distinguitur debitum, nempe proximum et remotum. *Proximum* consistit in comprehensione sub illa lege qua Adam ita constitutus est caput juridicum generis humani, ut ipso peccante omnes sub ista lege comprehensi etiam peccarent et peccati maculam contraherent, nisi obstaret privilegium; *remotum* vero debitum consistit in naturali origine ab Adamo per generationem carnalem, ita ut, nisi obstaret privilegium, omnes sic orti sub lege praedicta includerentur. Proinde qui docent B. Virginem habuisse debitum proximum, asserunt consequenter eam inclusam fuisse in

lege praedicta et in necessitate contrahendi peccatum originale : et privilegium collocant in eo quod praeservata fuit ab *actuali* peccati originalis infectione. Qui vero adstruunt debitum tantum remotum, asserunt B. Virginem, vi privilegii, servatam fuisse non solum ab actuali peccati originalis infectione, sed exemptam etiam fuisse a lege qua Adam peccante omnes posteri ejus peccarent.

Debitum tantum remotum in B. Virgine agnoscunt v. g. Salmeron, Vega, Wirceburgenses, et juxta Mazzella (n. 1133) « communius recentiores ». Cum vero, ut ipse fatetur Mazzella, « non satis appareat », quomodo dici posset B. Virgo *redempta*, etiam redemptione praeservativa in hac sententia, eam rejiciunt alii theologi. Dicit Suarez, « Haec sententia licet speciem quamdam pietatis prae se ferat, tamen nec Scripturis Sacris nec Patribus videtur consentanea » (« De Myster. Vitae Christi », d. 3, s. 2, n. 2). « Praeterea (ait Palmieri, p. 745) distinctio debiti *proximi* et *remoti* inutilis est. Nam *sepositis meritis Christi Redemptoris*, Beata Virgo, eo quod filia Adami, habuisset peccatum, an non? si affirmas, ponis debitum proximum : si negas, negas fuisse eam redemptam, seu intuitu meritorum Redemptoris praeservatam a peccato. Nec debitum debiti fingi potest ; secus iremus in infinitum ».

Hinc cum Suarez, Bellarmino, Vasquez, Palmieri, etc., videtur admittendum debitum *proximum*. Rem sic exprimit Suarez (l. c., n. 3), « Dicendum censeo primo, absolute et simpliciter fatendum esse, B. Virginem in Adam peccasse. Probatur, quia Paulus ad Rom. 3 et 5 absolute dicit omnes peccavisse in Adam et ideo indiguisse redemptione ». Ac postea (n. 5), « Mihi videtur dicendum, non posse sine errore negari B. Virginem ex vi peccati Adae ita fuisse obnoxiam maculae, et peccato contrahendo, ut si per Christum non esset vere et proprie redempta, illud contraheret : hoc enim probant aperte testimonia adducta ». Nec ita B. Virginis honori detrahitur. Debitum enim hujusmodi, ut loquitur Palmieri (l. c.), « nihil ponit *reale* in iis qui dicuntur debitores, sed est tantum *denominatio moralis* in singulis ». De B. Virgine hoc debitum asserere nihil aliud est quam dicere, quod spectata Maria in primo instanti suae existentiae, et praecisione mentis *consideratâ solum naturâ* seu naturali origine, potuit de ea affirmari : « *debet* habere peccatum ».

221. — Scholion 2. de gradu sanctitatis quam habuit B. Virgo in conceptione. — Docet imprimis Suarez (l. c., d. 4, s. 1, n. 4), « pium et verisimile esse credere, gratiam Virginis in prima sanctificatione intensiorem fuisse quam supremam gratiam, in qua consummantur Angeli et homines ». De excellentia vero superna-

turali et sanctitate B. Virginis plura dicuntur in tract. de Deo Consummatore (nn. 134, sqq.).

Inquirunt praeterea theologi, utrum B. Virgo immunis fuerit non tantum ab omni peccato originali et actuali, sed etiam a *fomite peccati* et concupiscentia. Fomes autem peccati definiri solet, « inclinatio appetitus sensitivi in bonum sensibile contra rectam rationem ». In *actu primo* fomes peccati est ipse appetitus prout proxime dispositus ad motus inordinatos adversantes rationi, quibus videlicet illam praevenit, illi resistit atque ad objecta illicita inclinat. In *actu secundo* sunt actuales motus appetitus sensitivi ad bona illicita rationem antevertentes vel praevenientes. Dicitur fomes peccati *ligari* quando, ipso in actu primo manente, removentur tamen speciali providentiâ divinâ occasiones objectaque omnia, ex quibus secus ad actum secundum deduceretur. *Exstingui* dicitur, quando *nec in ipso actu primo* remanet, ita ut praesentibus etiam objectis, rationis imperio per habitus infusos sicut in statu originalis justitiae, perfecte subjiciatur appetitus sensitivus.

His notatis inquiritur, 1. utrum B. Virgo fuerit semper immunis ab indeliberatis motibus concupiscentiae in *actu secundo* (saltem per ligationem fomitis): et respondent omnes, eam immunem fuisse: hoc enim exigit sanctitas ejus omni creata sanctitate major, et immunitas ejus ab omni peccato etiam veniali semideliberato: quod etiam docent Patres diserte. Cf. Palmieri, pp. 749, 750. — Inquiritur 2. utrum *ipso fomite Virgo caruerit. a*) Alii cum S. Thoma (3, qu 27 a. 3) dicunt fomitem fuisse ab initio ligatum et in conceptione Verbi seu secunda sanctificatione exstinctum. *b*) Alii cum Suarez (de Mysteriis Vitae Christi, d. 4, sect. 5, n. 9) docent eum fuisse a primo conceptionis instanti exstinctum: ita v. g. Mazzella, Palmieri.

DE VERBO INCARNATO (1)

DEFINITIO NOMINIS ET REI

1. — **I. Vocabulum** « Incarnatio », ut notat Lugo, plus significat quam sonat. Juxta nomen enim idem est ac « unio ad carnem », seu ad corpus (graece σάρκωσις) juxta receptum vero usum vocis « carnis » per synechdochen in Scriptura familiarem (v. g. Luc. 3. 6, « Videbit omnis caro salutare Dei »; Rom. 3. 20, « Ex operibus legis non justificabitur omnis caro »), « incarnatio » significat *unionem cum tota humana natura*, idest cum corpore et anima, seu « inhumanatio » (graece, ἐνανθρώπησις). In Scriptura (Jo. 1. 14; 1 Tim. 3. 16) aequivalenter habetur haec vox « incarnatio »; usurpata est a S. Irenaeo (adv. haer., l. 3, c. 19, n. 1) et aliis veteribus; ac, etsi aliquando vitata ab orthodoxis, ne consentire viderentur haeresi Apollinaris docentis Verbum non integram naturam humanam sed carnem tantum a B. Virgine sumpsisse, consecrata tandem est a Synodo Nicaena I (« incarnatus est de Spiritu sancto »); et omnino congrua est ad exprimendam tum Verbi divini exinanitionem in hoc mysterio, tum, contra Docetas, veritatem carnis ejus assumptae.

Alia nomina a Patribus adhibita ad hoc mysterium significandum sunt, « assumptio » (λῆψις), « incorporatio », « demissio » (συγκατάβασις). Notatur praecipue nomen « dispensatio », seu « oeconomia » (οἰκονομία) quod maxime providentiam divinam et indulgentiam erga homines significat. — Petavius, l. 2, c. 1.

2. — **II. Definitionem rei,** quae exprimit doctrinam postea per partes stabiliendam, tradit et explicat Holzclau (theol. Wirceb.: quem sequitur Jungmann), « Naturae humanae cum divina in una persona Verbi conjunctio ».

(1) De Verbo Incarnato agit S. Thomas in Summae theologicae parte Tertia, quaestt. 1-59, necnon in Summa contra Gentiles, l. 4, cc. 27-49. Suarezii opus de Incarnatione exstat in tomis 17 et 18 editionis Vivès; Petavii autem in voluminibus 5, 6, 7, « de Theologicis Dogmatibus, » edit. Guérin. De hoc mysterio specialiter scripserunt de Lugo, Legrand, Franzelin, Jungmann, Stentrup, Billot, Rivière (« Le Dogme de la Rédemption »).

Dicitur 1. « conjunctio », quae vox sumi potest vel sensu *activo* et efficienter ad significandam divinam operationem, vel sensu *neutro* ad significandum statum vel terminum inde provenientem. Intelligitur vero per conjunctionem, unio aut unitio, non moralis vel accidentalis, sed vera, realis, physica et *substantialis*. Haec porro unio dicitur et est personalis et hypostatica : quia ex unione Verbi et naturae humanae una persona constituitur.

Dicitur 2. « humanae *naturae* », idest compositi seu complexi ex corpore et anima rationali inter se unitis, et hujus tantum, sine subsistentia humana propria et personalitate.

Dicitur 3. « in una *persona Verbi* » : incarnatio enim, licet quoad efficientiam communis sit personis divinis tribus, cum sit opus ad extra, terminative tamen propria solius Verbi est : hoc enim unitur humanitati immediate, non ratione formali divinae naturae, quae quid absolutum et commune est, sed personalitatis Filii, sive filiationis, quae est praedicatum relativum solius Filii.

His positis, ex S. Thoma (in Partis Tertiae prologo), duplex tractationis pars distingui potest, « Prima est *de ipso Incarnationis Mysterio*, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo : secunda de his, quae per ipsum Salvatorem nostrum, id est, Deum incarnatum, sunt acta et passa », ac praecipue *de Redemptionis Opere;* cui partitioni respondet illa recentiorum in *Christologiam* et in *Soteriologiam*.

PARS PRIMA

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO

In hac parte tractandum est de incarnationis existentia, cognitione, natura et adjunctis, consectariis praeciputis, ac demum de ipsius Christi Verbi incarnati perfectionibus et affectionibus : quinque quaestionibus.

QUAESTIO PRIMA

DE INCARNATIONIS EXISTENTIA

. Cum incarnatio, ex definitione allatâ, sit naturae divinae et humanae in una persona conjunctio, ad mysterii existentiam probandam, demonstrare oportet et declarare, 1. Christi divinitatem, 2. Christi humanitatem, 3. utriusque naturae in uno Christo conjunctionem : hinc triplex caput.

CAPUT PRIMUM

De Christi Divinitate

4. — Praenotandum. - Supposito Christum Nazarenum revera exstitisse, et vera esse quae de ipso in novi Testamenti Scripturis narrantur (de quibus agitur in tract. de Religione Revelata), divinitas ejus probanda esset ex novo Testamento contra Socinianos et Rationalistas dicentes eum merum hominem et philosophum insignem, quem Deus ad alios instruendos excitaverit non secus ac Platonem, Socratem, Confucium. Cum vero fere omnia quae ad divinitatem Verbi in tractatu de Trinitate probandam adducta sunt (nn. 24. sqq.), divinitatem quoque Christi directe ostendant, demonstratio summaria in praesenti sufficiet.

5. - Propositio. Jesus Christus verus est Deus.

Prob. Scripturae testantur, Verbum esse factum carnem et habitasse in nobis (Jo. 1), item Deum misisse et dedisse unigenitum suum proprium, factum ex muliere, ut esset propitiatio pro peccatis nostris (Rom. 8. 32 ; Gal. 4. 4. ; Tit. 2. 13, 14 ; 1 Jo. 4. 9, 10) ; atqui haec et similia loca, tum ex propriis contextibus tum ex tota serie et tenore Scripturarum novi Testamenti, ut fatentur vel ipsi rationalistae, non alium quam Jesum Nazarenum respiciunt ; ergo Christus Nazarenus est Verbum Dei et Filius unigenitus Dei, aliis verbis (ex probatis in tract. de Trinitate) est ipse Deus. — Hoc declaratur Rom. 9. 5, « Ex quibus [Judaeis] est Christus se-

cundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen ». Item, 1 Tim. 3. 16 (juxta graec.), « Deus manifestatus est in carne ».

6. — **II.** Idem explicite declarant Patres. Sic ex antiquioribus S. Ignatius M. (ad Magnes. 8. 2), « Unus est Deus, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ejus e silentio progressum ». Necnon S. Justinus M. (Dial. cum Tryph., c. 87) fatetur Christum « Deum praeexstitisse, et carnem factum secundum voluntatem Dei, ex Virgine hominem genitum esse ». Ac S. Irenaeus (l. 1, c 9, n. 3), « Discite ergo insensati [Valentiniani], quoniam Jesus, qui passus est pro nobis, qui inhabitavit in nobis, idem ipse est et Verbum Dei ».

CAPUT SECUNDUM

De Christi Humanitate

7. — Agendum est seorsum de corpore et anima, ex quibus componitur humanitas. Huc spectat definitio Concilii Chalcedonensis, docentis Christum esse « perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationabili et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato » (Denz. 134).

ART. 1. — DE CHRISTI CORPORE

8. — **Praenotanda.** — Ex haereticis veteribus, 1. alii ex principio gnostico de essentiali corruptione materiae, fictam, umbratilem et phantasticam tantum carnem Christo tribuebant, non veram et solidam: sic Basilides, Marcion, Manichaei, etc., qui proinde communi nomine Docetae seu Phantasiastae dicti sunt. — 2. Alii, uti Valentinus saec. II, ac postea (saecc. V et XVI) Priscillianistae et Anabaptistae, docebant Christum habere quidem carnem solidam sed e coelo delapsam, aut saltem (quod voluit Apelles) ex elementis coagmentatum, non ex Maria Virgine procreatum. Cf. Petavius, l. 1, c. 4. — Hinc duplex propositio.

9. — **Propositio I. Verbum divinum verum et reale corpus assumpsit.** — De fide ex definitione citata Concilii Chalcedo-

nensis, et implicite ex praecedentibus synodis Nicaena, Constantinopolitana, Ephesina, quae docent Verbum esse *incarnatum* (Denz. 17, 47, 74).

Prob. I. Qui habet carnem et ossa, qui dicitur dormiisse, flevisse, manducasse, esse circumcisus, fatigatus, passus, etc., verum et reale corpus habet; atqui ex Scriptura Christus carnem et ossa habet (Luc. 24. 39), dormiit (Matth. 8. 24), flevit (Jo. 11. 35), manducavit (Luc. 24. 43), etc.; ergo.

10. — **II.** Declaratur Christi corpus substitutum esse veteris Legis victimis (Hebr. 10. 5-7: cf. Ps. 39. 7), dicitur Christus peccata nostra in corpore suo pertulisse, nosque livore ejus sanasse (Is. 53: 1 Pet. 2. 24), etc.; atqui essent haec omnia falsa, et tota redemptio Christiana illusoria, si Christi corpus phantasticum tantum esset; ergo.

11. — **III.** Patres hoc ipsum argumentum iterant. — Tertullianus (contr. Marc., l. 3, c. 8) dicit, « Nihil enim passus est, qui non vere est passus. Vere autem pati phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei opus. Totum christiani nominis et pondus, et fructus, mors Christi negatur ». Ita et S. Augustinus (lib. 83 quaestt., qu. 14), « Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus: et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus ». Contra docetas scripsit S. Ignatius M. (ad Smyrn. 3. 2), « Et quando ad Petrum et socios ejus venit, dixit iis: Apprehendite, palpate et videte, quod non sim daemonium incorporale. Et confestim ipsum tetigerunt et crediderunt, commixti carne ejus et Spiritu. Propter hoc etiam mortem contempserunt et mortis sunt inventi victores ». Cf. Petavius, l. 5, c. 11, nn. 5, 6.

12. — **Dices.** Ex S. Paulo (Philipp. 2. 7), *a*) Christus fuit « in similitudinem hominum factus », ac *b*) « habitu inventus ut homo »: praeterea *c*) negat Apostolus (2 Cor. 5. 16) se cognoscere secundum carnem Christum, imo *d*) ex prima epistola ad Corinthios (15, 50), « caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt », in quo etiam capite (v. 47) Christus dicitur « secundus homo de coelo, coelestis », atqui haec omnia excludunt a Christo verum et reale corpus; ergo.

Resp. *Dist. Maj. per singula.* — Ad *a*) Fuit Christus factus in similitudinem hominis eodem modo quo dicitur Seth (Gen. 5. 3) genitus in similitudinem Adae, idest in similitudinem specificam, secundum quam unus homo similis est alteri, *conc.;* factus est Christus in meram similitudinem apparentem, *nego:* sequenti enim versiculo dicitur obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,

quae mors supponit corpus verum et reale. Neque quando dicitur Christus (Rom. 8. 3) missus « in similitudinem carnis peccati », excluditur ab ipso realitas carnis humanae et passibilis simpliciter dictae, sed tantum conditio carnis peccatricis et lapsae in Adamo. Cf. S. Thomas, 3, qu. 5, a. 1, ad 1 ; contra Gent., l. 4, c. 29 (« Forte autem »).

Ad *b*) Dicitur Christus in habitu inventus ut homo, eo quod, cum Deus esset, tamen quoad habitum (σχῆμα, seu « universam conditionem ejus externam, ut conspicuam in forma corporis, victu, gestu, incessu, ceteris », ut exponit Beelen in loc.) idest, quantum homines videre potuerunt, nihil ab aliis differebat, *conc.;* significatur Christus veram humanitatem ac proinde corpus non habuisse, *nego.*

Ad *c*) Negat Apostolus se cognoscere jam Christum affectu et gloriatione carnali, propter originem communem ex gente hebraica, *conc.;* negat eum habuisse corpus verum et reale, *nego.* alioquin enim sequeretur, nec alios homines corpora habere, cum Apostolus ibidem dicit universim, « nos ex hoc *neminem* novimus secundum carnem ».

Ad *d*) Caro moraliter spectata (idest, opera carnis, vel homines carnales) regnum Dei non possidebit, *conc.;* caro physice spectata, *subd.:* in conditione praesenti corruptibili et mortali, *conc.;* in statu futuro glorioso, *nego:* tunc autem quoad substantiam idem corpus erit, et donis tantum accidentalibus differet. Et relate praecipue ad statum illum gloriosum et incorruptibilem, dicitur Christus post resurrectionem « homo coelestis ».

13. — Propositio II. Verbum divinum carnem e coelo non detulit, sed eam assumpsit ex Maria Virgine. — De fide ex Symbolo Constantinopolitano, « incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine et homo factus est » ; item ex Symbolo Athanasiano, « homo est ex substantia matris in saeculo natus ». — Hic asseritur tantum contra Valentinianos et Apellem, Verbum corpus e Maria assumpsisse : utrum propterea B. Maria Mater Dei vocanda sit, postea (n. 113) dicetur.

Prob. I. In veteri Testamento continuo post lapsum promittitur reparator, nempe Christus, qui est « semen mulieris » : patriarchis deinde praedicitur ille promissus fore semen ipsorum : postea restringitur promissio ad familiam David, ita ut appellatio « Filius David » in nomen velut proprium Messiae transierit. In novo vero Testamento Christus dicitur semen Abrahae (Gal. 3. 16), factus ex semine David secundum carnem (Rom. 1. 3 ; 2 Tim. 2. 8), factus ex muliere (Gal. 4. 4) : ac ipse Jesus se constanter appellat « Filium hominis ». Atqui haec omnia, ut argumentatur Fran-

zelin, thes. 14, falsa essent, si Verbum divinum carnem non ex genere nostro per generationem ex matre humana assumpsisset, sed de coelo aut ex elementis traxisset, per Mariam duntaxat transiens : transitus enim jam factum supponit ; sicut canalis (quae fuit similitudo haereticorum) transeuntem aquam non facit, sed supponit. Ergo Verbum corpus assumpsit per generationem ex Virgine Maria.

14. — **II.** Ex Patribus distincte declarat doctrinam nostram Tertullianus (de carne Christi, c. 20), « Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Numquid per mulierem, aut in muliere? Hoc quidem impressius, quod *factum* potius dicit quam natum : simplicius enim enuntiasset natum. Factum autem dicendo, et Verbum caro factum est consignavit, et carnis veritatem ex Virgine factae asseveravit ». Item S. Cyrillus Hieros. (catech. 4, n. 10), « Crede vero quod hic unigenitus Filius Dei propter peccata nostra de coelis ad terram descendit, assumpta humanitate ista, iisdem quibus subjicimur affectibus obnoxia ; natusque est ex sancta Virgine et sancto Spiritu : factâ, non secundum opinionem ac fictam speciem, sed secundum veritatem, inhumanatione. Neque per Virginem uti per canalem trajectus, sed ex ea vere incarnatus : manducans ut nos vere, et vere ut nos bibens. Si enim humanae naturae assumptio phantasma fuit, phantasma itidem fuerit salus ». Necnon S. Gregorius Naz. (epist. 101), « Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea divino simul et humano modo factum esse dixerit : divino, quia absque viri opera ; humano quia humani conceptûs lege, aeque atheus est. Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est ». Ita et Ferrandus (epist. 3, ad Anatol., n. 2), « Qua ratione fieret ex semine David, nisi carnem suscepisset ex matre, quae pertinebat ad semen David? De semine enim David Maria, de carne Mariae Christus ». Ac recentius S. Beda (expos. in S. Luc., l. 4, ad c. 11), « Si caro Verbi Dei, secundum carnem nascentis, a carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter, qui eum portasset, ubera, quae lactassent, beatificantur » etc. Alia testimonia apud Petavius, l. 5, c. 16.

15. — **III.** Congruentias assignant theologi, 1. ex parte satisfactionis praestandae, quae justius fit in corpore assumpto de ipsa natura peccatrici ; 2. ex parte triumphi reportandi de diabolo, cujus victor convenientius oritur ex genere ab ipso diabolo aliquando victo ; 3. ex parte divinae potentiae manifestandae, quae ex natura adeo corrupta corpus Dei-hominis producere potuit. Cf. S. Thomas, 3, qu. 4, a. 6.

16. — **Dices.** Ex Scriptura, *a*) Christus (Jo. 3. 13: cf. Ibid. 6. 38) descendit de coelo, secundum corpus sane, cum divinitas sit immensa: item *b*) comparate cum Adamo primo homine terreno de terra, Christus est « secundus homo de coelo coelestis » (1 Cor. 15. 47): ac praeterea *c*) ipse de Maria, aut ad ipsam, matris appellationem non legitur adhibuisse (cf. Matth. 12. 48, 49; Jo 2. 4; 19. 26); atqui haec persuadent Christum corpus a Virgine non traxisse; ergo corpus coeleste habuit: id quod de cetero praestantius esset, et ipsi ideo tribuendum.

Resp. *Dist. Maj. per singula.* — Ad *a*) Christus descendit ratione divinae suae hypostaseos, quae substantialiter unita est in incarnatione naturae in infimis existenti, *conc.;* descendit ratione corporis aut motu locali, *nego.*

Ad *b*) Totum compositum, Christus, comparate cum Adamo, dicitur « homo coelestis » quia id quod primum in ipso est, nempe divinitas, de coelo est, dum id quod primum fuit in Adamo, de terra est, *conc.;* Christus dicitur homo coelestis quoad *corpus* ipsum, *subd.:* eo sensu quod ratione dignitatis suae *jus* habuit ex primo instanti ad humanitatem impassibilem et gloriosam et revera habuit post resurrectionem, *conc.* (vid. infra, n. 233); eo sensu quod corpus e coelo detulisset, *nego.*

Ad *c*) Scriptores sacri vocant persaepe Mariam matrem Christi. Dicta vero ipsius Christi, Matth. 12. 48, 49, significant tantum virtutem, quam gradu eximio certe habuit B. Virgo, plus valere coram Deo quam cognationem carnalem. In locis vero objectis quarti Evangelii usus est Christus appellatione Judaeis consueta ac valde honorifica (« mulier » i. e. « Domina ») quaeque praeterea specialiter congruebat adjunctis, quia in priori casu postulata fuit manifestatio *divinae* Christi potentiae in conversione aquae in vinum: in altero, jam vita excessurus Dominus Mariam constituebat matrem spiritualem S. Joannis et fidelium universim. — Quod additur in conclusione de corporis coelestis praestantia: negandum est, relate saltem ad redemptionis opus, ac spectata positiva Dei voluntate.

ART. 2. — DE CHRISTI ANIMA

17. — **Praenotandum.** — Duplex hîc distinguitur error (apud Suarez, d. 15, s. 2). Primus fuit Arianorum, negantium in Christo fuisse veram animam: dicebant enim Verbum fuisse illi loco animae; alter fuit Apollinaris, qui in principio dicitur sensisse

cum Arianis : postea vero, quibusdam Scripturae testimoniis coactus, dixit in Christo esse animam sentientem, non tamen mentem. Quid autem nomine mentis Apollinaris intellexerit, an scilicet, potentiam intellectivam, vel, quod probabilius videtur, ipsam substantiam rationalis animae, non satis aperte constat. — Patres antiquiores fere omnes de hac quaestione errasse, calumniantur recentiores aliqui Protestantes, contra quos agit Franzelin, thes. 13.

18. — **Propositio. Verbum assumpsit 1. veram animam humanam, eamque 2. rationalem.** — De fide ex Concilio Chalcedonensi (Denz. 134), et Constantinopolitano III (Ib. 237), quae dicunt Christum, « Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore », ac recentius ex Viennensi (Denz. 408).

Prob. prima pars. — **I.** Ex Scriptura, Christi anima aliquando erat turbata (Jo. 12. 27), tristis (Matth. 26. 38), et in morte fuit separata a corpore (Matth. 27. 50; Luc. 23. 46); atqui haec de Verbo intelligi, prohibent tum sermonis proprietas, tum divinae naturae impassibilitas, tum unionis hypostaticae perpetuitas; ergo.

19. — **II.** Ex Patribus antiquioribus, S. Clemens Rom. (ep. 1. ad Cor. 49. 6) ait, « Dominus..... sanguinem suum pro nobis tradidit et carnem pro carne nostra et *animam* pro animabus nostris ». Ita et S. Irenaeus (l. 5, c. 1, n. 1), « Verbum potens et homo verus..... Suo sanguine redimente nos Domino et dante animam suam pro nostra anima ». Item S. Justinus M. (Apol. 2, n. 10), « Quidquid ad Verbum pertinet id exstitit Christus qui pro nobis apparuit, nempe corpus et Verbum et anima ».

20. — **Prob. secunda pars.** — **I.** In textu, « tristis est anima mea », non est sermo de quacumque passione tristitiae, sed de tristitia rationali et voluntaria, ut patet ex verbis illis, « Non mea voluntas, sed tua fiat »; atqui tristitia hujusmodi non potest esse in anima sentiente tantum, nec, ut jam dictum est, in Verbo ipso; ergo.

21. — **II.** Ex scriptoribus antiquis, doctrinam nostram expresse docet Origenes, uti l. 2 de Principiis (c. 6, n. 5), « Fuisse quidem in Christo *humana et rationabilis anima* credenda est, et nullum sensum vel possibilitatem eam putandum est habuisse peccati ». Ita et S. Cyrillus Alexandr. (epist. 4 ad Nestor.: M. 77. 46), « Asserimus Verbum, unita sibi secundum hypostasim carne animata rationali anima, inexplicabili incomprehensibilique modo hominem factum... ». Scribit quoque S. Augustinus (epist. 140, c. 4, n. 12), « Verbum autem incommutabile nihil in deterius commutatum, particeps carnis effectum est *rationali anima mediante*. Neque enim

homo Christus, ut Apollinaristae haeretici putaverunt, aut non habuit animam, aut non habuit rationalem ».

22. — **III.** Ratione theologica. — 1. Christus, utpote perfectus homo, habuit omnia quae ad veram humanitatem requiruntur; atqui anima rationalis est hominis pars principalis: neque compositum ex Verbo, corpore, et anima sentiente vera humanitas esset. — Item 2. ex Patrum axiomate, « quod non est assumptum non est sanatum »; atqui quod in homine maxime cecidit et maxime indigebat sanatione, fuit anima rationalis; ergo Verbum eam assumpsit. — Praeterea 3. Christus oravit, meruit, satisfecit, exercuitque humilitatem, reverentiam, obedientiam: atqui horum omnium incapax esset vel Verbum divinum vel anima sentiens tantum; ergo habuit Christus animam rationalem.

CAPUT TERTIUM

De Unione duarum naturarum in Christo

23. — Ex jam dictis, juxta confessionem Symboli Athanasiani, « Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, *Deus* et *homo* est ». Adhuc vero profitendum est cum eodem Symbolo, « Quia licet Deus sit et homo, non duo tamen sed *unus* est Christus », ac de *modo* quo verus Deus et verus *homo* sit tamen unus tantum Christus, jam quaerendum est.

Concipi possent humanitas et divinitas uniri in Christo, 1. unione tantum accidentali, vel 2. unione adeo arcta, ut amplius non distinguerentur naturae, vel 3. unione personali, qua naturae, integrae et distinctae manentes, ad unum et idem suppositum pertinerent. Primum unionis modum, post magistrum suum Theodorum Mopsuestenum, docuit Nestorius, alterum modum Eutyches: quorum uterque « solvit Jesum » (1 Jo. 4. 3). Unionem tertio loco commemoratam asserit Catholica doctrina in praedicto Symbolo: « Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae, sed *unitate personae* ». Contra praedictos ergo errores agendum est distinctis articulis, et probandum est duplex dogma fundamentale *de unitate personae* et *distinctione naturarum* in Christo, seu de unionis hypostaticae existentia.

ART. 1. — DE UNITATE PERSONAE CHRISTI

24. Praenotanda. — I. Nestorius (episcopus Constantinopolitanus) docuit 1. non meram humanitatem in concreto, seu naturam humanam singularem, sed *hominem* seu personam humanam Jesum conjunctum esse Verbo divino: utrum vero putaverit Nestorius hunc hominem prius tempore exstitisse quam conjungeretur Verbo, non constat: negat Franzelin, thes. 25, n. II; asserunt Petavius (l. 1, c. 9, n. 4; l. 3, c. 3, n. 3) et quidam alii.

Docuit Nestorius 2. hanc conjunctionem hominis Jesu cum Verbo, etsi inseparabilem et permanentem, non fuisse physicam et *substantialem*, sed tantum moralem et *accidentalem*, ac secundum inhabitationem, inoperationem, et mutuam relationem, cujusmodi fuit v. g. conjunctio Dei cum prophetis aut inhabitatio Spiritus sancti in S. Joanne Baptista, gradu tamen excellentiori, quatenus hic homo Jesus assumptus fuerit tanquam instrumentum, speculum et manifestatio perfectior Dei inhabitantis.

Hinc sequebatur, 1. duas esse in Christo personas, personam scilicet divinam inhabitantem et personam humanam inhabitatam: duos item filios, scilicet Verbum, Filium Dei, et Jesum, filium Mariae; 2. Mariam non esse Dei genitricem (θεοτόκον), sed tantum Christi genitricem (χριστοτόκον); 3. non dari in Christo communicationem idiomatum, qua scilicet ea quae sunt propria unius naturae alteri tribuantur in concreto, dicendo v. g. « Deus est mortuus ».

25. — II. Ad hos autem errores dissimulandos, subdole admittebat Nestorius, 1. *unum* esse Christum, seu unam esse personam in Christo, non quidem unitate numerica, sed unitate *morali* aut juridica, propter voluntatum consensionem in duabus personis et propter inseparabilitatem: vel etiam unitate *collectiva* aut copulativa, sicut una est v. g. familia David quamvis ex pluribus personis physice distinctis constituta.

Admittebat 2. Christum esse *Deum*, vel propter auctoritatis divinae communicationem quamdam, eo sensu quo Moyses v. g. dictus est Deus Pharaonis; vel quatenus Verbum divinum propter hanc conjunctionem et inhabitationem in Jesu ad se refert per participationem honores et injurias huic homini factas, et quatenus dignitas divina transfertur ad hominem Jesum ipseque honore supremo colitur, eo fere modo quo statua aut purpura honoratur cum rege et propter regem.

Imo confessus est Nestorius 3. B. Virginem esse *Dei genitricem*, quatenus mater est illius hominis in quo Deus Verbum inhabitat, quique ex hac inhabitatione et conjunctione particeps fit nominis Dei. — Cf. Franzelin, thes. 22, 23, 25; Stentrup, « Christol. », thes. 17, 18.

26. — III. Saeculo elapso Güntheriani ex falsa « personae » definitione (« substantia rationalis naturae »; « substantia sui conscia ») duas in Christo personas reales esse, cum Nestorianis affirmarunt, quae tamen personae propter intimam conjunctionem et propter inferioris ad superiorem subordinationem habeant « unitatem dynamicam »: ac contra hunc errorem quem ipse Günther a Pio IX admonitus retractaverat, parati erant canones in schemate Concilii Vaticani. — Franzelin, thes. 21, n. II; thes. 24, n. II.

27. — **Propositio. Unica tantum in Christo est persona.** — De fide ex Conciliis Ephesino (an. 431) et Constantinopolitano II (an. 553) (1).

Prob. I. Ex axiomate, « actiones sunt suppositorum », ibi unica admittenda est persona ubi unum idemque individuum Deus et homo dicitur, eique tribuitur quod est Dei et hominis; atqui ita de Christo loquuntur Scripturae: commemorat v. g. Apostolus, 1 Cor. 2. 8, Dominum gloriae esse crucifixum: Galat. 4. 4, dicitur Deus misisse Filium suum factum ex muliere; Act. 3. 15, S. Petrus dicit, Judaeos Auctorem vitae interfecisse; ergo.

28. — **II.** Ille qui (Jo. 6. 51) dicebat de seipso, « Ego sum panis vivus qui de coelo descendi », (Jo. 16. 28), « Ego exivi a Patre et veni in mundum », (Jo. 10. 30), « Ego et Pater unum sumus », erat homo qui natus, circumcisus, flagellatus, passus, mortuus est; atqui si duae fuissent in Christo personae, ut voluit Nestorius, non potuisset Christus ita loqui sine mendacio; ergo in Christo est una tantum persona.

Prob. Min. In humano sermone pronomen « ego » denotat personam loquentem modo sensibili et humano, adeoque personam humanam, si fuisset in Christo; atqui falsum est, Christum ut ho-

(1) Concilium Ephesinum, can. 2, « Si quis non confitetur, carni secundum substantiam (καθ' ὑπόστασιν) unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul et hominem, anathema sit » (Denz. 74); et can. 8, « Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum et nuncupandum Deum, *tanquam alterum cum altero*... anathema sit » (Denz. 80). Consonat Conc. Constantinop. II: ita v. g. can. 3, « Si quis dicit *alium esse Deum Verbum*, qui miracula fecit, et *alium Christum*, qui passus est, vel Deum Verbum cum Christo esse dicit, quando ex muliere nascebatur, vel in ipso esse ut alterum in altero, et non unum eundemque Dominum nostrum Jesum Christum Dei Verbum, incarnatum et hominem factum, atque ejusdem miracula et passiones, quas sponte passus est carne, talis anathema sit » (Denz. 174, sqq.).

minem descendisse de coelis, exiisse a Patre, esse unum cum Patre; ergo non fuit in Christo persona humana, sed sola divina.

29. — **III.** Ex Philipp. 2. 8, 9, « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen.... ». — His verbis declaratur homo Jesus per obedientiam usque ad mortem crucis, sibi divinum cultum vindicasse; atqui hoc esset absurdum, nisi in Christo natura humana hypostatice unita fuerit naturae divinae in una persona divina, cujus suprema excellentia objectum formale foret cultus latreutici humanitati ejus oblati; ergo est in Christo una tantum persona.

30. — **IV.** Traditionis testimonium colligitur, 1. ex symbolis omnibus orthodoxis, v. g. ex Athanasiano jam citato, « Deus et homo unus est Christus », « unus..... unitate personae »; 2. ex Patribus non tantum Nestorio coaevis, sed vetustioribus.

Nominatim *S. Ignatius M.* loco celebri (epist. ad Ephes. 7. 2), « Medicus autem unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster ». Et alibi (in eadem epistola, 18. 2), « Deus enim noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria ». Ita et *S. Irenaeus* (l. 1, c. 9, n. 3: jam cit. supra, n. 6), « Discite insensati [Valentiniani], quoniam Jesus, qui passus est pro nobis, qui inhabitavit in nobis, idem ipse est et Verbum Dei ». Ac *Tertullianus* (de carne Christi, c. 5), « Nonne vere crucifixus est Deus? Nonne vere mortuus, ut vere crucifixus? »; et (adv. Prax., c. 27), « Videmus duplicem statum non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum et hominem Jesum ». Item *S. Dionysius Alexandr.* (epist. ad Paul. Samos.), « Dei virtus et sapientia, Verbum sempiternum, qui cum aeternus esset, factus est puer, natus nobis filius ». Scripsit quoque *S. Gregorius Naz.* (epist. 101, ad Cledon., 1: M. 37. 179), « Aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Salvator..... non tamen alius atque alius. Absit. Ambo enim haec connexione unum sunt, Deo nimirum humanitatem, atque homine divinitatem suscipiente ». Qui et paulo post anathema dicit omni, qui « divinitatem in eo [Christo], velut in propheta secundum gratiam operatam fuisse, non autem secundum substantiam copulatam fuisse et copulari dixerit..... Si quis crucifixum non adorat, anathema sit ». Doctrinam eandem ita demum declarat *S. Cyrillus Alex.* (contra Nestor., l. 1, c. 1: M. 76. 19), « Carnem factum esse illud ex Deo Patre Verbum, ait Scriptura divinitus inspirata: hoc est, carni sine confusione et secundum hypostasim unitum esse; neque enim alienum ab eo erat unitum illi corpus et natum ex

muliere, sed ut suum cuique nostrum proprium est corpus, eodem modo etiam Unigeniti corpus proprium illi erat, et non alterius ».

31. — **V.** Recepta et orthodoxa est locutio qua de Christo dicitur, « Deus est homo; homo est Deus » (infra, n. 99); atqui vera non esset ista locutio si humanitas et divinitas non essent in uno supposito unitae; ergo in Christo est unicum tantum suppositum seu persona.

Prob. Min. Diversae formae vel quasi-formae, quae in abstracto non praedicantur de se invicem, nec in concreto praedicantur nisi ob conjunctionem in eodem supposito: v. g. ut vera sit propositio, « album est dulce », necesse est, utramque formam uniri in eodem supposito, ut lacte; atqui humanitas et divinitas sunt diversae formae vel quasi-formae, quae de se invicem in abstracto praedicari non possunt: falsa enim esset propositio, « humanitas est divinitas »; ergo ut verae sint locutiones, « Deus est homo », « homo est Deus », necesse est ut humanitas et divinitas in uno supposito conjungantur. — Cf. S. Thomas, contra Gent., l. 4, c. 39 (« Quum enim »).

32. — **Dices 1.** Ex Scriptura, *a*) humanitas Christi fuit templum (Jo. 2. 19, « Solvite templum hoc »), *b*) divinitas in Christo inhabitat (Coloss. 2. 9, « In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter »), *c*) divinum Verbum humanitate est vestitum (Philipp. 2. 7, « Habitu inventus ut homo »); atqui haec omnia non substantialem, sed accidentalem tantum conjunctionem Verbi cum humanitate significant; ergo non est admittenda unio hypostatica.

Resp. *Ad Maj.* — *a*) Non totam humanitatem, sed corpus dixit Christus templum (v. 21, « Ille autem dicebat de templo corporis sui »), idque sensu metaphorico in Scriptura usitato, qui tamen unionem substantialem non excludit: sic 2 Cor. 5. 1, sqq. corpus humanum dicitur domus, habitatio, tabernaculum (ita et 2 Petr. 1, 13).

Ad *b*) « Sensus est (ait Estius in loc.): In ipso plena deitas inhabitat, non solummodo per gratiam et mirabilium operum efficientiam, sed corporaliter, idest, per unionem ipsius divinitatis cum corporea substantia seu carne humana in persona Verbi ». Cf. Petav., l. 7, c. 11, n. 11. — Ad *c*) Habitus hîc non est vestis, sed hominis tota conditio externa. — Proinde *nego Min.*

33. — **Dices 2.** Patres *a*) aliquando dicunt Verbum assumpsisse *hominem* (ita v. g. S. Ambrosius, aut alius auctor, tract. de Fide, c. 8; S. Augustinus, de Civit. Dei, l. 11, c. 2; cf. hymn. « Te Deum », « Tu ad liberandum susceptûrus hominem »), vel hu-

manam naturam in atomo (ita S. Joannes Damasc., de Fide orth., l. 3, c. 11): item vocant Christum *b*) hominem deiferum (S. Basilius, de Spir. sancto, c. 5 et alibi), hominem dominicum (S. Epiphanius in ancorato; S. Augustinus, lib. 83. quaest., qu. 36, n. 2), *c*) divinitatis templum (v. g. S. Athanasius, Orat. 5): ac *d*) S. Augustinus (Enchirid., c. 35) docet Christum esse « aliud propter Verbum, aliud propter hominem »; atqui haec omnia important duo esse supposita in Christo; ergo.

Resp. *Dist. Maj. per singula.* — Ad *a*) Dicitur Verbum assumpsisse hominem aut humanam naturam in atomo, idest humanitatem singularem et completam ratione naturae, *conc.;* suppositum humanum, *nego.* Rem illustrant verba S. Fulgentii (l. 3 ad Trasim., c. 18), « Passus est Deus in homine quia una est Dei hominisque persona ».

Ad *b*) Dicitur Christus *homo* deifer et dominicus, idest humanitas singularis integra quae substantialiter conjuncta est cum Verbo et ab ipso assumpta, *conc.;* suppositum humanum quod moraliter et accidentaliter conjungitur cum Verbo, *nego.* Hujusmodi vero locutiones S. Augustino (Retract., l. 1, c. 19), et post ipsum S. Thomae (3, qu. 16, a. 3) pluribusque theologis, minus exactae videntur. Cf. tamen Petavius, l. 7, c. 12, n. 4, 10.

Ad *c*) Dicitur Christi humanitas divinitatis templum, instrumentum, etc., propter substantialem conjunctionem, ea ratione qua in quolibet homine corpus templum animae, brachium animae instrumentum (conjunctum) dicitur, *conc.;* propter accidentalem tantum unionem, *nego.* Cf. Petav., l. 7, cc. 10-13.

Ad *d*) Haec verba significant distinctas naturas (*aliud* et *aliud*), *conc.;* distinctas personas (*alium* et *alium*), *nego.*

ART. 2. — DE DISTINCTIONE NATURARUM IN CHRISTO

34. — **Praenotandum.** — Dicebat Eutyches (archimandrita Constantinopolitanus), ante unionem fuisse in Christo duas naturas, divinam et humanam, distinctas et per se existentes, quae facta unione in unam naturam coaluerint: unde Eutychis sectatores Monophysitae dicti sunt. Obscurum vero est, 1. *qua ratione* voluerit Eutyches factam esse unam naturam ex duabus in Christo: an scilicet mixtione, an compositione, an conversione unius in aliam; item 2. *quonam tempore* censuerit Eutyches hanc na-

turarum unionem factam esse : an scilicet in conceptione, an in resurrectione, an demum in ascensione. Cf. Perrone, nn. 422, sqq.

Catholicam doctrinam definivit Concilium Chalcedonense (an. 451) docens « unum eundemque Christum Filium Dominum Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem » (Denz. 134).

35. — Propositio. Duae sunt in Christo post unionem naturae integrae, distinctae et impermixtae, divina scilicet et humana.

Prob. I. Ex proprio ipsius testimonio, Christus fuit ante Abraham (Jo. 8. 58) et tamen multis post saeculis natus de Virgine, fuit unum cum Patre (Jo. 10. 30) et tamen Patre minor (Jo. 14. 28), a nobis discessit (Jo. 16. 28) et tamen nobiscum manet usque ad consummationem saeculi (Matth. 28. 20). Item ex S. Paulo, Christus est Filius Dei consubstantialis, et etiam procreatus humana generatione Filius David (Rom. 1. 3, « de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem »). Ex S. Joanne, Verbum quod erat ab aeterno apud Deum, caro factum est et habitavit in nobis (Jo. 1), fuit homo (Jo. 8. 40), qui fatigatus est (Jo. 4. 6), qui mortuus est (Jo. 19. 30). Atqui haec omnia in una natura verificari non possunt, et proinde admittendae sunt in Christo duae naturae, divina scilicet et humana.

36. — II. Duplicem Christi naturam passim declarant Patres. Ita, praeter locum *S. Ignatii M.* (Ephes. 7 : supra, n. 30), *S. Hilarius* (in Matth., c. 16, n. 5), « Haec enim confessionis tenenda ratio est, ut sicut Dei Filium, ita et filium hominis meminerimus, quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem ». Dicit *S. Athanasius* (orat. 3 contra Arianos, n. 33 : M. 26. 394), « Nisi enim divinitatis Verbi opera per corpus essent facta, nunquam homo divinus effectus fuisset : et vicissim nisi quae carnis propria sunt, Verbi esse dicerentur, ab his homo non penitus fuisset liberatus ». Similiter, ex *S. Augustino* (serm. 47, c. 12) Christus est « Mediator Dei et hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo praeter deitatem, non mediator Deus praeter humanitatem. Ecce mediator : Divinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine divinitate non est mediatrix ; sed inter divinitatem solam et humanitatem solam, mediator est humana divinitas et divina humanitas Christi ». Ita et *S. Leo M.* (serm. 51, al. 94 de Transfig., c. 1), « Unum horum sine altero non proderat ad salutem, et aequalis erat periculi, Dominum Jesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cum utrumque esset pa-

riter confitendum : quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera divinitas ». Qui et alibi (serm. 27, quae est 7 de Nativ. Domini, c. 1), « Verum est quod beatus Joannes plenus Spiritu sancto intonuit : In principio erat Verbum..... Et similiter verum est quod idem praedicator adjecit : Verbum caro factum est..... In utraque ergo natura idem est Dei Filius, nostra suscipiens, et propria non amittens ; in homine hominem renovans, in se incommutabilis perseverans. Deitas enim, quae illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiae subiit, nec Dei formam servi forma violavit ».

Nec aliter *S. Cyrillus Alexandrinus*, cujus patrocinium invocabant Eutychiani : nam dicit expresse (op. de Incarnatione Domini, c. 31 : M. 75. 1471), « Duas esse naturas et didicimus et docemus » ; ac postea (c. 32 : col. 1474), « Vocabulis adunationis, conjunctionis et communionis constanter utemur, naturarum quidem distinctionem, personae vero unitatem dogmatizantes ». Et ex eodem Patre (contra Theodoret., ad anath. 2 : M. 76. 399), « Secundum subsistentiam unionem [καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν] dicimus factam, verbo hoc, *secundum subsistentiam*, nihil aliud demonstrante, nisi solum Verbi naturam, sive subsistentiam, quod est ipsum Verbum, humanae naturae vere unitam *sine ulla conversione atque confusione*, sicut saepisime diximus, unum intelligi et esse Christum, eundem Deum et hominem ».

37. — **III.** Duarum naturarum in unam coalitio facta esset in sententia eutychiana vel per conversionem aut commixtionem, vel per compositionem ; atqui ita fieri non potuisset ; ergo manent duae naturae distinctae.

Prob. Min. per partes. — 1. Non per *conversionem* aut *commixtionem* aliquam. Si enim *a*) dicatur natura divina conversa in humanam, Deus mutationem subiisset, et Christus non esset Deus : si vero *b*) dicatur natura humana conversa in divinam, Christus non esset homo, et ipsa divinitas dicenda esset passa et mortua : si autem dicatur *c*) tertium aliquid novum exoriri, Christus nec Deus esset nec homo.

2. Non per *compositionem*. Ad unam naturam per compositionem efficiendam eae tantum substantiae coalescunt, quae non sint seorsum naturae perfectae sed mutuam indigentiam et ordinationem ad se invicem habeant, et in se mutuo perficiantur (sicut v. g. corpus et anima humana) ; atqui natura humana quam Christus habet, ut de divina taceatur, in se perfecta erat et completa ratione naturae ; ergo. — Cf. S. Thomas, 3, qu. 2, a. 1.

Solvuntur Objectiones

38. — Obj. 1. Parallelae sunt propositiones, « Verbum caro factum est » (Jo. 1. 14), ac « aqua vinum facta est » (cf. Jo. 2. 9); atqui haec veram conversionem importat; ergo et illa.

Resp. *Dist. Maj.* Quoad formam verborum, *conc.;* quoad significationem, *subd.:* quatenus Verbum realiter et substantialiter factum est homo (assumendo sibi et faciendo suam singularem naturam humanam), sicut et aqua realiter et substantialiter facta est vinum, *conc.;* quatenus in utroque casu habetur conversio, *nego:* subjectum enim prioris propositionis propter infinitam suam perfectionem nullam subire potest mutationem. — Proinde *nego paritatem et consequentiam.*

39. — Obj. 2. Patres plures conjunctionem humanitatis cum divinitate in Christo *a*) vocant mixturam seu mixtionem (ita v. g. Tertullianus, SS. Irenaeus, Cyprianus, Augustinus, Leo M., Gregorius Naz., etc.: cf. Petavius, l. 3, c. 2, nn. 14, sqq.), eamque *b*) assimilant conjunctioni corporis et animae in homine (ita saepius S. Leo M., ac S. Cyrillus Alex.), vel *c*) transsubstantiationi eucharisticae (v. g. S. Justinus, apol. 1, n. 66): imo dicunt *d*) humanitatem Christi fuisse deificatam (ita S. Gregorius Naz., S. Joannes Damasc., alii: apud Petavium, l. 4, c. 9, nn. 3, sqq.), ac *e*) praesertim post resurrectionem, a divinitate absorptam (ita v. g. S. Hilarius, de Trin., l. 3; ac praecipue S. Gregorius Nyss., l. 4, contra Eunom., et alibi); atqui haec omnia excludunt distinctionem naturarum in Christo; ergo.

Resp. *Dist. Maj. per singula.* — Ad *a*) Ad significandam naturarum unionem arctissimam, *conc.;* earum confusionem, *nego:* neque enim res admixtae semper pereunt (v. g. oleum et aqua). Sic se explicat S. August. (epist. 137, c. 3, n. 11), « In hac persona [Christo] mixtura est Dei et hominis: si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam; quamquam et in ipsis corporibus aëri lux incorrupta misceatur ».

Ad *b*) Ut significetur naturarum confusio, *nego;* naturarum conjunctio substantialis, *subd.:* in unitate personae, *conc.;* in unitate naturae, *nego.* Similitudinem hanc, imperfectam sane eo quod unio hypostatica sit prorsus singularis et sine exemplo, sic explicat Symbolum Athanasianum, « Unus omnino, *non confusione substantiae, sed unitate personae.* Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus ».

Ad *c*) Ut significetur vera et realis praesentia corporis et sanguinis, *conc.;* ut significetur conversio, *nego.*

Ad *d*) Quatenus fit caro personae divinae, et consequenter donis supernaturalibus exornatur, *conc.;* quatenus desinit esse vera humanitas, *nego.* « Neque enim (ait S. Cyrillus Alexandrinus, contra Nest., l. 2, c. 8: M. 76. 95), illam Verbi carnem dicimus factam esse divinitatem, sed potius divinam, ut illius propriam: nam si hominis caro humana dicitur, quid etiam prohibet divinam dicere illam, quae est Dei Verbi caro? »

Ad *e*) Absorpta est humanitas non tantum quoad infectionem communem peccati et concupiscentiae, sed post resurrectionem, etiam quoad defectus illos qui vocantur passiones *irreprehensibiles* (passibilitatem, mortalitatem etc.), *conc.;* quoad essentialia naturae, *nego.* Dicit S. Cyrillus (ep. 145, ad Succens., 1: M. 77. 235), « Post resurrectionem erat quidem illud ipsum corpus, quod passum fuerat, non tamen adhuc in se humanas infirmitates habens..... Esse autem in deitatis naturam transmutatum, neque quisquam e Sanctis Patribus aut sensit aut docuit, neque nos ita sentimus ».

40. — Obj. 3. Nominatim docet S. Cyrillus Alexandrinus, *a*) unam esse naturam Verbi Dei incarnatam (μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην: epist. 145, ad Succens. 1: M. 77, 232; et alibi), *b*) distingui duas naturas in Christo ratione tantum et mentis consideratione (epist. 146, ad Succens. 2, n. 4: M. 77. 246), et expresse dicit *c*) « post unionem, naturas alteram ab altera non dividimus » (epist. 45, ad Succens. 1: M. 77. 231); atqui haec est ipsa Eutychianorum doctrina; ergo.

Resp. *Dist. Maj. per singula.* — Ad *a*) Docet S. Cyrillus, unam esse naturam Verbi *incarnatam*, ut significet contra Nestorianos unitatem ontologicam Christi, et excludat duas *per se subsistentes naturas*, seu duas hypostases, *conc.;* docet simpliciter cum monophysitis unam esse naturam Christi, *nego. In recto* igitur, et ut principium *quod*, exprimitur *natura Verbi per se subsistens*, idest hypostasis Verbi (dicit ipse S. Doctor, contra Theod., cit. supra n. 36, « Verbi *naturam*, sive subsistentiam, quod est *ipsum Verbum* »). *In obliquo* autem (per participium « incarnata ») exprimitur natura humana a Verbo assumpta et propria subsistentia carens. Suam mentem sic exponit S. Cyrillus (epist. 46, ad Succens. 2, n. 3: M. 77. 243), « Si dicentes unam Verbi naturam, tacuissemus ac minime adjunxissemus, *incarnatam*, excluso propemodum dispensationis mysterio, esset illorum fortasse oratio non inepta, dum interrogare se simulant: Ubinam est in humanitate perfectio, aut quomodo subsistit illa nostra essentia? Sed quia et illa in

humanitate perfectio, et essentiae nostrae declaratio illata est dum dicimus *incarnatam*, desinant baculo inniti arundineo ».

Hac proinde locutione optime significatur tum *unica persona* tum *duplex natura* Christi, eamque sic intellectam usurparunt alii Patres et consecrarunt Concilia. Ita v. g. Concilium Constantinopolitanum II, can. 8, « Si quis..... unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, et non sic has voces intelligit, sicut sancti Patres docuerunt, quod ex divina natura et humana, unitione secundum subsistentiam (καθ' ὑπόστασιν) facta, unus Christus factus est; sed ex hujusmodi vocibus unam naturam sive substantiam (μίαν φύσιν, ἤτοι οὐσίαν) deitatis et carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit » (Denz. 179). Ita et Concilium Lateranense sub Martino I, can. 5 (Denz. 206). Cf. Franzelin, thes. 35; Newman, « Tracts theol. and eccles. », tract. 4 (praesertim pp. 316, 334, edit. 1874)

Ad *b*) Negat duas esse res distincte subsistentes et divisas ac moraliter tantum conjunctas (ut volebant Nestoriani), *conc.;* docet duas naturas confundi, *nego:* ut constat ipso exemplo quod desumit S. Doctor ex anima et corpore, quae certe distincta sunt, licet non sint divisa et separata. Huc spectat Concilii Constantinopolitani II, can. 7 de trib. capit. (Denz. 178). « Si quis..... numerum naturarum confitens in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo Deo Verbo incarnato, et non *tantummodo contemplatione* differentiam eorum accipit ex quibus et compositus est,..... sed propterea numero utitur tanquam *divisas* et *propria subsistentia consistentes naturas* habeat, talis anathema sit ». Cf. Franzelin, thes. 35, coroll. 2; Holzclau, n. 213.

Ad *c*) Negat divisionem aut separationem in sensu Nestoriano praedicto, *conc.;* negat distinctionem naturarum, *nego.* Mentem ejus declarant verba immediate subsequentia, « neque in duos Filios illum unum impartibilemque secamus, sed unum asserimus Filium, et ut Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam ».

41. — Obj. 4. Unus tantum est Christus; atqui admissa distinctione naturarum, non est unus: sicut enim propter divinae naturae unitatem unus tantum est Deus, e contrario si in Christo duae sunt naturae, duo sunt Christi; ergo.

Resp. *Nego Min. et probationem.* Etenim ad multiplicanda concreta substantiva, requiritur multiplicitas tum naturae tum suppositi. Hinc non sunt tres dii, quia natura non multiplicatur: nec sunt duo Christi, quia suppositum non multiplicatur.

42. — **Conclusio.** « Veritas igitur est revelata (ait Franzelin, thes 21), in Scripturis, in symbolis, in Conciliorum definitionibus

et constanti ac universali SS. Patrum doctrina proposita, Jesum Christum Deum-hominem unam esse hypostasim sive personam in duabus naturis divina et humana inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter permanentibus »: seu constat de incarnationis existentia.

QUAESTIO SECUNDA

DE INCARNATIONIS COGNITIONE

43. — **Praenotandum.** — De hujus mysterii cognitione, seu ad intellectum creatum habitudine, pariter tenendum est ac de SS. Trinitatis cognitione (nn. 56, sqq.), nempe 1. illud non posse cognosci, *an sit*, nisi ex revelatione divina, nec supposità etiam revelatione facti comprehendi, *quid sit* aut *quomodo sit;* revelatâ autem ejus existentiâ, posse 2. probari ejus possibilitatem seu non-repugnantiam negative, imo 3. et summam convenientiam. Hinc triplex propositio.

44. — **Propositio I. Incarnatio Verbi cognosci non potest nisi revelatione divina.**

Prob. I. Doctrina quae dicitur simpliciter in Scripturis « sapientia abscondita », « sacramentum absconditum », « mysterium absconditum », non potest naturali ratione cognosci aut intelligi; atqui incarnatio dicitur 1 Cor. 2. 7, sqq. sapientia abscondita quam nemo principum hujus saeculi cognovit sed solus Spiritus qui scrutatur profunda Dei, per quem et Deus eam revelavit : item Eph. 3. 9, « sacramentum absconditum a saeculis in Deo », et Coloss. 1. 26, « mysterium quod absconditum fuit a saeculis et generationibus » ac 1 Tim. 3. 16, « Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne »; ergo sola revelatione divina cognosci potest.

45. — **II.** Verba S. Petri, Matth. 16. 16, « Tu es Christus, Filius Dei vivi », ex interpretatione Patrum (v. g. SS. Hilarii, Chrysostomi, etc. : cf. Knabenbauer in loc., p. 50) sunt professio divinitatis Christi et incarnationis divinae; atqui Christus ipse docet cognitionem hujus mysterii non haberi naturaliter, sed ex Paterna revelatione; ergo.

Prob. Min. Verba Christi (v. 17), « Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est », significant Petrum ex peculiari Dei beneficio et gratia mysterium cognovisse ipsiusque revelationem a Patre accepisse;

atqui inepte haec dicerentur, si incarnatio naturaliter cognosci potuisset; ergo. — Idipsum colligitur ex Matth. 11. 27, « Nemo novit Filium nisi Pater », et ex Jo. 6. 44, « Nemo potest venire ad me [per fidem utique], nisi Pater qui misit me traxerit illum ».

46. — **III.** Veritas quae dicitur a Patribus « prodigium intellectum superans », « ineffabilis et arcanus concursus », quem « nisi fides credat, sermo non explicat », naturali ratione cognosci et intelligi nequit; atqui talis est incarnatio; ergo.

Prob. Min. Dicit v. g. S. Proclus (ad Armen. epist. 2), « Deus igitur Verbum factus est homo perfectus, sed ita ut prodigium intelligentiam superans immutabilem naturam non imminuerit ». Et S. Cyrillus Alex. (hom. pasch. 17, n. 2: M. 77. 775), « Convenerunt nimirum prorsus occulto modo, qui nec percipi animo nec explicari queat, in id quod unum esse tantummodo deinceps intelligimus, divinitas simul et humanitas ». Item a S. Hippolyto (contra Beronem et Heliconem) vocatur incarnatio « Ineffabilis quaedam et irrupta in unam subsistentiam utriusque [naturae] facta unitio, omnem penitus omnis creaturae scientiam fugiens ». Ac S. Leo Magnus (serm. 9, c. 1), « In Christo Jesu Filio Dei, non solum ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est per Prophetam: Generationem ejus quis enarrabit? Utramque enim substantiam in unam convenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat ».

47. — **IV.** Ratione. — Naturalis incarnationis cognitio habenda esset vel a priori seu per causas, vel a posteriori seu per effectus; atqui, etiam supposita revelatione facti, incarnationis existentia aut possibilitas nec a priori nec a posteriori naturaliter probari potest; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Demonstrari nequit a priori seu per causas. Non *a*) per causam physicam, nempe voluntatem omnipotentem Dei, quippe quae circa hoc mysterium libera fuit: nec *b*) ex causa formali, seu ex essentia et definitione ipsius mysterii, scilicet « conjunctio divinae et humanae naturae in una persona Verbi »: haec enim finiti et infiniti conjunctio hypostatica non potest ex aliqua analogia in creaturis inventa declarari, multo minus comprehendi ratione naturali.

2. Nec a posteriori, seu per ipsius effectus, demonstrari potest incarnatio. Non *a*) per effectus *naturales*, v. g. per locutionem, mortem, etc. Christi: quod patet; nec *b*) per effectus *supernaturales:* quae sunt vel cognitioni naturali nullomodo perceptibiles (uti gratia, satisfactio), vel si sint sensibiles (uti miracula), citra revelationem directe ostendunt tantum Christum esse divinitus missum, non vero Deum et hominem esse: majora enim miracula pa-

trarunt Apostoli (Jo. 14. 12, « Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet »); ergo.

48. — Obs. de cognitione angelica hujus mysterii. — Videtur extendi haec propositio ad *angelicam* etiam cognitionem : quamvis enim angeli ex praestanti rerum naturalium scientia quâ gaudent, non perciperent (v. g. ex defectiva ejus virtute aut scientia), in Christo creatam subsistentiam esse, attamen, ut ait Billuart (d. 1, a. 2, consect.), « prudenter dubitassent, an sibi illa subsistentia occultaretur ob latentes divini consilii rationes », nec certo concludere potuissent, naturam humanam divinâ subsistentiâ terminari. Cf. Suarez, d. 3, s. 1. n. 4. — Lugo quidem (d. 1, n. 8) dicit, « angelum suae naturae relictum non fore tam alienum a suspicione unionis hypostaticae, ut aliqui volunt », sed mox (n. 9) fatetur angelum proprio lumine adeo parum de hoc mysterio *cognoscere* posse, « ut merito dicatur ipsum latuisse ».

Bonis tamen *angelis* incarnationem de facto *revelatam* fuisse, videtur certum, v. g. ex adoratione Christi in conceptione aut nativitate illius (cf. Hebr. 1. 6, « Adorent eum omnes angeli Dei » : 1 Tim. 3. 16, « apparuit angelis, praedicatum est gentibus »), ex obsequio ei in deserto praestito (Matth. 4. 11). *Daemonibus* autem non fuisse ab initio revelatum mysterium, probabilius videtur, idque suadere censetur 1 Cor. 2. 8, « Quam [Dei Sapientiam] nemo principum hujus saeculi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent ». Sic etiam S. Leo M. (serm. 66, c. 3), « Saevienti diabolo potentiam suae majestatis occuluit [Christus]..... Si enim crudelis et superbus inimicus consilium misericordiae Dei nosse potuisset, Judaeorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere ». Proinde explorando tantum et tentando, dicebant daemones (Luc. 4. 34), « Scio te quis sis, Sanctus Dei », et (Matth. 4. 3), « Si Filius Dei es » ; aut certe cognitio qualiscumque quam de ipso non tantum ut Messia sed ut Deo habebant (uti videretur significari Matth. 8. 29, « Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? » : Luc. 4. 41, « Tu es Filius Dei..... sciebant ipsum esse Christum »), fuit ex veterum prophetiarum indiciis, non ex ratione pure *naturali* accepta. — Censetur incarnatio revelata fuisse pluribus in vetere Testamento, uti Adae, Abrahae, Job, Balaam, et prophetis.

49. — Propositio II. Incarnatio non est impossibilis, seu rectae rationi contraria.

Prob. Ut incarnatio impossibilis diceretur, probandum esset, ipsam vel ex parte Verbi divini, vel ex parte humanitatis assum-

ptae, vel ex parte unionis hypostaticae evidenter repugnare; atqui ex nulla parte demonstrari potest, incarnationem evidenti alicui veritati evidenter repugnare; ergo non est impossibilis incarnatio.

Minor post demonstratam incarnationis *existentiam*, credentibus prorsus certa est ex principiis generalibus: veritas enim veritati cujuscumque ordinis contradicere non potest, et axioma est, « ab actu ad posse valet consecutio ». Specialius vero:

1. Non repugnat incarnatio *ex parte Verbi.* — Repugnantia esset vel *a*) quia Verbum non posset supplere vices personalitatis humanae, aut *b*) quia assumendo naturam humanam mutaretur, et *c*) imperfectiones plures admitteret; atqui *a*) demonstrari nequit, personalitati divinae et infinitae, quae eminenter continet omnes perfectiones creatas, evidenter repugnare quod suppleat vices subsistentiae humanae: neque *b*) ita supplendo evidenter mutaretur: nihil enim absolute et simpliciter novi in persona divina poneretur, sicut ex divina volitione et operatione nulla mutatio in Deo accidit: demum *c*) imperfectiones, ut fames, sitis, dolor, etc., incarnationem consequentes, humanam naturam non divinam afficiebant; ergo.

2. Non repugnat *ex parte naturae humanae.* — Repugnantia ex hac parte esset, quod humana natura singularis et integra, suâ tamen subsistentiâ et personalitate humanâ privata, videretur quid impossibile; atqui hoc evidens non est: si enim *a*) cum Thomistis (infra, n. 84), conciperetur personalitas aut subsistentia ut aliquid *reale* a natura ipsa *distinctum* et separabile, certe possibilis esset humana natura sine subsistentia propria: si vero *b*) cum aliis, diceretur subsistentia consistere in « totietate » seu *in modo existendi in se tota*, qui modus non realiter sed ratione tantum cum fundamento in re a substantia et natura singulari distinguatur, humana natura eo ipso quod assumatur a persona divina quae facit eam suam, caret conditione ad personalitatem propriam necessaria, nempe isto modo existendi *in se tota;* ergo.

3. Non repugnat *ex parte unionis hypostaticae.* — Haec repugnantia haberetur ex difficultate seu impossibilitate conjungendi in eodem supposito duas naturas infinite distantes; atqui nobis ratio intrinseca personalitatis seu subsistentiae, nedum divinae sed et creatae, non adeo aperta et manifesta est, ut conjunctionem hujusmodi impossibilem jure pronuntiemus: sicut nec impossibile est, etsi nobis inexplicabile quoad modum, duas res adeo diversas et primo intuitu tam oppositas ut sunt corpus et anima humana, in una persona intime uniri; ergo. — Cf. Legrand, diss. 1, c. 2, a. 2; Billuart, d. 1, a. 1.

50. — Propositio III. Incarnatio fuit maxime conveniens tum Deo, tum homini, tum demum toti universo.

Prob. prima pars. — Illud est maxime *Deo* conveniens, per quod attributa praecipua divina maxime manifestantur; atqui per incarnationem praecipua Dei attributa, nimirum omnipotentia, sapientia, bonitas, misericordia, justitia, etc. maxime manifestantur; ergo.

Prob. Min. scilicet, in incarnatione maxime manifestantur praecipua Dei attributa. 1. Omnipotentia quidem, quia uniuntur res maxime et infinite distantes; 2. sapientia: miro enim modo *a*) conciliatur justitia et misericordia, *b*) superantur et eluduntur diaboli artes; 3. bonitas: de ratione enim boni est sese communicare: major autem sui ad alteram naturam communicatio excogitari nequit quam unio hypostatica (cf. S. Thomas, 3, qu. 1, a. 1); 4. misericordia: « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret:.... ut salvetur mundus per ipsum » (Jo. 3. 16, 17); 5. justitia: ope enim incarnationis fit Deo satisfactio rigorosa pro peccati injuria, ut postea (n. 282) dicetur.

51. — Prob. secunda pars. — *Homo* consideratur vel in individuo vel in specie; atqui incarnatio fuit maxime conveniens homini utroque modo spectato; ergo.

Prob. Min. — 1. Individuo, singulari scilicet humanitati, quam Verbum assumpsit, per incarnationem praerogativae multae collatae sunt, v. g. ut sit fons et instrumentum salutis, cultus latriae objectum, caput totius universi, etc.; atqui haec maxime conveniunt. — 2. Speciei, idest toti naturae humanae incarnatio maxime conveniens fuit: nam *a*) pars ejus exaltata est in humanitate singulari Verbi, ita ut omnes homines sint Christi fratres (cf. Hebr. 2. 11); *b*) ex incarnatione etiam maxima bona hominibus restituta et collata sunt.

52. — Prob. tertia pars. — Humanitas est *pars universi:* imo est « microcosmos », seu parvus mundus, ut dicunt Patres, participans v. g. cum lapidibus existentiam, cum arboribus vitam vegetativam, cum brutis vitam sensitivam, cum angelis vitam intellectualem (vid. S. Gregorius M., hom. 29 in Evang., n. 2): exaltatio proinde humanitatis Christi in incarnatione in totum universum redundat.

53. — Obs. Aliud conveniens est intrinsece, aliud extrinsece tantum. — Intrinsece conveniens illud est, quod rem ipsam perficit et aliqua ratione complet: extrinsece autem conveniens est

id, quod ad perfectionem et integritatem rei nullo pacto requiritur, eique affert solum decorem quemdam extrinsecum quo ipsa non indiget. Sic v. g. mundus, utpote divinis perfectionibus exprimendis et declarandis idoneus, supremo Numini, quod per se sibi sufficientissimum est, dicitur convenire (cf. de Deo Creatore, n. 26). Et simili sensu, idest extrinsece tantum, non autem intrinsece, dicitur in prima propositionis parte incarnatio Deo conveniens esse.

QUAESTIO TERTIA

DE INCARNATIONIS NATURA ET ADJUNCTIS

CAPUT PRIMUM

De Unionis Hypostaticae Quidditate

54. — **Praenotanda.** — I. Vox « unio » sumitur aliquando sensu activo ad denotandam actionem unientis et sic sumpta melius diceretur « unitio »: unio autem proprie dicta est terminus seu effectus hujus actionis unitivae. De quidditate unionis hypostaticae tum active tum passive sumptae disputant theologi, disputatione tamen quae modum tantum loquendi et dogmatis explicationem, non dogma ipsum respicit.

55. — II. De quidditate unionis hypostaticae *active* sumptae duplex distinguitur sententia apud Suarez, d. 8, s. 1. *Prima* docet unitionem non esse actionem mere unitivam sed productivam etiam humanitatis, non in se sed in Verbo: docet videlicet, actionem istam incarnativam producere humanitatem Christi non ut independentem et sui juris, sed ut in divino Verbo subsistentem. *Secunda* sententia quam tradit S. Thomas cum pluribus antiquis theologis (Scoto, Alensi, Durando, Gabriele, etc. apud Suarez, l. c., nn. 2, 6) docet contra quosdam « modernos Thomistas », incarnationem esse actionem mere unitivam, et ex natura rei esse distinctam a creatione rationalis animae et productione humanitatis.

56. — III. Alia quaestio est de quidditate unionis hypostaticae proprie idest passive dictae, seu de termino actionis unitivae. Antecedenter videlicet ad istam actionem unitivam, existebant duo seorsum, Verbum scilicet et humanitas, illud quidem prioritate durationis, haec autem prioritate rationis tantum: posita vero actione unitiva seu incarnativa, inter duo ista extrema, Verbum et humanitatem, existit unio quae antea non erat. De qua unione jam inquiritur, an sit aliquid *tertium realiter et physice distinctum* a Verbo et humanitate, an vero mera *relatio*.

1. *Affirmant* aliqui theologi (inter quos sunt Scotus, Suarez, Vasquez, Lugo, Salmanticenses), unionem esse aliquid ab extremis realiter distinctum in quo veluti in vinculo seu medio ipsa uniantur : aliter enim (insistunt isti theologi) *a*) nullus esset terminus actionis unitivae, nec *b*) esset aliquid quod tolleret indifferentiam naturae humanae ad unionem cum Verbo. Quid autem sit istud tertium ab extremis realiter distinctum, inter auctores illos non convenit : aliis *a*) putantibus illud esse entitatem realem aliquam, qua veluti vinculo vel glutino natura humana cum divina copuletur ; aliis *b*) (qui Modistae vocantur) dicentibus cum Suarez illud esse modum quemdam existendi realem, humanitati superadditum ac proinde ex natura rei ab ea distinctum.

2. *Negativam* sententiam tenent multi alii theologi, qui ad auctoritatem S. Thomae (3, qu. 6, a. 6, ad 2) provocant. Ita v. g. ex Thomistis, Gonetus et Billuart, ex Societate Jesu Toletus et Holzclau, ex familia Franciscana Charmes et Knoll a Bulsano. Censet Legrand (d. 6, c. 1, a. 2, col. 606), rem prorsus incertam esse, nec posse auctoritate Scripturae aut Traditionis, vel ratione theologica aut philosophica decretoria dirimi.

57. — Propositio I. Actio unitiva humanitatis cum Verbo, et productio humanitatis Christi, licet eodem temporis instante fierent, erant tamen actiones realiter distinctae.

Prob. Distinctio realis et specifica actionum desumitur ex distinctione specifica terminorum ; atqui illarum actionum termini sunt distincti formaliter et specifice : terminus enim formalis productionis humanitatis est ipsa humanitas simpliciter : terminus vero actionis unitivae est humanitas quatenus terminatur a Verbo divino et subsistit in ipso (ut dicetur prop. seq.) ; ergo. — Vid. Suarez, l. c., n. 22, ubi advertit, effectionem *animae* Christi v. g. esse veram *creationem* et ita differre ab effectione unionis, quae non est actio ex nihilo sed ex praesupposito subjecto, scilicet humanitate.

58. — Dices. *a*) Explicita est sententia S. Leonis M. (epist. 35 ad Julian., c. 3), « Naturam nostram non sic assumptam esse, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur », idque omnino exigit *b*) divina maternitas, quia aliter B. Virgo non Deum, sed merum hominem genuisset, ac praeterea *c*) ex identitate termini (qui est Christus) actionis productivae et actionis unitivae, sequitur eas esse identicas ; ergo non realiter differt actio productiva humanitatis Christi ab actione unitiva.

Resp. Ad *a*) et *b*). *Dist.* Haec important, contra Nestorianos,

concomitantiam in tempore, seu simultaneitatem actionis productivae et actionis unitivae (quae ostendetur infra, n. 88), *conc.;* important earum identitatem, *nego.* — Ad *c*) *Nego.* Terminus enim actionis productivae est ipsa humanitas, utrum in propria vel in aliena subsistentia existens: terminus autem actionis unitivae est subsistentia humanitatis in Verbo divino.

59. — Propositio II. Unio hypostatica non est aliquid realiter distinctum a Verbo et humanitate unitis.

Prob. I. Si Verbum per se ipsum immediate unitur cum humanitate, eo ipso et reciproce unitur humanitas immediate cum Verbo, nec unio est aliquid ab extremis realiter distinctum; atqui Verbum per seipsum immediate unitur cum humanitate; ergo.

Prob. Min. Verbum unitur humanitati per illud quo eam terminat et sustentat (sicuti v. g. homo in rebus materialibus dici posset uniri per manum ponderi, quod sustentat); atqui Verbum per seipsum, sua personalitate, terminat et sustentat humanitatem: Verbum enim divinum in terminando humanitatem virtute quadam personae suae propriâ, non est minus actus purus et simplex quam in producendo, virtute tribus personis communi, res ad extra; atqui in producendo res ad extra, exercitium virtutis divinae non est aliquid realiter distinctum ab ipsa virtute divina; ergo a pari Verbum per seipsum immediate humanitatem terminat. — Billuart, d. 4. a. 3; cf. Franzelin, thes. 33, n. I.

60. — II. Ut ista entitas realiter distincta, quam fingunt auctores praedicti, nexus esset inter extrema, deberent extrema uniri ipsi vel mediate vel immediate. Si dicantur extrema uniri istî entitati mediante alia entitate, habetur processus in infinitum: si vero immediate, tunc sequitur, non omnem unionem esse necessario entitatem distinctam ab extremis; ergo. — Holzclau, n. 256.

61. — Obs. Ad duplex Modistarum argumentum in praenotandis (n. 56) indicatum, haec sufficiet advertisse: 1. Actio quidem quae est productiva debet habere terminum simpliciter novum: actio vere *mere unitiva* nihil aliud efficit, quam quod res jam existentes incipiant aliter se habere. — 2. Ad humanitatis autem indifferentiam ad unionem tollendam, sufficit decretum Dei volentis ut functio Verbi hypostatica ita ad hanc numero humanitatem extendatur, ut deinceps (in se nihil mutata) sit humanitas Verbi: alioquin et ipsum Verbum, utpote ad unionem etiam indifferens, per aliquid superadditum determinari debuisset.

62. — **Corollarium.** — Qui negant terminum actionis unitivae esse aliquid ab extremis realiter distinctum, docent consequenter istum terminum esse ipsa extrema cum nova habitudine seu relatione. Billuart v. g. statuit, « Terminum formalem actionis unitivae esse ipsam Verbi personalitatem ut terminantem humanitatem ; materialem ipsam humanitatem ut terminatam a Verbo ». Et Holzclau ait (n. 257), « Unio igitur hypostatica, physice sumpta, consistit in personalitate Verbi et humanitate, non quidem absolute, et secundum se sumptis, quia sic sumptae poterant ambae esse, quin essent unitae, ut patet : sed sumptis *respective*, h. e. in humanitate ut terminata ac dependente ab hypostasi Verbi ; et in hypostasi Verbi ut terminante humanitatem ita dependentem ».

CAPUT SECUNDUM

De Unionis Hypostaticae Adjunctis

Hic occurrunt plures quaestiones subsidiariae tum de facto tum de possibili, quae commode revocari possunt ad has, *quis*, *quid*, *quomodo*, *quando*, *qualis*.

ART. 1. — « QUIS » : SEU DE CAUSA

Non agitur de causa *efficiente* : tres enim personae divinae, volendo quod hypostasis Verbi ad hanc specialiter humanitatem a primo creationis illius instanti sese extendat, incarnationis opus sicut et alia opera ad extra effecerunt. Praecipue inquiritur de *persona assumente* et de *causa meritoria*.

§ 1. *De Persona assumente*

63. — **Praenotandum.** — Doctrinae Sabellianorum de unica in Deo persona, consectarium necessarium fuit, totam divinitatem in hypothesi incarnationis (quam quidem ipse Sabellius negasse videtur : cf. Petavius, l. 1, c. 3, n. 7) carnem assumpsisse, mortuam esse, etc., unde derivatum est nomen « Patripassianorum » : haud constat vero, hos haereticos dixisse *aliam* personam divinam *prae* Filio carnem assumpsisse. Alios quosdam indicat Suarez (d. 12, s. 1) qui de hac quaestione erraverunt, uti Petrum Fullonem cum Theopaschitis ac Roscellinum (contra quem agit S. Anselmus, « de Fide Trinitatis », c. 4).

64. — Propositio. Sola Filii persona naturam humanam assumpsit. — Juxta Suarez (l. c.) est de fide definita in Quinta Synodo (Constantinopolitana II), quae declarat (cann. 4 et 10: Denz. 175, 181), directe contra Monophysitas ut videtur, « Unum de Trinitate », nempe Verbum divinum, incarnatum esse. Distinctius asseritur in Symbolo Concilii Toletani XI (an. 675), « Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati..... » (Denz. 231). Idem declaratur in symbolo Concilii Rhemensis (an. 1148) sub Eugenio III, « Credimus et confitemur, ipsam divinitatem sive substantiam divinam, sive naturam dicas, incarnatam esse, *sed in Filio* » (Denz. 329), ac postea (an. 1210) in professione fidei, quam Innocentius III Waldensibus praescripsit (Denz. 368).

Prob. I. Solus Filius dicendus est incarnatus, si Scripturae, quotiescumque de incarnatione loquuntur, eam Filio tribuunt, nunquam Patri aut Spiritui sancto, imo ab his potius excludunt; atqui res ita se habet; ergo.

Minor ex Scriptura patet: *Quoad primam partem* v. g. ex Jo. 1. 14, « Verbum caro factum est », Ibid. 3. 16, « Sic Deus dilexit mundm, ut Filium suum unigenitum daret »; *quoad secundam vero partem*, v. g. ex Jo. 14. 28, « Pater *major* me est » (quae verba falsa viderentur, si *Pater* etiam incarnatus fuisset), et ex Jo. 15. 26, « *Mittam* vobis a Patre Spiritum veritatis » (quae veraciter vix dici potuissent, si *Spiritus* sanctus jam in carne venisset). Consonant Symbola (« Qui conceptus est de Spiritu sancto »; « Qui propter nos homines..... »). — Hoc argumento utuntur Suarez, l. c., et Holzclau, n. 276.

65. — II. Ex Patribus, dicit S. August. (l. 15, de Trin., c. 11, n. 20), « Ideoque non Deus Pater, non Spiritus sanctus, non ipsa Trinitas, sed solus Deus Filius, quod est Verbum Dei, caro factum est, quamvis Trinitate faciente ». Ita et S. Fulgentius (contra Ser. Fastid., c. 18), « Non ergo Patris, neque Spiritus sancti illa quae solius Verbi est càro: quia Deo Verbo non est cum Patre et Spiritu sancto unius personae communio ». Ac S. Ildefonsus (l. de Virginit. B. Mariae), « Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te: sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te ».

66. — III. Rationes congruae plurimae a Patribus traduntur, propter quas conveniens fuit Filii personam, potius quam alias incarnari. Videlicet 1. ut qui ab aeterno erat Filius Dei, fieret in

tempore Filius hominis; 2. ut a Verbo per quod facta sunt omnia, omnia restaurarentur; 3. ut persona media in Trinitate esset mediator inter Deum et hominem. Cf. S. Thomas, 3, qu. 3, a. 8.

67. — **Dices.** Incarnatio, utpote opus ad extra, communis est toti Trinitati; ergo non sola persona Verbi humanitatem assumpsit.

Resp. *Dist. Anteced.* Incarnatio active spectata, seu quatenus est *efficientia* (idest quatenus voluntatis divinae decreto producit et conservat naturam humanam, ejusque unionem cum Verbo), commune est opus totius Trinitatis, *conc.;* incarnatio terminative spectata, seu quatenus est *assumptio* naturae humanae (idest dum quaeritur, *quis sit habens naturam*) est communis tribus personis, *nego.* Verbum videlicet terminare humanitatem, significat hanc hypostasim quae jam habet naturam divinam, incipere citra ullam sui mutationem habere, ut sibi propriam, naturam quoque humanam: haec ergo terminatio, quae non est proprie operatio sed tantum relatio seu novus respectus personae, pertinet ad ipsam hypostasim, non quatenus est natura (hoc aliquid), sed quatenus est hypostasis (hic aliquis): et cum hypostasis ratione distinguatur a natura, non magis proinde repugnat, solam personam Verbi, functione sua hypostaticâ terminare humanitatem hanc singularem, quam repugnat idem ipsum Verbum generari, quin tota Trinitas generetur. Doctrinam nostram sic tradit S. Thomas (3, qu. 3, a. 4, corp.), « Id quod est *actionis* in assumptione commune est tribus personis: sed id quod pertinet ad rationem *termini*, convenit ita uni personae, quod non alii: tres enim personae fecerunt, ut humana natura uniretur uni personae Filii ». Cf. Franzelin, thes. 32; Stentrup, thes. 32, pp. 563, sqq.

68. — **Quaestiones de possibili.** — 1. Utrum tres personae potuerint assumere unam eamdemque naturam humanam vel angelicam. Negat S. Anselmus cum Scoto, quibus Lugo favere videtur: anceps haeret Petavius, affirmant S. Thomas (3, qu. 3, a. 6) et theologi communiter. Nulla enim videtur esse repugnantia ut eadem creata natura per potentiam obedientalem terminetur a tribus personis quae jam in una et eadem natura divina subsistunt. In qua hypothesi, propter unitatem numericam humanitatis assumptae, tres personae divinae forent unus homo, sicut unus sunt Deus.

2. Utrum una eademque persona divina duas pluresve potuerit assumere naturas (v. g. humanas). Affirmat S. Thomas (l. c., a. 7), propter divinae personae potentiam et vim terminandi infinitam, qua Verbum divinum jam terminat duas naturas, ex quibus una est divina. Sed quaeri ulterius potest, an diversae istae

humanitates ab una persona assumptae dicendae essent plures homines an unus homo. Cum S. Thoma (a. 7, ad 2) theologi communiter contra Vasquez, negant esse duos vel plures homines: quia ad multiplicanda nomina substantiva concreta multiplicari debent tum forma tum suppositum: hinc quemadmodum in tribus personis est unus Deus, et in duabus naturis unus Christus, similiter in ista hypothesi foret unus (homo-Deus) habens praeter naturam divinam, duas vel plures humanas naturas. Cf. Lugo, d. 3, nn. 17, sqq.

3. Utrum singulae personae divinae, Pater vel Spiritus sanctus aeque ac Filius, potuissent assumere naturam creatam. Videtur cum S. Thoma (l. c., a. 5) affirmandum: unio enim Verbi cum natura humana facta est in personalitate: personalitatis vero ratio ex aequo convenit tribus personis.

4. Utrum ipsa *natura* divina potuerit assumere aliam naturam seu incarnari. Natura formaliter qua talis non potest naturam aliam assumere: sic enim, ait S. Doctor (in 3, d. 5, qu. 2, a. 3), non haberet esse in re sed tantum in intellectu: ergo *sola ratione subsistentiae* potest divina natura assumere aliam naturam. In hypothesi porro subsistentiae *absolutae* in Deo, admittere licet naturam divinam ratione hujus absolutae subsistentiae posse incarnari: et ita (juxta Billuart, d. 6, a. 3) docent communiter Thomistae, qui praeter subsistentias tres relativas admittunt in Deo subsistentiam absolutam. Alii vero theologi qui relativas tantum subsistentias in Deo agnoscunt, negant naturam divinam posse incarnari. Cf. Franzelin, thes. 3, n. I, annot.

5. Utrum suppositum creatum possit absolute loquendo alienam naturam terminare et hypostatice sustinere. Id admittebant aliqui veteriores (apud Suarez, d. 13, s. 4, n. 1), cum in hoc nullam viderent repugnantiam: negant Thomistae communiter et alii, propter limitationem personalitatis creatae. Cf. Billuart, d. 6, a. 1.

§ *De Causa Meritoria*

69. — Propositio I. Nec humanitas Christi, nec ipse Christus meruit unionem hypostaticam.

Prob. prima pars. — Si *humanitas Christi* istam unionem meruit, fuit per actiones istam unionem vel 1. tempore, vel 2. natura et ratione praecedentes; atqui neutrum dici potest; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Non meruit per actiones istam unionem tempore praecedentes: nam *a*) damnatus est ab ecclesia error Origenis, asserentis mentem Christi ante Christum exstitisse (vid. Concilium Constantinopolitanum II, can. 6: Denz.

192): ac illud de tota Christi humanitate affirmare, induceret Nestorii haeresim de duplici in Christi persona. — Praeterea *b*) etsi a Deo humanitas Christi aliquo instanti reali ante unionem sui cum Verbo producta fuisset, illam unionem nec de condigno nec de congruo mereri potuisset: humanitas enim ista esset mera creatura, cujus opera (si opera ponere potuisset) nullam proportionem haberent ad substantiam incarnationis.

2. Nec meruit per actiones natura priores. Subsistentia est conditio praerequisita ad operandum: non enim operatur humanitas sed homo; atqui humanitas Christi nunquam habuit subsistentiam humanam; ergo non meruit per actiones etiam natura priores. — Cf. Lugo, d. 8, s. 1.

70. — **Prob. secunda pars.** — Meritus fuisset *Christus* istam unionem aut 1. per actiones tempore vel natura priores, aut 2. per merita unionem subsequentia et a Deo praevisa; atqui neutrum dici potest; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Non per actiones tempore vel natura priores: Cum enim Christus unione hac constituatur, implicat eum complete sumptum, et consequenter ejus meritum, esse tempore vel natura prius unione.

2. Nec per merita unionem subsequentia. Juxta doctrinam omnium theologorum cum S. Thoma (3, qu. 2, a. 11, corp.), « principium meriti non cadit sub merito »: alias enim idem esset meritum et praemium, causa et effectus, adeoque idem prius et posterius; atqui unio hypostatica in Christo est principium et radix omnis meriti in praesenti ordine; ergo non potest esse objectum meriti.

Dices. Praenuntiatum est de Christo (Ps. 44. 8), « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae [nempe divinitatis] prae consortibus tuis »: item (Apoc. 5. 12), « Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem »; atqui haec aperte significant Christum meruisse unionem hypostaticam; ergo.

Resp. *Nego Min.* Nam in utroque textu juxta aliquos agitur non de unitione personali humanitatis cum divinitate in incarnatione, sed, hac supposita, de externa Christi glorificatione et de cultu divino ipsi, praesertim post passionem et resurrectionem, tribuendo. — In alia prioris textus (Ps. 44. 8) expositione, quam tradunt S. Augustinus et alii (apud Bellarminum in loc.), particula « propterea » idem sonat hebraice ac « eo quod »: et sic non significatur amor justitiae esse causa unctionis, sed e converso

unctio (seu unio hypostatica) causa fuisse, cur Christus ab ipso initio, aliter ac reliqui homines, omnino sanctus fuerit.

71. — **Propositio II. Veteres patriarchae aliquas incarnationis circumstantias (nempe stirpis, loci et temporis) meruerunt, non quidem 1. de condigno, sed 2. de congruo.** — Est communis : de circumstantia autem temporis Lugo (l. c., n. 34) dicit se valde dubitare. Dicitur « aliquas circumstantias », ipsa enim incarnatio secundum substantiam, utpote principium omnis meriti, sub merito vel de condigno vel de congruo non cadit.

Prob. prima pars. — Ad meritum de condigno requiritur, praeter alias conditiones, promissio, quod si quis hoc vel illud praestet, praemium illud rependetur ; atqui nulla promissio hujusmodi facta est Patriarchis circa incarnationis circumstantias ; ergo.

72. — **Prob. altera pars.** — Patriarchae rationabiliter dici possunt aliquas incarnationis circumstantias de congruo meruisse, si hoc non solum non repugnat in se, sed etiam in Scriptura innuitur ; atqui 1. non repugnat in se : potuit enim prius decerni et praevideri Christus futurus, postea vero ex meritis praevisis Patrum, fundatis in meritis Christi futuris, decerni, quod congruentius nasceretur ex tali progenie, tali tempore, tali loco. — 2. Id videtur ex Scriptura colligi : ad Abraham enim dictum est (Gen. 22. 16, sqq.), « Quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi..... et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae » : similis facta est promissio Davidi (2 Reg. 7. 16) propter bonam voluntatem templum aedificandi ; ergo.

Obs. Verba Angeli Dan. 9. 24, « Septuaginta hebdomades *abreviatae* sunt », juxta hebr. significant tantum tempus illud *praefixum* aut *definitum* esse, ac proinde non ostendunt Danielem incarnationis accelerationem meruisse.

73. — **Propositio III. Beata Virgo maternitatis divinae adeptionem non quidem 1. de condigno, sed 2. de congruo aliquo meruit.** — Dicitur « maternitatis divinae *adeptionem* » : non solum enim incarnatio ipsa quoad substantiam, ut jam dictum est, sed et *electio* in Dei matrem, meritum omne creatum excedit : merita enim humana omnia in hoc uno Christo ex hac nominatim matre genito fundantur ; ac praeterea nonnisi intuitu maternitatis divinae concessa sunt Mariae tot ac tanta gratiae et gloriae dona singularia. Cf. Suarez, d. 10, s. 8, n. 2.

Prob. prima pars. — Ad meritum de condigno requiritur promissio ; atqui nulla facta est B. Virgini promissio divinae mater-

nitatis; ergo. — Adde, merita cujuscumque creaturae purae condigne adaequari per beatitudinis consecutionem et augmentum; atqui divina maternitas est bonum alterius ordinis, ad quod creata merita proportionem non habent.

74. — Prob. secunda pars. — Patres et liturgia docent, B. Virginem meruisse aliquo modo maternitatem: ita S. Hieronymus (epist. 22, ad Eustoch., n. 38), « Tantae exstitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur », et S. Augustinus (de nat. et grat., c. 36), « Concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum »: ita et hymnus ecclesiae, « quia quem meruisti portare »; atqui non meruit de condigno; ergo de congruo aliquo. — Dicit Lugo, n. 39, « Non magis repugnat, Virginem meruisse maternitatem, quam alios Patres meruisse esse Christi progenitores..... quia Abraham non potuit mereri esse Christi progenitorem, nisi merendo quod aliquis, vel aliqua ejus filia Christum generaret, vel quod ipse vel aliquis ex ejus posteris generaret Dei genitricem ».

75. — Dices. Si Maria meruit ut Filius Dei ab ipsa nasceretur, principium meriti sub merito caderet; atqui repugnat principium meriti sub merito cadere; ergo non meruit B. Virgo divinam maternitatem .

Resp. *Dist. Maj.* Si, nondum praevisis meritis Salvatoris, B. Virginis futura opera meruissent coram Deo, ut Dei Verbum homo fiat, aut ut ipsa in matrem Dei eligeretur, principium meriti sub merito caderet, *conc.;* si suppositis, independenter ab hac vel illa matre, Salvatoris meritis, et supposità gratuità Mariae electione in matrem Dei, ipsa antequam Salvator actu incarnaretur posuit per Salvatoris gratiam opera de congruo meritoria ut ipsa prae ceteris mulieribus ad divinae maternitatis dignitatem elevaretur (« ut dignum Filii habitaculum efficeri mereretur »), principium meriti sub merito caderet, *nego.*

Quod ut explicetur, supponenda sunt 1. decretum generale de Verbo divino ex aliqua matre humana incarnando, ac 2. praevisio divina mortis ejus infinite meritoriae et satisfactoriae (in qua satisfactione praestanda Christus independens fuit a Matre: praesertim si cum pluribus dicatur vita Christi nonnisi per dispositionem specialem Dei ultra naturae leges usque ad crucem servata: vid. Lugo, d. 8, nn. 85, 86). His ergo suppositis, concipi potest 3. Deus ope scientiae mediae videre Mariam, in hypothesi talium et talium gratiarum ita eis cooperaturam, ut de congruo meritura esset ut Salvator, jam praevisus ut vir adultus, ab ipsa prae aliis mulieribus carnem in tempore congruentius sumeret. De-

inde 4. Deus intuitu meritorum Christi, liberrime electâ Mariâ in Christi matrem, decernit ei absolute illam seriem gratiarum singularium, ex quarum usu fidelissimo fit 5. ut Maria mereatur de congruo in exsecutione divinam maternitatem. Ad rem S. Bernardus (hom. 2 super « Missus », nn. 1, 4), « Factor hominum, ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex hominibus debuit eligere, imo concedere matrem, *qualem et se decere sciebat*, et sibi noverat placituram..... Missus est Angelus ad Virginem..... nec noviter nec fortuitu inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam, et *sibi praeparatam* ».

In hac ergo expositione, ut dicit Stentrup, thes. 77 (p. 1221), « non magis Virgo merens maternitatem divinam meretur incarnationem, quam civis qui impetrat, ut rex urbem aliquam visurus in suam, potius quam alterius domum divertat, ipsum simpliciter adventum regis meretur »; nec magis meretur B. Maria divinae maternitatis praedestinationem, quam, juxta plurium theologorum sententiam, justus per opera bona vere merens gloriam aeternam, meretur praedestinationem ad ipsam. « Beata Virgo (ait S. Thomas, 3, qu. 2, a. 11, ad 3) dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit *ex gratia sibi data* illum puritatis, et sanctitatis gradum, *ut congrue posset esse mater Dei* ». Cf. Suarez, d. 10, s. 8, n. 5.

Art. 2. — Quid immediate assumpsit Verbum divinum

76. — Praenotandum. — Jam vidimus verum corpus animamque humanam rationalem, seu completam naturam humanam, a Verbo divino juxta catholicam doctrinam assumptam fuisse. Inquirunt praeterea theologi, utrum *immediate* assumpserit Verbum non tantum corpus et animam, sed et alias humanae naturae partes ac praecipue sanguinem. — Illud vero dicitur assumi vel uniri immediate et proxime, seu « secundum hypostasim », et ratione sui, quod a Verbo terminatur immediate, sive nulla alia parte mediante: seu quod Verbum fecit suum substantialiter et inseparabiliter, ita ut subsistat subsistentia Verbi. Dicitur vero uniri *mediate*, seu « in hypostasi », pars quae non immediate Verbo conjungitur, inest tamen naturaliter in natura assumpta. — Durandus negavit sanguinem, quem utpote vitae nutrimentum (ad instar olei in lampade), dicebat corporis partem esse in potentia potius quam in actu, immediate a Verbo assumptum fuisse. Osiander etiam et quidam Lutherani, quo facilius negarent Catholicam doctrinam de concomitantia in Eucharistia, dicebant corpus Christi in coelo exsangue esse.

77. — Propositio. Verbum divinum immediate assumpsit sanguinem. — Certa et communis sententia.

Prob. Ex humanae naturae partibus componentibus, illam jure dicendum est Verbum divinum immediate assumpsisse, quae 1. ad naturae integritatem pertinet, quam 2. Verbum dicitur assumpsisse aeque ac carnem, et cui 3. praecipue attribuitur redemptio humana; atqui ex Scriptura ejusmodi est sanguis; etenim 1. ex Levit. 17. 11 ,« Anima carnis in sanguine »; 2. ex Hebr. 2. 14, « Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse [Christus] similiter participavit eisdem »; 3. ex Apoc. 1. 5, « Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo » (cf. Ephes. 1. 6, 7; 1 Petr. 1. 19; 1 Jo. 1. 7); ergo Verbum divinum sanguinem immediate assumpsit.

Huc referri possunt dicta plurima Patrum. Ita S. Clemens Rom. (1 Cor. 49. 6), « Dominus noster Jesus Christus voluntate divina sanguinem suum pro nobis tradidit et carnem pro carne nostra et animam pro animabus nostris ». Similiter S. Irenaeus (cit. supra, n. 19). Item S. Basilius (hom. in Ps. 61, n. 3), « Pretium hominis est sanguis Christi ». Ac S. Leo M. (serm. 62, qui est 11 de Pass. Dom., c. 3), « Fudit [inimicus] sanguinem justum, qui reconciliando mundo et pretium erat et poculum ». Denique S. Joannes Chrys. (hom. 46 in Jo., n. 4) de Christi sanguine dicit « Hoc est orbis pretium, hoc est quo Christus ecclesiam emit..... hoc illam totam ornavit..... Christus nos sanguine suo et emit et ornavit..... ».

78. — Scholion 1. — Ex paritate rationis, Verbum immediate assumpsit, praeter sanguinem, alias partes *integrales* quae in corpore sunt, inter quas enumerat Holzclau, n. 308, ossa, nervos, arterias, membranas, item ungues et capillos: ista enim omnia ad naturae integritatem pertinent. Non assumpsit autem Verbum immediate, sed tantum mediate, idest in humanitate assumpta, lacrimas, sudorem, salivam aliasque corporis superfluitates, quae ad humanae naturae integritatem et perfectionem non pertinent, quaeque proinde non subsistebant subsistentia Verbi, sed propria naturali, nec erant unitae Verbo in triduo mortis, nec sunt nunc in Eucharistia.

79. — Scholion 2. — Verbi unionem immediatam cum *corpore* in isto triduo *interruptam* esse, censuerunt cum Gabriele scholastici quidam, et antea antiqui aliqui Patres, quos citat Petavius (l. 12, c. 19): imo ex iis, S. Ambrosius putasse videtur non tantum carnem sed et *animam* a Verbo tunc ad tempus separatam fuisse. Attamen, ait Petavius (l. c., n. 5), « non dubium est quin

vulgo a theologis, imo a Christianis opinio ista repudietur ». Probatur communis sententia ex Symbolo dicente *Christum* fuisse sepultum et descendisse ad inferos : Christi autem nomine intelligitur divinum Verbum conjunctum cum humanitate, aut tota simul, aut cum ejus partibus. — Verbum illo triduo non fuisse *hominem*, tenendum est cum vera et communi sententia contra Hugonem Victorinum et Petrum Lombardum : etsi enim Verbum manserit hypostatice unitum animae et corpori separatis, non erat unitum naturae integrae. Ex S. Thoma (3, qu. 52, a. 3), cum masculino genere significetur *persona*, in isto triduo fuit *totus Christus* tum in inferno tum in sepulcro, propter conjunctionem Verbi divini cum corpore et cum anima separatis.

80. — Scholion 3. — *Totum moraliter loquendo sanguinem* quem Christus in Passione effudit, non vero quem in tota vita habuit, *remansisse conjunctum* cum Verbo in triduo et ab ipso in resurrectione reassumptum, docet sententia communis (cum Dominicanis contra Franciscanos : cf. Denz. 609), et sequitur ex jam dictis : sanguis enim iste pertinebat ad integritatem humanitatis et fuit immediate assumptus ; ex axiomate autem recepto, « quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit ». Aliter sentiendum esset de illis particulis sanguinis Christi, si tamen genuinae sint, quae remanere feruntur in aliquibus Passionis dominicae reliquiis, uti in sindone sacra et corona spinea ; eo enim ipso quod in praevisione divina istae particulae post resurrectionem non fuissent resumendae, nunquam immediate unitae fuissent Verbo divino. Cf. Billuart, d. 7, a. 2.

81. — Quaestio de possibili: « Utrum substantiae incompletae et accidentia possint assumi a Verbo », solvenda est ex principio, quod illa sunt assumptibilia quae sunt intrinsece capacia propriae subsistentiae et existentiae : persona enim divina aliquid assumendo non tanquam forma constituit illud, sed mere terminat. Quidquid ergo non est secundum se terminabile seu *capax propriae subsistentiae aut existentiae* non potest assumi immediate a persona divina. Hinc anima rationalis est assumptibilis, cum posset per se existere et subsistere : non ita vero accidens saltem immediate : bene vero *mediante* substantia cui inhaeret. Vid. Billuart, d. 7, a. 1, § 3 ; Suarez, d. 5, sect. 8, n. 2. — Creatura irrationalis (ait S. Thomas, 3, qu. 4, a. 1, ad 2) non habet *congruitatem*, ut uniatur Deo secundum esse personale.

Art. 3. — Quomodo Verbum humanitatem assumpsit

82. — Praecipue inquirunt theologi, 1. utrum Verbum assumpserit humanitatem per aliquid absolutum an per aliquid relativum, seu, utrum *unio facta sit in aliquo absoluto an in relativo;* 2. an ita unio facta est, ut humanitas *amiserit aliquid positivum;* 3. an ita, ut humanitas *existat existentia Verbi*; 4. an, et quo sensu, Verbum assumpserit carnem *mediante anima.* — De his breviter agendum distinctis paragraphis.

§ 1. *Utrum per aliquid absolutum*

83. — Durandus ex doctrina sua peculiari de *unâ solâ subsistentiâ* eâque absolutâ in Deo (vid. de Trin., n. 175), docuit, in incarnatione humanitatem uniri immediate cum hac subsistentia absoluta et ita terminari et fieri subsistentem, nonnisi mediate vero conjungi cum proprietate personali Filii. — Communis autem doctrina contra hanc sententiam, quae alioquin innititur falso fundamento de una subsistentia absoluta in Deo, docet cum S. Thoma (3, qu. 2, artt. 1, 2), Verbum terminare humanitatem proxime et formaliter per propriam subsistentiam relativam. Rationes sunt: 1. Humanitas non est incompleta ratione naturae sed tantum ratione subsistentiae: Verbum ergo eam non complet ratione naturae sed ratione personalitatis. — 2. Si Verbum terminaret humanitatem proxime per subsistentiam absolutam, non tantum Filius ipse sed et Pater et Spiritus sanctus terminarent humanitatem et incarnarentur: quidquid enim est absolutum convenit toti Trinitati; falsum autem est, totam Trinitatem incarnari; ergo. — Cf. Billuart, d. 6, a. 2.

§ 2. *Utrum tollendo humanitati aliquid positivum*

84. — I. Quaestio haec, utrum unio hypostatica ita facta sit, ut humanitati Christi, eo quod personalitate propria careat, desit aliquid positivum et reale: pendet ex quaestione alia, an scilicet personalitas sit aliquid reale superadditum naturae singulari: aliis verbis, an realiter distinguatur natura et hypostasis.

Si sermo sit de creaturis (in *divinis* enim natura non distinguitur realiter a persona), constat naturam *in abstracto*, nempe id quod significatur in definitione rei, realiter distingui quoad multa a natura in concreto, et proinde ab hypostasi. Videlicet natura in abstracto includit tantum essentiam seu id quod est

de ratione speciei (v. g. natura humana in abstracto includit compositionem ex anima et corpore): natura autem in concreto et hypostasis, v. g. hic homo Paulus, includit reale esse, hoc determinatum corpus, determinatam hanc animam, accidentia haec individualia. — Quaestio autem praesens est de distinctione inter hanc naturam ipsam *in concreto* et hypostasim, utrum scilicet haec singularis humanitas v. g., ex hoc corpore, ex hac anima, ex his accidentibus, sit hypostasis per aliquid superadditum naturae.

II. Multi et graves auctores affirmant naturam singularem integram habere rationem hypostaseos, seu constitui hypostasim, incommunicabilemque existere per aliquid *positivum* naturae superadditum et ab ipso separabile. Hanc rem superadditam aliqui putaverunt esse *substantiam absolutam* quae posset citra repugnantiam existere realiter sine natura quam informet: prudentiores vero appellant hanc rem *modum substantialem* a natura *realiter distinctum*. Hujus sententiae (quam tenent Gregorius de Valentia, Suarez, Lugo, Vasquez, Tepe etc., ex Societate Jesu, ac Thomistae communiter) praecipuum argumentum ex mysterio incarnationis desumitur: Si enim natura realiter identificetur cum hypostasi, nec desit humanae naturae Christi aliquid reale quod inest ceteris hominibus, humanitas Christi videretur esse, ut dicebat Nestorius, vera persona sicut ceterae humanitates.

III. Alii vero theologi dicunt naturam seu substantiam singularem et integram esse etiam hypostasim per modum existendi *in se totam*, seu quatenus a superiore persona non assumitur, sed sibi permittitur. Hic autem modus existendi, seu « totietas », quamvis *realis* et independens a nostri intellectûs consideratione, non distinguitur realiter in horum auctorum sententia ab ipsa substantia sed tantum ratione cum fundamento in re, et est *ipsa res spectata sub alia et alia habitudine:* sicut v. g. unum et idem dicitur *substantia* quatenus est subjectum accidentium, et *ens per se* quatenus a nullo dependet cui innitatur: aut iterum sicut « granum tritici dicitur et est tum *semen* tum *fructus*, non tanquam res alia et alia, sed aliud significat semen aliud fructus » (Theodor. Abucara, Opusc. 28: apud Franzelin, thes. 31, p. 283).

In hac ergo sententia (quam post Scotum et plures antiquiores tenent substantialiter Tiphanus, Petavius, ac recentius Franzelin et alii) non defectu alicujus rei, sicuti fit v. g. quando anima separatur a corpore, sed imo accessu rei infinitae, hypostaseos videlicet divinae, fit ut humana Christi natura non sit in se hypostasis: sicut juxta exemplum quo utitur S. Gregorius Naz. (epist. 100, ad Cledon. 1: M. 37. 186), « exigua scintilla accedens magno incendio nec exstinguitur, nec tamen comparet, nec sejuncta

manet [ut aliquid totum in se], sed totum est unus rogus superante nimirum eo, quod praestantius est ». Exempla alia afferuntur, uti ex triangulo quod desinit tale esse ac fit quadrangulum, non per aliquam subtractionem, sed per alterius trianguli accessionem. Nec ideo, ut objiciunt adversarii, favetur Nestorianismo quia ex hypothesi, per ipsam assumptionem a Verbo factam *deest* humanitati Christi *conditio* ad personalitatem requisita, nempe « totietas », seu modus existendi *in se tota* et incommunicabilis. Cf. Stentrup, « Christol. », thes. 32. — Hanc sententiam esse conformem doctrinae Patrum, S. Thomae et S. Bonaventurae, exponit Franzelin, thesibus 30, 31 : cf. Pesch. nn. 89, sqq.

IV. Commemoranda quoque est alia sententia, quam ex recentioribus propugnant v. g. De Maria (Ontol., pp. 543, sqq.) et Billot (de Incarn., pp. 129, sqq.) quamque etiam S. Thomae adscribunt. Haec sententia, facta distinctione in creatis naturis inter essentiam productam et existentiam, docet naturam humanam Christi ideo non esse personam, quia caret creato actu essendi seu existentia naturali propria, existitque existentia increata Verbi. De hujus autem sententiae fundamento jam aliquid dicendum est paragrapho sequenti.

§ 3. *Utrum dando humanitati ipsam existentiam*

85. — Existentia definiri solet « essentia in actu », aut « actualitas essentiae » : et rei omni singulari extra suas causas positae videretur competere existentia, imo ipsa res aut natura actualis est sua existentia. Cogitarunt tamen Thomistae recentiores post Cajetanum, cum quibusdam aliis, actualitatem entis non esse existentiam ipsam formalem, sed tantum dispositionem ad ipsam. — At vero, res quae *jam actu est*, per formalem istam existentiam superadditam nihil aliud videretur posse accipere, quam ut *hoc potius modo* quam alio esset, nempe vel in se per modum totius et subsistentis, vel in alio per modum naturae : aliis verbis, in hac sententia videretur *existentia*, contra consuetum modum loquendi, confundi cum *subsistentia*.

Humana ergo Christi natura, cum sit res producta, extra statum possibilitatis posita, *actualis* et integra, habere videtur omnino suam *existentiam creatam*, nec existere existentia divina Verbi. Et ita docent Lugo, Suarez, Vasquez, Ysambert, Tiphanus, Franzelin, etc. : qui ad S. Thomam provocant. Verum quidem est, Patres dicere humanam Christi naturam habere *existentiam in Verbo*, minime vero dicunt ipsam habere *existentiam divinam*

Verbi sed suam humanam. Sic v. g. Euthymius (Panopl. tit. 16), « De Christo unam hypostasim personalem praedicamus, eas vero quae existentiam significant, duas affirmare licet, ne alterutram naturam sine existentia esse dicamus »; et S. Cyrillus Alex. (adv. Nestor., l. 1, c. 1 : M. 76. 19, fin.), distincte significat Verbum, praeter propriam existentiam quam a Patre habet, habere etiam carnalem, seu humanam existentiam (σαρκικὴν ὕπαρξιν) a Virgine. Cf. Stentrup, thes. 10.

Sequitur proinde ex dictis, Christum habere, praeter *esse* naturae divinae, aliud *esse* naturae humanae. Modum autem loquendi quod attinet, non est simpliciter dicendum, « Christus est duplex *esse* », ne duae hypostases asseri videantur; potest tamen et debet dici, « Christus est *esse* divinum, et *habet* etiam *esse* naturae humanae ». — Vid. Franzelin, thes. 34; Pesch, nn. 106, sqq.; ac pro Thomistis Billuart, d. 17, a. 2.

§ 4. *Utrum et quatenus assumendo carnem mediante anima*

86. — Post exortum Arianorum et Apollinistarum errorem de negatione rationalis animae in Christo (supra, n. 17), frequens erat locutio apud SS. Patres (v. g. Gregorium Nazianz., Augustinum, Damascenum, Origenem : apud Suarez, d. 17, s. 4, n. 1), « Verbum assumpsisse carnem *mediante anima* ». Hac locutione non negatur *corpus* esse immediate seu hypostatice assumptum a Verbo : alioquin enim contra doctrinam communem dicendum esset corpus Christi in triduo mortis non fuisse conjunctum Verbo; neque asseritur anima esse quasi *vinculum* uniens carnem ad Verbum : inde enim etiam sequeretur corporis et divinitatis separatio in triduo illo.

Vera autem effati explicatio post S. Thomam (3, qu. 50, a. 2, ad 2; et qu. 6, artt. 5, 6) haec est, quod caro assumpta sit *propter habitudinem ad animam et ratione illius.* Etenim 1. ratione *dignitatis* (ut ait Ysambert, ad qu. 6 : disp. 1, a. 7), anima est nobilior corpore; est etiam substantia spiritualis propter quam corpus est, ut instrumentum propter id cujus est instrumentum. — Item 2. ratione *congruitatis* ad speciales fines incarnationis, anima fuit aliquo modo causa finalis assumptionis carnis : est enim assumpta caro, ut exerceat suas actiones modo naturali et per has posset mereri; sed corpus etiam assumptum hypostatice, seclusâ in perpetuum animâ, nihil conferret ad finem incarnationis : nec enim oves pascere, docere, leges ferre, aliquid promereri, et id genus cetera posset praestare, quae tamen intendebantur a Deo per hoc mysterium. — Cf. Holzclau, n. 310.

ART. 4. — QUANDO FACTA EST UNIO HYPOSTATICA

87. — Praenotandum. — Inquiri potest, utrum unio hypostatica tempore posterior fuerit existentiâ vel 1. totius humanitatis, vel 2. animae, vel 3. corporis. Jam indicatum est (n. 24), Nestorium de prima quaestione secundum aliquos auctores, aliis id negantibus, errasse, et de hac aliis remissis quaestionibus ad scholia, statuenda est

88. — Propositio. Humana Christi natura non exstitit aliqua duratione temporis ante sui cum Verbo unionem. — « Est res certa de fide », ait Suarez, d. 16, s. 1, n. 1, qui pro doctrina citat (ib., n. 2) Concilia Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum II et III, Nicaenum II.

Prob. I. Ex Hebr. 1. 6, « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei ». — Haec verba, secundum multos Patres et interpretes, respiciunt Christum in primo instanti conceptionis; atqui non possent verba ita intelligi, si humanitas Christi exstitisset aliqua duratione temporis non unita divinitati: verba enim « adorent eum omnes angeli Dei » ostendunt divinum suppositum; ergo. — Suarez, l. c.

89. — II. Ex Patribus, S. Leo v. g. (epist. 35 ad Julian., c. 3), dicit « Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur ». Ita et S. Sophronius (in epist. lecta in Concilio Const. III), « Non est Deus Verbum praeformatae carni conjunctus, aut praeformato et in se praesubsistenti corpori copulatus, aut praesubsistenti animae unitus » etc.

90. — III. B. Virgo (ut infra, n. 115, dicetur) est mater Dei, quia generavit naturam humanam in divina personalitate subsistentem; atqui si humanitas Christi duratione aliqua ante unionem cum Verbo exstitisset, B. Virgo non genuisset naturam humanam in divina personalitate subsistentem sed personam humanam, nec esset mater Dei; ergo.

Scholion 1. de tempore creationis animae Christi. — Animam Christi, sicut et alias animas humanas, in initio mundi creatam fuisse, docuisse fertur Origenes. Certum autem est, et, ut videtur, definitum de fide contra Origenem in Concilio Constantinopolitano II, cann. 7, 8 (cf. Suarez, l. c., s. 2, nn. 2, 3: Denz. 193, 194),

animam Christi 1. non prius tempore fuisse creatam seu existentem, quam corpori unitam, nec 2. prius unitam corpori quam Verbo. Etenim *a*) ex doctrina catholica alibi probata (de Deo Creatore, n. 113), animae humanae tum creantur cum infunduntur, et *b*) ex propositione superiore anima Christi in conjunctione cum corpore, seu ut integra humanitas, non exstitit prius tempore quam Verbo uniretur. Haec ergo tria (ait Suarez, ibid., n. 3), simul tempore facta sunt, creatio seu existentia animae, assumptio, et conjunctio cum corpore.

92. — Scholion 2. de tempore formationis corporis Christi. — Ex jam dictis certum est corpus humanum in ipso animationis momento assumptum fuisse a Verbo. Plures autem auctores dicunt corpus Christi perfecte formatum fuisse, secus ac reliqua corpora humana, non paulatim per dispositionem successivam materiae, sed statim in ipso primo instanti conceptionis. Hanc videlicet instantaneam organisationem corporis Christi dicunt isti auctores, exigere tum infinitam potentiam formativam Spiritus sancti, tum verba Symboli de Filio Dei, « conceptus est de Spiritu sancto », quae per eos de corpore ante perfectam organisationem, animationem et assumptionem dici nequeunt. Ita S. Thomas (3, qu. 33, a. 3), qui sic doctrinam tradit alibi (in 3, d. 5, qu. 3, a. 2), « Oportet conceptionem illam subitaneam ponere, ita quod haec in eodem instanti fuerint, scilicet conversio sanguinis materialis in carnem, et formatio membrorum organicorum, et animatio corporis organici, et assumptio corporis animati in unitatem divinae personae ». Et antea S. Gregorius M. (l. 18 Moral., c. 52, n. 85), « Nuntiante Angelo, et adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro ». Ac S. Joannes Damascenus (de fide orthod., l. 3, c. 2), « Simul atque caro exstitit simul quoque Dei Verbi exstitit caro, simul caro animata, rationis particeps et intelligentiae ». Ex Suarez autem (l. c., s. 3, n. 4), « Verbum simul assumpsit corpus perfectum et organicum, constans ex omnibus membris, seu partibus organicis ».

Advertunt tamen theologi aliqui recentiores, foetum humanum, ex physiologicis hodiernis, mox a conceptione informari anima humana diu ante membrorum formationem. Proinde, ne miracula inutiliter multiplicentur teneri potest quod dicit Pesch (n. 159), « Christi corpus statim ab initio fuisse informatum anima rationali, ceterum vero nihil differens fuisse a reliquis foetibus humanis ».

ART. 5. — QUALIS EST UNIO HYPOSTATICA

93. — Praecipue inquirunt theologi, utrum haec unio sit *creata*, *substantialis*, *supernaturalis*, unionum *maxima*, *indissolubilis*.

I. Unio hypostatica seu terminus actionis unitivae non est quid *creatum* simpliciter et proprie, eo scilicet sensu, quod ex nihilo fiat: bene vero improprie, quatenus est quid *factum in tempore* per veram realem actionem. — Suarez, d. 7, s. 5.

II. Unio hypostatica est physice *substantialis* (contra Nestorium): duae enim naturae, humana et divina, uniuntur in una substantia, scilicet in hypostasi Verbi; ita etiam loquuntur Patres. Hinc, ut vitetur modus loquendi qui faveret haeresi, unio hypostatica non est simpliciter *dicenda* (ut dicebat Durandus) *accidentalis*, etiam in verissimo illo sensu, quod humanitas non sit de essentia Verbi. — Billuart, d. 4, a. 4.

III. Unio hypostatica est simpliciter et absolute quid *supernaturale*: superat enim vires et exigentias *totius naturae creatae* et creabilis, estque principium omnis meriti. — Patres vero eam aliquando dicunt *naturalem*: 1. quia Christus eam habuit ab ipsa conceptione; 2. quia realis et physica est; 3. quia est constitutiva compositi Christi. — Holzclau, n. 266.

IV. Unio hypostatica est *maxima*, 1. ex parte extremorum, quae summe distabant; 2. ex parte medii simplicissimi, scilicet Verbi, in quo uniuntur; 3. ratione doni excellentissimi humanitati collati. — Holzclau, n. 268.

V. Unionem hypostaticam tandem *dissolvendam* esse et Verbum in divina tantummodo natura substiturum esse, feruntur docuisse Origenes et Marcellus Ancyranus, diversis tamen principiis: Origenes scilicet quia putavit (forsan ex falsa interpretatione 1 Cor. 15. 50, « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt »), omnem naturam corpoream, et proinde Christi carnem, funditus perituram esse in fine mundi; Marcellus vero quia ex Sabelliana sententia nullam personarum distinctionem realem in Deo, et nullam incarnationem proprie dictam admittebat, sed tantum operationem divinitatis transitoriam in homine Christo, quem putabat in fine mundi prorsus desiturum esse. De fide vero est ex Concilio Chalcedonensi (Denz. 134), unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo esse *inseparabilem* et *nunquam* dissolvendam: cui veritati non contradicunt pauci illi auctores (supra, n. 79), qui docuerunt unionem fuisse *interruptam* in triduo mortis;

neque verba ipsius Christi Matth. 27. 46, « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? », quae tantum defectum consolationis significant. Cf. Petav., l. 12, c. 18. — Haec unionis indissolubilitas liquet ex Scriptura sacra docente Christum esse aeternum, et aeternum habiturum esse regnum et sacerdotium (Hebr. 7. 24; 13. 8; Luc. 1. 32, 33) et ex Symbolo, « Cujus regni non erit finis »: *Christus* autem est compositum ex Verbo et humana natura unitis; ac proinde in aeternum ita manebit.

QUAESTIO QUARTA

DE INCARNATIONIS CONSECTARIIS PRAECIPUIS

Inquirendum est distinctis capitibus, 1. utrum Christi hypostasis sit composita; 2. utrum detur communicatio idiomatum; 3. utrum B. Maria Virgo sit Mater Dei; 4. utrum Christus homo sit Filius Dei naturalis an adoptivus; 5. utrum in Christo sit duplex operatio et voluntas; 6. utrum Christus sit adorandus.

CAPUT PRIMUM

Utrum Christi hypostasis sit composita

94. — I. Distinguitur 1. compositio *per modum partium* et *per modum numeri* tantum. Compositio per modum partium ea est, in qua componentia perficiuntur mutuo unum in altero, v. g. compositio hominis ex anima et corpore. Compositio per modum numeri tantum ea est in qua exstat realiter unum ex pluribus realiter distinctis, citra omnium componentium perfectionem novam: cujus compositionis nullum habetur exemplum in rebus naturalibus.

Compositio etiam potest esse 2. vel *ex his* seu *ad intra*, vel *cum hoc* seu *ad extra*. Compositio ex his seu ad intra significat rem in se consideratam ex pluribus constare: ita v. g. homo, ex anima et corpore constans, est compositio ex his. Compositio ad hoc, cum hoc, seu ad extra significat rem, etsi in se sit simplex, cum alia uniri ad unum aliquod constituendum: ita anima humana componitur *cum hoc* (vel *ad extra*, seu *ad hoc*) scilicet cum corpore.

95. — II. His positis, inquirunt theologi, utrum hypostasis Christi dicenda sit composita necne. — Locutio « hypostasis Christi » sumi potest vel 1. *materialiter* seu quatenus est divinae tantum

naturae hypostasis quae in tempore facta est hypostasis naturae etiam humanae; vel 2. *formaliter*, ut connotans et includens utramque naturam divinam et humanam.

1. Hypostasis Christi materialiter sumpta seu ut connotans naturam tantum divinam, minime dici potest composita ex his seu ad intra: hoc enim esset contra simplicitatem divinam; bene vero dici potest (et debet) composita ad hoc seu ad extra, quia hoc nihil aliud est quam professio unionis Verbi cum humana natura.

2. De hypostasi Christi formaliter sumpta, seu quatenus connotat utramque naturam, maxime disputatur, utrum dici possit composita *ex his*. — *a*) Omnes fatentur, hypostasim Christi ita formaliter sumptam (seu Christum) non dici posse compositum *ad modum partium:* quia quamvis natura humana perficiatur per unionem cum Verbo, ipsum Verbum nullam perfectionem novam acquirit. — *b*) Hypostasim vero Christi formaliter sumptam dici posse compositam *ex his per modum numeri*, affirmant saepe Patres. Ita v. g. S. Sophronius (in epist. ad Sergium, lecta in Concilio Constantinopolitano III), « unum Christum profitemur, et Filium incarnatum Verbum colimus, et *unam ejus hypostasim compositam dicimus*, et in duabus eum annuntiamus naturis ». Alia Conciliorum et Patrum testimonia allegat aut indicat Franzelin, thes. 36.

Ita et veteres scholastici cum S. Thoma (3, qu. 2, a. 4), quos sequuntur Lugo, Suarez, Vasquez, et recentiores. Tiphanus vero (de hypostasi, cc. 64, 65), licet admittat *Christum* esse compositum, acriter negavit *Christi hypostasim* esse compositam, eo quod hanc semper consideraverit quatenus connotat solam naturam divinam. — Communis vero sententia hoc argumento suadetur: Toties habetur compositum, quoties habetur realiter unum ex pluribus realiter distinctis; atqui Christi hypostasis (formaliter sumpta) est unum ex pluribus realiter distinctis; ergo est composita.

CAPUT SECUNDUM

De Communicatione Idiomatum

96. — Praenotanda. — I. Nomen « idioma » ex nativa sua institutione proprietatem sermonis indicat, quo sensu dicitur idioma latinum, idioma graecum. Paulo largius vero hic sumitur a theologis pro eo quod est *proprium et peculiare naturae* vel ut

essentia vel ut proprietas. Hoc sensu « communicatio idiomatum » in Christo exprimit hanc *veritatem objectivam:* in ipso uno Christo simul uniri et residere utriusque naturae humanae et divinae essentias et proprietates, *propter unitatem hypostaseos*, quae has naturas distinctas et diversas cum omnibus earum attributis habet. Haec proprietatum communio dicitur graece ἀντίδοσις seu *permutatio.*

Solet vero nomen « communicatio idiomatum » intelligi *de modo loquendi* in communione et permutatione illa fundato, et definitur, « *praedicatio mutua* divinorum et humanorum attributorum, tum de se invicem, tum de supposito et toto »: v. g. « Deus est homo », « homo est Deus ».

97. — II. Distinguitur communicatio idiomatum *in concreto et in abstracto.* Communicatio idiomatum *in concreto* effertur quando subjectum et praedicatum propositionis sunt nomina concreta quae supponunt pro hypostasi (v. g. « Deus est homo »), et non sint tantum partes naturae humanae (sic, « Deus est brachium » non esset communicatio idiomatum in concreto); *in abstracto* vero quando subjectum et praedicatum non sunt nomina concreta. — Nomen autem *abstractum* illud est quod tantum formam aut quasi-formam significat: ut divinitas, humanitas, doctrina, albedo: necnon, in hac materia, partes humanae naturae. *Concretum* autem est quod tum formam aut quasi-formam, tum etiam id, quod formam aut quasi-formam habet, sive subjectum exprimit: ut Deus, homo, albus, doctus.

98. — III. De communicatione idiomatum triplex distingui potest sententia. — 1. Omnem veram communicationem idiomatum negavit *Nestorius*, eo ipso quod negaverit unitatem personae in Christo. Videtur etiam Beza (apud Bellarminum, l. 3, c. 9) nominalem tantum communicationem idiomatum admisisse.

2. Communicationem idiomatum etiam in abstracto admisit extreme oppositus error *Eutychianorum*, qui dicebant naturas in Christo esse confusas. — Eutychianis consentiebant aliquatenus *Lutherani quidam.* Isti enim haeretici, ut et transsubstantiationem et efficientiam verborum sacramentalium contra Catholicos negarent, et simul praesentiam corporis Christi substantialem in, sub et cum pane Eucharistico contra Calvinianos defendere possent, corpori Christi tribuebant omnipraesentiam: ex qua haeresi « *ubiquistae* » seu « ubiquetarii » appellati sunt. Primo scilicet dicebant, per incarnationem omnia attributa divina, et proinde etiam immensitatem, facta esse attributa humanae naturae, ita ut humana Christi natura sit formaliter omnipotens, immensa, etc. Postea vero relicta hac explicatione, quae manifeste Eutychiana

est, affirmabant immensitatem ac omnipraesentiam, non quidem ut est ipsa divina essentia, sed ut charisma et donum creatum, communicari naturae humanae. Cf. Franzelin, thes. 37, coroll. 2; Sardagna, n. 320.

3. *Catholica doctrina* docet *a*) dari veram et realem communicationem idiomatum (contra Nestorium), sed *b*) tantum in concreto non in abstracto (contra Eutychianos et Ubiquistas). Quae doctrina ex jam dictis non significat, proprietates naturae divinae realiter communicari humanitati, aut vicissim : sed tantum, *propter commune suppositum*, attributa divina posse de homine Christo praedicari in concreto, et attributa humana de Deo Verbo. Aliis verbis, communicatio non est realis respectu ipsarum naturarum, sed tantum respectu hypostasis utriusque naturae.

99. — Propositio I. Datur in Christo vera et realis communicatio idiomatum in concreto.

Prob. I. Dicere ex una parte, *Deum* esse crucifixum, ad mortem traditum esse, ex alia autem parte, *hominem* esse aeternum, est communicationem idiomatum in concreto adstruere; atqui Scriptura dicit (1 Cor. 2. 8), Dominum gloriae esse crucifixum : etiam (Rom. 8. 32), proprium Dei Filium pro nobis traditum esse : item Christus seipsum aeternum asserit, dicendo (Jo. 8. 58), « antequam Abraham fieret, ego sum » ; ergo.

100. — II. Traditionis testimonium quod attinet, praeter testimonia (v. g. illud S. Ignatii M., « Medicus unus est..... genitus et ingenitus, in carne existens Deus..... » : supra, n. 30) contra Nestorii et Eutychis errores allata, sufficiet commemorasse quod docent Symbola et Concilia omnia, nempe, Jesum Christum ex Patre natum esse ante omnia saecula, Deum de Deo, etc. : et eundem ipsum esse natum ex Maria Virgine, passum, mortuum et sepultum : haec est enim communicatio idiomatum in concreto. Christiana fides, ait S. Leo M. (serm. 62, qui est 11 de Pass. Dom., c. 2), « unum Dominum Jesum Christum, et verum Deum, et verum hominem confitetur ; eundem credens Filium Virginis, qui auctor est matris ; eundem natum in fine saeculorum, qui creator est temporum ; eundem Dominum omnium virtutum, et unum de stirpe mortalium ».

101. — III. Ratione. — Ubi est unitas supposití in duabus naturis, tam naturae quam proprietates earum possunt de se invicem praedicari *in concreto;* atqui in Christo est unitas supposití in duabus naturis ; ergo. — Videlicet, ut ait Billuart, d. 16, a. 1, nomina concreta licet primario formam significent, eam tamen significant in obliquo et suppositum in recto pro quo supponunt :

ita ut *homo* v. g. sit suppositum habens humanitatem, *Deus* suppositum habens divinitatem: unde cum in Christo sit *unum et idem suppositum* habens naturam divinam et humanam, verum est dicere: « Deus est homo » et e contra: quia facit hunc sensum, « suppositum habens divinitatem est suppositum habens humanitatem » quod est verum.

102. — **Dices.** Formulam « unus de Trinitate passus est » *a*) reprobavit Felix III in Petro Fullone antistite Antiocheno, ac *b*) oblatam a monachis quibusdam scythis ut optimam fidei orthodoxae expressionem accipere noluit Hormisdas Papa: item *c*) Trisagion, « Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis » cum additione a Petro Fullone facta « qui crucifixus es pro nobis » damnatum est a Felice III, ac postea improbatum ab Urbano VIII et Benedicto XIV; atqui ex nostra doctrina hae formulae orthodoxae essent; ergo non est admittenda communicatio idiomatum in concreto.

Resp. *Dist. Maj.* — Ad *a*) Hanc formulam reprobavit Felix in sensu haeretico Petri Fullonis theopaschitarum ducis ipsâ abutentis ad significandum Deum *qua Deum* passum esse, *conc.;* formulam in se sumptam, *nego:* nam in epist. 3. ad Fullonem ipse Felix dicit Christum « unum individuae Trinitatis ».

Ad *b*) Horum monachorum violentam et ob Fullonis versutias intempestivam contentionem, de necessitate inserendi in Conciliorum definitionibus formulam illam, repulit Hormisdas, *conc.;* formulam ipsam etiam in sensu a monachis intentam damnavit, *nego.* Ipsam formulam postea approbarunt in Justiniano Imperatore Joannes II et Agapetus Romani Pontifices (cf. Denz. 142), et solemniter consecrarunt Concilia Constantinopolitanum II, can. 10 (Ibid. 181), ac Lateranense, sub Martino I, can. 2 (Ib. 203). Vid. Petavius, l. 5, c. 2, ubi monachorum quoque orthodoxiam vindicat.

Ad *c*) Trisagion juxta consuetum tunc usum, *ad totam Trinitatem* directum, et additione ista corruptum, damnatum est, *conc.;* sic enim importaret, Deum *qua Deum* crucifixum esse, quod et voluit Fullo; trisagion illud cum additamento *ad Christum solum* directum reprobatum est, *nego:* sic enim sensum habet orthodoxum, in quo diu usurpatum est a Maronitis aliisque Catholicis orientalibus, licet nunc videtur (cf. Denz. 873) ad fidei securitatem prohibitum. Vid. Legrand, diss. 6, c. 4, a. 2 (col. 655, sqq.); Petavius, l. c., c. 4.

103. — **Propositio II. Non datur communicatio idiomatum in abstracto.**

Prob. I. De fide est, ex Concilio Chalcedonensi, duas Christi naturas esse distinctas et inconfusas; atqui admissa communicatione idiomatum in abstracto (« humanitas est divinitas », « humanitas est aeterna »), sequeretur, proprietates unius naturae fieri proprietates alterius, et ipsas naturas identificari; ergo.

104. — **II.** Contra Ubiquistas praecipue. — Illa doctrina rejicienda est, ex qua sequerentur haeretica vel absurda; atqui talis est doctrina Ubiquistarum; ergo.

Prob. Min. In doctrina adversariorum, quae attributa divina Christi humanitati tribuit, vel dicenda esset ista *humanitas* impassibilis, vel simul passibilis et impassibilis; atqui prius asserere esset haereticum, alterum vero absurdum; ergo.

105. — **III.** Contra eosdem. — De Christo etiam post resurrectionem dictum est, « Scio quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis: *non est hîc* » (Matth. 28. 5, 6.): « *Recessit* ab eis et ferebatur in coelum » (Luc. 24. 51): « Hic Jesus qui assumptus est a vobis *in coelum* sic veniet » (Act. 1. 11.); atqui haec vera non essent si Christi *humanitas* esset immensa; ergo. — Sardagna, nn. 320, sqq.

106. — **Dices.** Verbum Dei, ubicumque sit, est homo; atqui Verbum Dei est ubique; ergo et humanitas Christi est ubique. — *Confirmatur* ex Matth. 18. 20, « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum », ex Matth. 28. 20, « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi », ex Ephes. 4. 10, « Ascendit [Christus] super omnes coelos, ut impleret omnia ».

Resp. *Dist. Maj. Verbum Dei,* ubicumque sit, habet sibi substantialiter et inseparabiliter conjunctam, et nunquam dimittit, hanc singularem humanitatem, secundum quam est vere et perpetuo et ubique homo, *conc.;* invenitur haec *humanitas* ubicumque est Verbum, *nego:* hoc enim dicere, idem esset ac adscribere attributa divina humanitati, aut saltem citra fundamentum asserere miracula innumera. Idque ad unionem substantialem minime exigitur: sicut non requiritur propter unionem substantialem in homine v. g., ut caput sit ubicumque est anima, puta in pedibus. — *Ad confirmationem:* Christus adest discipulis auctoritate aut virtute sua; ac dicitur implere omnia, vel quia vaticinia et figuras adimplet, vel quia dona sua omnibus diffundit, et humanitatis gloria toto orbe refulget.

107. — **Regulae Communicationis Idiomatum.** — Statuit Franzelin, thes. 36, n. II (p. 337) hoc **generale principium** pro

ordine praedicationis : « (1) quidquid unione supposita affirmatur *de hypostasi* nominata secundum unam naturam, affirmandum est etiam de eadem hypostasi nominata secundum alteram naturam eo ipso, quod una et eadem est hypostasis, quae modo ex una natura Deus, modo ex altera homo appellatur ; (2) non tamen quod praedicatur *de una natura*, vere etiam praedicari potest de altera, cum naturae distinctae sint et diversae ». Auctores ex hoc principio regulas aliquas speciales derivant : hanc duplicem tradit Billuart (d. 16, a. 1), post S. Thomam.

108. — Regula prima. — *Concreta de concretis tam naturarum quam proprietatum possunt de se invicem praedicari regulariter loquendo :* quia in talibus praedicationibus servatur idem suppositum seu subjectum. Hinc verum est dicere : Deus est homo, homo est Deus, Deus est natus, passus, mortalis, hic homo est immortalis, aeternus, est creator universi, est cum Patre principium Spiritus sancti ; mortalis est immortalis, aeternus est temporalis, etc. — « Nihil enim est aliud dicere : Deus mortuus est ; hic homo Jesus est creator universi, quam dicere : is qui est Deus secundum unam naturam, est ipse qui est mortuus secundum alteram naturam ; et is qui est homo secundum unam est idem ipse qui est creator secundum alteram naturam ». Franzelin, l. c.

Dictum est supra, « regulariter loquendo » : excipiuntur enim aliqui casus : 1. De subjecto formaliter seu reduplicative sumpto secundum unam naturam non possunt praedicari etiam in concreto attributa alterius naturae : v. g. dici nequit, « Deus quatenus est Deus est natus in tempore », « Homo Jesus quatenus est homo est creator ».

2. Attributa negativa negative sumpta non possunt sine restrictione de subjecto praedicari : v. g. falsum est dicere, « Filius Dei est incorporeus » (sumpto vocabulo « incorporeus » negative pro remotione omnis incorporeitatis), nisi addatur restrictio, « est incorporeus secundum divinitatem » : item non potest dici « Christus vel Deus non est passus », nisi addatur restrictio, « secundum divinitatem ». Ratio patet : locutiones enim hujusmodi removent a toto subjecto vel supposito simpliciter proprietatem, quae tamen illi convenit ratione alterius naturae. — Verae sunt autem propositiones, « Christus est immortalis », « passibilis est impassibilis » : termini enim quamvis negativi in forma positive accipiuntur. Franzelin, p. 339 ; Holzclau, n. 329.

3. Praedicata quae supponunt unionem hypostaticam adhuc faciendam, possunt quidem tribui Verbo praeexistenti non autem homini seu Christo formaliter spectato : v. g. vera non est formali sensu propositio « homo factus est Deus », vel « Christus

creavit universum ». Ratio patet: Verbum enim ante unionem non fuit homo nec Christus formaliter spectatus, et communicatio idiomatum tota fundatur in ista unione. Cf. Franzelin, p. 340; Hurter, n. 602, 7. — De Christo autem *materialiter* spectato dicitur in Symbolo, « ex Patre natus ante omnia saecula..... per quem omnia facta sunt », et in Missali rom. (fer. 5 post Pascha), « surrexit Christus, qui creavit omnia ».

4. Praedicata quae repugnant supposito divino non sunt adhibenda: v. g. Christus est purus homo, est pura creatura, est servus. — Caute quoque adhibendae sunt voces quaedam ex nominibus, Homo, Deus, Dominus, derivata, quibus propter ambiguitatem abusi sunt Nestoriani: tales sunt, humanatus, deifer, deificatus, divinus, homo dominicus, etc.

109. — **Regula secunda.** — *Abstracta de abstractis, abstracta de concretis, et concreta de abstractis non possunt de se invicem praedicari* in recto *saltem formaliter:* quia non servatur in illis praedicationibus idem suppositum seu idem subjectum. Ita v. g. falsum est dicere, « deitas est humanitas », « mortalitas est immortalitas », « Deus est humanitas ». Neque etiam sensu saltem formali potest dici, « hic homo est divinitas », « divinitas est homo », « est nata ex Virgine », « est passa »: sensu autem identico istae propositiones, quae apud aliquos Patres leguntur, verae sunt; propter identitatem enim naturae et hypostaseos in Deo, abstractum « divinitas » sumi potest pro concreto, scilicet pro subsistente Filio Dei. Simili sensu dicitur in hymno, « in ligno quando mortua Vita fuit ». — *In obliquo* vero abstractum de concreto praedicari potest, v. g. « Verbum est habens humanitatem ». — Monent demum auctores, has exceptiones non oportere expendi unice ad rigorem legum dialecticae, sed magnam partem pendere a doctrina Patrum et ab usu ecclesiae.

110. — **Scholion de Perichoresi.** — Cum communicatione idiomatum fere coincidit ea, quae dicitur duarum naturarum in Christo mutua *circumincessio* (περιχώρησις). Circumincessio est « mutua inexistentia plurium integrorum propter *unitatem* vel *unionem substantialem* », et habetur plenissimo sensu inter personas SS. Trinitatis propter unitatem numericam naturae (de Deo Trino, n. 179).

In Christo circumincessio *realis* oritur ex duarum naturarum unione hypostatica, quae, utpote inseparabilis, arctior est quam unio animae et corporis in homine, et illustratur apud Patres exemplo carbonis igniti. Ita S. Cyrillus Alex. (in praef. lib. 2 adv. Nestor.: M. 76. 62), « Ignis enim ubi lignum penetrarit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen servato quod

erat ». Haec autem circumincessio in eo consistit quod 1. Deus Verbum seu hypostasis divinae naturae habet etiam naturam humanam substantialiter unitam, et 2. hic homo Jesus seu hypostasis significata ut habens naturam humanam habet etiam divinam naturam identificatam cum hypostasi; quod ergo 3. ex tempore incarnationis nec Deus Verbum est quin sit homo; nec hic homo Jesus quin sit Deus. — In ordine deinde *logico* perichoresis est in eo, quod dum facta incarnatione concipio et nomino Deum Verbum, nomino illum qui inseparabiliter est homo; et vicissim dum concipio et nomino hominem Jesum, nomino Deum Verbum. — Franzelin, thes. 37, coroll. 1.

CAPUT TERTIUM

De Beata Virgine vere Dei Genitrice

111. — **Praenotanda.** — I. In Nestorii doctrina continebatur, et ab ipso distincte assertum est, B. Mariam Virginem tantum hominis Christi non Dei genitricem esse; et in hac assertione coram populo facta primo detecta est ejus haeresis. Docet v. g. (serm. 5), B. Virginem eo quod generaverit hominem Jesum una cum Verbo inhabitante, non magis dici debere Dei genitricem, quam S. Elisabeth pariendo S. Joannem Baptistam in quo Spiritus sanctus habitabat, dicenda esset mater Spiritus sancti.

Hinc factum est, ut saec. V. vox θεοτόκος qua declaratur B. Virgo esse Dei mater, haberetur ut tessera orthodoxae fidei, quemadmodum saec. IV contra Arianos, vox ὁμοούσιος. Illud enim unum vocabulum θεοτόκος (ut advertunt Petavius, Franzelin, Perrone, Stentrup, etc.) est veluti compendium universae doctrinae Catholicae de incarnatione Verbi contra Nestorianos et Eutychianos. « Hoc enim nomen », jam scripserat S. Joannes Damascenus (de fide orth., l. 3, c. 12), « totum incarnationis mysterium adstruit. Nam si Dei mater est quae genuit, profecto Deus est qui ex ipsa genitus est: profecto etiam homo..... Qui enim filius est hominis, homo etiam ipse sit necessum est..... Hoc vero [nomen] *unam* Domini nostri Jesu *personam*, *duasque naturas*, et *duas generationes* significat ». Notat Petavius (l. 5, c. 15, n. 3), plenam hujus vocis significationem non exhauriri appellatione latina « Deipara »: verbum enim τίκτειν (ex quo terminatio τοκος) plus significat quam « parere » et aequivalet potius verbo « gigne.. »: hinc θεοτόκος aptius vertitur duobus vocabulis « Dei genitrix ».

Quid significetur per voces « proprie et vere » (κυρίως καὶ ἀληθῶς) quae ad nomen θεοτόκος aliquando adjunguntur (v. g. in actibus Conciliorum Constantinop. II, et Lateranensis I), explicat Franzelin thes. 39, ex antiquis auctoribus : « Nisi enim *veraciter* (vere) genuisset, mater non esset ; nisi *proprie* Deus ipse, ipsa persona divina esset terminus generationis, mater Dei non esset ». In alia explicatione (vid. v. g. Ferrandus, apud Petavium, l. c., c. 17, nn. 3, 4), vox *vere* excludit phantasma docetque Verbum assumpsisse veram et realem carnem humanam : ac vox *proprie* significat B. Virginem, operante quidem Spiritu sancto, verumtamen ex suis visceribus, tribuisse Verbo materiam carnis secundum quam generatus est homo.

112. — II. Ad doctrinam Catholicam plenius intelligendam et difficultates aliquas praecavendas, juvat notare, ad generationem non requiri ut omne id quod in persona generata invenitur a parentis substantia derivetur : ita v. g. in personae humanae generatione anima non derivatur a parentibus, sed ab ipso Deo creatur. Proinde ex Catholica doctrina minime sequitur (quod calumniabantur Nestoriani), B. Virginem esse Dei genitricem ratione *naturae* divinae, quasi ipsa eam naturam Christo communicasset : sed ratione divinae *personae*, quam revera genuit, non quidem simpliciter et primo (ab aeterno enim generatur ista persona in divina sua natura) sed *in humana ipsius natura*.

Rem declarat Franzelin (p. 377) distinguendo inter generationis terminum *formalem* et *totalem*. Terminus *formalis* cujusvis generationis, seu id quo suppositum generatur, est *natura* quatenus communicatur a generante in suppositum quod generatur : terminus autem *totalis* generationis, seu is qui generatur et qui proinde est filius generantis, est natura subsistens seu *suppositum*. In Christi ergo generatione ex B. Virgine, « terminus formalis, et simpliciter productus, est, ut in ceteris humanis generationibus, natura propagata ex Virgine : terminus completus est haec hypostasis completa (seu Deus Verbum in humana natura) producta non simpliciter et secundum omnia quae includit, sed *secundum quod homo est* ».

113. — **Propositio. B. Virgo Maria vere et proprie est mater Dei.** — De fide, ex Conciliis Ephesino et Constantinopolitano II. (1).

(1) Concilium Ephesinum, can. 1, « Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem Sanctam Virginem... a. s. » (Denz. 73). Et Concilium Constantinopolitanum II, can. 6, « Si quis abusive et non vere Dei genitri-

Prob. I. Ea Scripturae loca, in quibus Christus, Dei Filius (Rom. 1. 3; Galat. 4. 4), et ipse Deus supremus ac aeternus (Rom. 9. 5), dicitur factus « ex semine David secundum carnem », « ex Judaeis secundum carnem », « factus ex muliere », ostendunt ipsum *Verbum divinum* vera *generatione* humanam naturam in tempore accepisse; atqui haec per B. Virginem facta sunt, quod omnes fatentur; ergo B. Virgo Deum Verbum in humana natura vere generavit, seu est Dei genitrix.

Major patet ex ipso usu loquendi. Si enim persona ista divina carnem humanam non accepisset per veram generationem et propagationem ex parentis substantia, sed alio modo, v. g. per creationem, sicut Adam, aut per assumptionem humanitatis jam formatae, forsan *homo* esset: minime vero tunc verum esset, *Filium Dei* et *ipsum Deum* factum esse ex Judaeis, factum *ex semine David*, factum *ex muliere:* haec enim omnia non de ipso divino supposito sed tantum de ipsius *humanitate* tunc vera essent. — Cf. Petavius, l. c., c. 14, n. 3.

114. — **II.** Beatam Virginem *Matrem Dei* esse, declarat ex antiquioribus *S. Ignatius M.* (Ephes. 18. 2), « Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria juxta dispensationem Dei ex semine quidem David, de Spiritu autem sancto » (cf. ibid. 7. 2, jam saepe cit.: « ex Maria et ex Deo »). Item *S. Hippolytus* (contra haeres. Noeti, n. 17), « Deus Verbum e coelis descendit in Sanctam Virginem Mariam, est ex ea incarnatus sumptâ animâ humanâ, rationis inquam participe, factus omnia quaecumque homo est, excepto peccato..... Praesens se ipsum manifestum fecit ex Virgine et Spiritu sancto novus homo factus: habens coeleste quod Paternum erat, tanquam Verbum; terrenum vero tanquam ex vetere Adam, per Virginem incarnatus ». Ac *Tertullianus* (apolog., c. 21) « Iste igitur Dei radius..... delapsus in Virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus, nascitur homo Deo mistus ». Postea *S. Joannes Chrys.* (hom. 2 in Matth., n. 2), « Natus est secundum carnem, ut tu nascereris secundum spiritum: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris. Ideoque *duplex generatio* fuit, et quae similis nostrae esset, et quae nostram exsuperaret ».

Nomen autem ipsum « theotocos » legitur apud *S. Athanasium* (orat. 3 contra Arianos, n. 29), « Hic igitur scopus et character

cem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam... aut si quis hominis genitricem vocat eam, aut Christi genitricem, utpote Christo non existente Deo, et non specialiter (κύριως) et secundum veritatem Dei genitricem eandem confitetur, ob id quod ante saecula a Patre genitus Deus Verbum in ultimis diebus ex ea incarnatus et natus est, atque ita pie sanctam Chalcedonensem synodum Dei genitricem eam confiteri, talis anathema sit ». (Denz. 177). Cf. can. 2.

est sanctae Scripturae, uti saepe diximus, nempe ut duo de Salvatore demonstret, illum scilicet Deum semper fuisse..... ipsumque postea propter nos, carne ex Virgine *Deipara* Maria assumpta, hominem factum esse ». Etiam apud *S. Gregorium Naz.* (epist. 101, ad Cledon. 1 : M. 37. 178), « Si quis sanctam Mariam *Deiparam* non credit, extra divinitatem est ». Imo Julianus Apostata, teste S. Cyrillo Alex. (contra Julian., l. 8 : M. 76. 902), adversus Christianos objiciebat, « Vos Mariam *Deiparam* vocare non cessatis ». Ex ipsis quoque Nestorii fautoribus suspectis, scripsit Joannes Antiochenus (in epist. 1, ad Nestor.), « Hoc *nomen* [Dei genitrix] nemo doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo usi sunt, iique celebres et qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt ». Ita et Theodoretus (de haeres., l. 4, c. 12), « Antiquissimos orthodoxae fidei praecones secundum apostolicam traditionem docuisse, Matrem Domini dicendam credendamque esse Dei genitricem, clarum est ».

115. — **III.** Illa est vere et proprie Mater Dei quae vere Deum genuit; atqui Beata Virgo vere eum genuit, qui dum generaretur vere erat Deus : humana etenim natura Christi, quippe quae in primo instanti ab angelis adorata fuit, nulla duratione temporis, ut docet traditio Patrum (supra, n. 89), ante sui cum Verbo unionem exstitit, sed semper habuit subsistentiam divinam; ergo.

Dices 1. Etsi mater meri hominis non producat animam filii, producit tamen corpus, quod est naturae humanae elementum essentiale; atqui B. Virgo nihil divini produxit; ergo non est mater Dei.

Resp. *Dist. Min.* Non produxit ipsam divinam naturam, *conc.;* divinam personam, *subd.:* non produxit primo et simpliciter loquendo et quoad naturam divinam, *conc.:* ab aeterno enim generatur Verbum a Patre; non produxit divinam personam in humana natura, *nego.* Essentiale ergo aliquid totius compositi concreti Christi, qui est Deus, produxit Maria.

117. — **Dices 2.** Mater omnis est ejusdem naturae cum filio, eoque prior; atqui B. Virgo est posterior Deo, nec habet divinam naturam; ergo non potest esse mater Dei.

Resp. *Dist. Maj.* Si unam tantum naturam habet filius, *conc.;* si duas habet naturas et nativitates, *subd.:* mater habet naturam quam filio communicat, et secundum eam est ipso prior, *conc.;* secundum alteram naturam, *nego.*

CAPUT QUARTUM

De Filiatione Christi

118. — **Praenotanda.** — I. Jam vidimus, Deum Verbum Filium esse B. Mariae Virginis: nunc inquirendum est, *utrum Christus homo sit Filius Dei naturalis*, cui scilicet jure nativitatis paterna haereditas debetur, an tantum adoptivus, seu extraneus qui per gratiam ad haereditatem assumitur: adoptio enim a jurisconsultis definitur, « Personae extraneae assumptio gratuita ad haereditatem ».

119. — II. Christum ut hominem esse tantum Filium Dei adoptivum, non vero naturalem, docuerunt Adoptiani, qui et Feliciani a Felici episcopo Urgellitano dicti sunt. Hic enim una cum Elipando archiepiscopo Toletano labente saec. VIII istum errorem in Hispaniam intulisse fertur. — Juxta aliquos theologos catholicos (v. g. Vasquez, in 3 P., d. 89, cc. 1, sqq.) ac plurimos scriptores acatholicos, Felix et Elipandus voluerunt tantum humanam Christi naturam *in abstracto*, consideratam nempe ut distinctam a Verbo, et quatenus ornatur gratia sanctificante esse adoptatam. Haec doctrina, etsi falsa (adoptio enim personam, non naturam respicit), non esset haeretica, et ex Scholasticis eam tenuerunt Durandus et, saltem ut probabilem, Scotus, quin tamen negarent hunc hominem Christum esse vere Filium Dei naturalem. Auctores autem communiter tenent, Felicianos docuisse hunc hominem Jesum Christum *in concreto* esse Filium Dei adoptivum tantum: cujus doctrinae consectarium evidens esset, duas esse in Christo personas, id quod Adoptiani, utpote in Nestorio jam damnatum, aperte asserere non sunt ausi. Cf. Franzelin, thes. 38, n. I; Perrone, nn. 399, sqq. — Damnati sunt Adoptiani in pluribus conciliis, praesertim vero in Francofurdiensi (a. 794) sub Hadriano I Papa (cf. Denz. 253, sqq.), ac eorum doctrina habetur a Catholicis ut haeretica.

120. — **Propositio. Christus ut hic homo, seu haec hypostasis subsistens in natura humana, est Filius Dei naturalis.**

Prob. I. Ex Rom. 8. 32, « Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum ». — Hoc loco Christus vocatur Filius Dei proprius secundum naturam illam ipsam, in qua traditus fuit; atqui secundum humanitatem traditus fuit;

ergo Christus etiam secundum humanitatem est Dei Filius proprius et non adoptivus.

121. — **II.** Ex S. Irenaeo (l. 3, c. 18, n. 4) Christus laudando Petri confessionem (Matth. 16. 17), « manifestum fecit, quoniam filius hominis, hic est Christus Filius Dei vivi ». Et Athanasius (l. 1, de Incarn. contra Apollinar., n. 12), « Errant qui dicunt, alium esse qui passus est filius, et alium, qui passus non est ». Ita S. Gregorius Naz. (epist. 100, ad Cledon. 1 : M. 37. 179), « Si quis duos filios, alterum ex Deo et Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eundem induxerit : is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quae recte credentibus promissa est ». Saepissime vero S. Cyrillus Alex., qui v. g. dicit (hom. pasch. 8, n. 4), « Filium unum, solumque secundum naturam agnoscens eum, qui homo factus est, ac Christum et Jesum nominat [Apostolus, Hebr. 13. 8] ». — Alia apud Petavium, l. 7, c. 2.

122. — **III.** De fide est contra Nestorium, unam tantum esse in Christo personam ; atqui ex adoptianismo sequeretur, esse in Christo, praeter personam divinam, personam etiam creatam ; ergo rejiciendus est adoptianismus.

Prob. Min. Adoptio est assumptio personae extraneae ad haereditatem ; atqui sola persona creata est extranea Deo ; ergo filiatio adoptiva importaret in Christo praeter personam divinam, personam etiam creatam.

Hoc argumentum proposuit Concilium Francofurdiense (Denz. 256), « Si ergo Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum : et si eum propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem ».

Solvuntur Objectiones

123. — Obj. 1. Quando justi dicuntur (Rom. 8. 17) « cohaeredes Christi », et ipse Christus vocatur (ib., v. 29) « primogenitus in multis fratribus », filiatio hominis Christi justorum filiationi assimilatur ; atqui justorum filiatio est tantum adoptiva ; ergo et filiatio Christi hominis.

Resp. *Dist. Maj.* Filiatio justorum et filiatio Christi hominis assimilantur quoad *bona haereditaria*, nempe ipsam beatitudinem supernaturalem, *conc.* ; quoad *jura* circa hanc haereditatem, et quoad gradum quo obtinetur, *nego*. Christo ergo « tanquam filio in domo

sua » (Hebr. 3. 6) haereditas debetur jure nativitatis, nec locus est adoptioni : ut alii vero, qui sunt extranei, ad haereditatis participationem aliquam admittantur, requiritur gratia et favor, nempe donum gratiae habitualis quae ipsis proinde, non autem humanitati Christi, est gratia adoptionis. Cf. Petavius, l. 7, c. 4, n. 6.

124. — Obj. 2. Ex Patribus, *a*) S. Irenaeus (adv. haeres., l. 3, c. 19, n. 1 : al. c. 21) de Christo dicit, « Qui Filius Dei est, Filius hominis factus est commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei [in graeco : « ut *homo* Verbum capiens et adoptionem accipiens filius Dei fiat » : cf. Jo. 1. 12] », item *b*) S. Hilarius (de Trin., l. 2, n. 27), « Ita potestatis dignitas non amittitur, dum *carnis humilitas adoptatur* », ac *c*) S. Augustinus (de praedest. sanct., c. 15, n. 31), « Eâ gratiâ fit ab initio fidei suae homo quivis christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus », demum *d*) S. Cyrillus Alex. (dial. 3 de Trin. : M. 75. 827), « Formâ nostrâ assumptâ [formamque quae secundum nos est induens], velut unus e nobis in Filium ascriptus est Dei, adoptatus (θετός) nobiscum, et propter nos, ille verus ac germanus, ut et nos, propter ipsum filii, supernaturalis gloriae simus participes » ; atqui haec loca manifeste significant, Christum hominem esse Filium Dei adoptivum ; ergo.

Resp. — Ad *a*) Etiam in vetere versione latina, obscuritatem omnem tollunt verba immediate subsequentia, « non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem percipere, nisi *adunati fuissemus* incorruptelae et immortalitati..... ut filiorum adoptionem perciperemus » : quae manifeste tractant de nostra, non de Christi adoptione.

Ad *b*) Supposita genuinitate textus (plures enim legunt, « adoratur » : cf. Stentrup, thes. 39, p. 691), non Christus ipse, sed humanitas dicitur adoptari, eo quod assumitur ad unionem cum Verbo. — Ad *c*) eadem sit responsio. Cf. S. Thomas (3, qu. 23, a 4, ad 2).

Ad *d*) Significatur hoc loco effectum esse, ut positiva aliqua et libera actione Dei (θέσει) non generatione humana seu jure nativitatis humanae, quidam homo verus sit simul filius Dei, citra tamen favorem aut meram adoptionem (ille enim dicitur filius « verus ac germanus »). Illa vero « positio » seu libera Dei actio qua hoc effectum est, juxta constantem S. Cyrilli doctrinam contra Nestorium nequit esse alia, quam unio hypostatica, qua per humanitatis singularis assumptionem ad unionem cum divina natura in persona Verbi, aeternus Dei Filius factus est homo in tempore quin desinat, etiam existens homo, esse Deus et Filius Dei naturalis. — Imo praecipuus contextûs objecti scopus videtur esse

ut impugnetur illorum error qui « nomen quod est supra omne nomen » dicebant Christo obtingere non jure proprio et naturali, sed ex favore aliquo. Ita S. Doctor (col. 838), « Nos nequaquam putabimus Filium nothum esse Deum, et recens editum, et sanctificatum, aut in filiationem vocatum esse a Deo, et gloriam ascititiam accepisse nobiscum, sed potius naturae lege adeptum id quod est ». — Ex Franzelin (thes. 38, schol. 1. 3°, p. 366), locus iste difficilior S. Cyrilli « non potest significare aliud, quam quod hic homo licet ab aeterno praeexistens ut haec persona divina, *formaliter* tamen *ut homo* libera actione [θέσει] factus est in tempore, et hac libera actione (unione hypostatica naturae humanae cum Verbo) factum est in tempore, ut homo sit Filius Dei non adoptivus sed naturalis, quia ipse Filius naturalis ab aeterno genitus in tempore factus est homo ».

125. — Obj. 3. Admissa propositione nostra, admittenda esset propositio alia aequivalens, « Christus ut homo est Deus »; atqui haec propositio est falsa; ergo et nostra.

Resp. *Nego Maj.* Neque enim docet propositio nostra Christum ut hominem sensu *reduplicativo* seu secundum humanitatem, esse Filium Dei naturalem, sed tantum sensu *specificativo*, *hunc* hominem Christum (idest hanc personam divinam habentem quoque humanam naturam) esse Dei Filium.

126. — **Obs.** Ratio cur haec hypostasis subsistens in natura humana, hic homo Christus, sit Filius Dei naturalis, « sane illa est (ait Franzelin, p. 356), quod vere et proprie haec persona, etiam dum est homo, generatur a Deo Patre per communicationem naturae non quidem humanae sed divinae »; ac proinde (ut notat idem p. 363), si Spiritus sanctus incarnaretur, non esset Filius Dei naturalis: licet tunc dici posset Filius hominis. Cf. S. Thomas, 3, qu. 32, a. 3; qu. 3, a. 5, ad 1.

Perstringit Franzelin, pp. 356, sqq., nonnullos theologos Catholicos (v. g. Suarez et Vasquez), qui distinguendo inter *filiationem* et *generationem* (passivam) putarunt Christum hominem Dei Filium naturalem esse, non tantum propter aeternam generationem *personae* ipsius *a Patre*, sed etiam formaliter secundum suam *humanitatem*, « non quidem quatenus est natura, sed quatenus est substantivâ unione per Verbum ipsum *sanctificata*, et inde jus habet ad haereditatem divinam ». Ex hac vero sententia, ut liquet, Christus homo esset filius naturalis totius Trinitatis, quae est causa efficiens omnis sanctificationis, et generatim omnis operationis ad extra: eamque S. Thomas rejicit dicendo (3, qu. 32, a. 3), « Quamvis secundum humanam naturam [Christus] sit creatus, et justi-

ficatus; non tamen debet dici *filius Dei* neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed *solum ratione generationis aeternae*, secundum quam est filius Patris solius; et ideo nullo modo debet dici Christus filius Spiritus sancti, nec etiam totius Trinitatis ».

127. — Scholia. — Huic quaestioni annectuntur aliae, nempe utrum, vel quo sensu, Christus dici possit 1. *praedestinatus*, 2. *servus Dei*, 3. *creatura*. Cf. Franzelin, thes. 38, scholia 2, 3.

1. Primae quaestioni occasionem dat locus Rom. 1. 4, ubi de Christo dicitur, juxta Vulgatae lectionem, « Qui *praedestinatus* est Filius Dei in virtute ». In graeco autem textu habetur, τοῦ ὁρισθέντος (non , προορισθέντος) υἱοῦ θεοῦ ἐν δύναμει: quod a pluribus Graecis (v. g. a S. Joanne Chrysostomo, Theodoreto) et in versione syriaca redditur, « qui *demonstratus*, aut *declaratus*, aut *cognitus* est Dei Filius ». Ita etiam interpretantur locum Estius, Toletus, Beelen, Billot: alii vero, ut Franzelin post plures Patres etiam graecos et cum ipso Protestante Olshausen, sensum Vulgatae ut genuinum habent.

Sed, quiquid sit de grammatica et exegesi hujus loci, certe usus dicendi Christum esse praedestinatum jam diu ab ipsa Tertulliani aetate in ecclesia latina invaluit, et videndum est, quo sensu intelligi possit. — 1. Praedestinatio est praeordinatio operis supernaturalis in mente divina, et quidquid fit in tempore praeordinatur a Deo: cum ergo incarnatio facta sit in tempore, ipsa incarnatio, seu hoc *opus in complexu*, « ut Filius Dei sit homo et homo sit Filius Dei »; et hoc *compositum* « *Christus* » seu « Verbum incarnatum » dici potest praedestinatum. — Item 2. ipsi *humanitati* Christi per se spectatae praedestinata est gratia unionis seu elevatio ad unionem hypostaticam. — 3. Ipse Christus secundum humanam naturam, seu *hic homo*, dici potest ad gratiae creatae dona et ad gloriam coelestem praedestinatus (dummodo intelligatur beneficium non Verbo assumenti sed naturae assumptae collatum). — 4. Christo autem *secundum hypostasim* dici nequit praedestinari filiatio divina: est enim ista hypostasis Filius Dei ab aeterno, non ex Patris ordinatione aut beneficio sed necessario.

Quando ergo Christus dicitur *praedestinatus Filius Dei*, hoc intelligi debet de praedestinatione *ipsius incarnationis operis in complexu*, quippe quod per gratiam Dei factum est. Si vero *homo* seu *persona*, non *opus*, putatur praedestinationis subjectum, persona seu homo debet accipi *vage* ut suppositum hujus humanitatis, quin determinetur utrum suppositum divinum an humanum sit. Istam tamen explicationem « satis artificiosam » putat Pesch, n. 180,

qui hoc statuit principium : « praedestinata esse omnia *opera* supernaturalia, quae in incarnatione facta sunt ; nullo modo praedestinationem cadere *in personam Verbi ut talem;* Christum vero *ut hominem* posse dici praedestinatum ad omnes gratias, quae unionem hypostaticam sequuntur ».

128. — **2.** *Servus* dici potest vel ratione personae vel ratione naturae, secus ac « filius » qui dicitur tantum ratione personae (ut post S. Thomam, 3, qu. 23, a. 4, ad 3, notant Franzelin, Billot, etc.). Servus *hypostatice* seu *stricte* sumptus definitur a Legrand (diss. 10, c. 4), « persona non ingenua, quae alieni juris est non sui, quaeque nullum per se jus habet ad domini haereditatem ». Servus *ratione naturae*, aut dictus *late* (seu *adjective*, ut loquitur Franzelin), est ille qui habet naturam ab alio *dependentem*, cui obedire tenetur ut subditus. — His positis, apud Catholicos constat, Christum hominem, utpote Filium Dei naturalem, non esse servum Dei proprie aut *hypostatice*, id quod damnavit in Adoptianis Concilium Francofurdiense (cit. n. 122). Dici autem potest Christus servus late seu adjective, propter naturam servam et inferiorem, in qua ipse (citra inaequalitatem *suppositi*) exhibuit Deo submissionem et obedientiam. — Censet vero Franzelin, nomen substantivum *servus*, cum adsignificet semper hypostasim, non esse frequentandum de Christo sine explicatione.

129. — **3.** « *Creatura* et *creatum* dici potest dupliciter : 1° quod *simpliciter* immediate vel mediate est productum ex nihilo ; 2° quod per aliquam actionem coepit esse non simpliciter sed *hoc aliquid*. Sensu priori sola *humana natura* Christi per se spectata est et dici potest creata ac creatura, non autem Christus.... Sensu posteriori Christus formaliter ut Christus sive *ut homo* est, sine dubio est creatus et creatura ; neque enim ante incarnationem erat Christus aut homo, formaliter ut Christus et homo, quamvis ab aeterno esset hypostasis, quae in tempore facta est Christus homo ». — Franzelin, p. 370.

CAPUT QUINTUM

De Duplici Christi Voluntate et Operatione

130. — **Praenotanda.** — I. Unicam tantum in Christo voluntatem et operationem admittebant Monothelitae (ac praecipue saec. VII tres patriarchae orientales, Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, Athanasius Antiochenus). Vox vero « voluntas » si-

gnificare potest vel potentiam seu facultatem, vel istius facultatis actum. Et putavit Vasquez (in 3 P., d. 73, c. 1), Monothelitas actum tantum voluntatis humanae, non autem ipsam facultatem negasse. Juxta communem tamen sententiam, isti haeretici tum actum tum facultatem negaverunt, dicentes esse in Christo unicum operationum principium, scilicet solam voluntatem divinam, quae animam immediate, perque animam corpus moveret ad actiones, ita ut una pariter esset operatio, a Verbo tanquam fonte profluens, et per animam corpusque tanquam per mera instrumenta transiens, et in externum usque opus se effundens. Cf. Petavius, l. 8, cc. 4-6; Franzelin, thes. 40. — Hic error qui aequivalenter damnatus fuerat in definitionibus contra Eutychianos editis, nominatim proscriptus est in duplici Synodo Romana, sub Martino I (Denz. 211-218) et sub Agathone (Denz. 235), ac deinde in Concilio Constantinopolitano III an. 680 (1).

131. — II. In doctrina proinde catholica (facta distinctione inter principium *quod* et principium *quo*), statuitur: 1. Principium quidem *quod* vult et operatur tam secundum divinam quam secundum humanam naturam, est *una hypostasis divina*, Verbum Dei. — 2. Atvero *a*) principium *quo remotum* operationis Christi, Verbi incarnati, *duplex est*, natura scilicet divina et humana, quibus respondet *b*) duplex principium *quo proximum*, ita ut voluntas divina Christi sit communis, una numero et eadem quae est Patris et Spiritus sancti: contra vero voluntas humana sit propria uni personae incarnatae, et nativam suam activitatem et operationem humanam habeat.

« Itaque *Deus Verbum* ipse subsistens in divina natura operabatur et *operatur humanitus*, non quidem per divinam sed per alteram humanam suam naturam; et *hic homo* Jesus exstans in humana natura *operatur divinitus* in unitate cum Patre et Spiritu sancto, non sane per humanam naturam sed per alteram suam naturam divinam, qua unum est cum Patre et Spiritu sancto..... Ex duabus operationibus *non componitur una operatio*, ut quandoque loquebantur monothelitae; sed ambae manentes inconfusae uniuntur, quatenus *unus est operans divina et humana*, et ambae sunt operationes unius hypostaseos licet secundum aliam et aliam naturam ». Franzelin, l. c., n. II.

(1) « Duas naturales voluntates in eo [Christo], et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum Patrum doctrinam similiter praedicamus; et duas naturales voluntates non contrarias, absit,... sed sequentem ejus humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinae ejus atque omnipotenti voluntati » (Denz. 238).

132. — Propositio. Duae sunt in Christo voluntates et duae pariter operationes, divina scilicet et humana.

Prob. I. Juxta Scripturam sacram Christus satisfecit pro peccatis nostris (Eph. 1. 7), fuit obediens (Philipp. 2. 8), dona supernaturalia meruit nobis (Eph. 1. 3), sibi autem exaltationem et gloriam corporis (Philipp. 2. 9); atqui nisi habuit Christus, *praeter voluntatem divinam*, voluntatem etiam humanam perfecte liberam, non potuisset actus hujusmodi elicere, quos cum inferioritatem in agente exigant, divina voluntas elicere nequit; ergo duae sunt in Christo voluntates.

133. — II. Si est in Christo voluntas alia distincta a voluntate Patris, dicenda est voluntas humana: divina enim voluntas est tribus personis communis; atqui docet Scriptura, esse in Christo voluntatem a voluntate Patris distinctam; ergo.

Minor constat ex pluribus locis: ita Matth. 26. 39, « Pater mi..... non sicut ego volo, sed sicut tu »; Luc. 22. 42, « Pater,..... non mea voluntas, sed tua fiat »; Jo. 5. 30, « Non quaero voluntatem meam sed voluntatem ejus, qui misit me »; Ibid. 6. 38, « Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me »; Hebr. 10. 7 (ex Ps. 39), « Scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam ».

134. — III. Patres hanc duplicem in Christo operationem, 1. manifeste supponunt, demonstrando ex ipsa illa operationum distinctione, *a*) Christum esse Deum et hominem: ita *S. Ignatius M.* (ad Trall., 9. 10), *S. Justinus M.* (dial. cum Tryph., cc. 88, 89), *S. Irenaeus* (l. 3, c. 22, n. 2); et *b*) in ipso duas naturas esse inconfusas: ita *S. Gregorius Naz.* (hom. 38, n. 15), *S. Cyrillus Alex.* (Thes., assert. 24: M. 75. 394). — Imo 2. diserte negant quasdam Christi actiones divinitati tribui posse: ita *S. Athanasius* (orat. 3 contra Arianos, n. 32), *S. Cyrillus Hieros.* (cat. 4, n. 9).

Nominatim *S. Athanasius* (de Incarn. et contra Arianos, n. 21: M. 26. 1022) citatis Christi verbis « Pater mi, si possibile est..... », dicit, « Duas voluntates ibi ostendit: alteram humanam, quae est carnis; alteram divinam, quae Dei est; siquidem humana ob infirmitatem carnis deprecatur passionem; divina autem ejus voluntas prompta est ». Item *S. Cyrillus Alex.* (Thes., assert. 32: M. 75. 454), « Nemo unam esse naturalem operationem statuet Dei et creaturae: ne videlicet id quod creatum est ad divinam essentiam evehamus: neve e contrario divinae naturae excellentiam, ad locum creaturis convenientem deprimamus. Nam quorum operatio et vis eadem omnino est, ea etiam speciei unitate conveniunt ». Ac *S. Leo M.* (epist. 28, ad Flav., c. 4), « Qui enim verus est Deus, idem verus est homo..... Agit enim utraque forma

cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit ». Tractatum specialem « de duabus in Christo voluntatibus » scripsit *S. Joannes Damascenus* (M. 95. 127).

135. — **IV.** Catholica doctrina definita in Concilio Chalcedonensi contra Eutychen, statuit duas esse in Christo naturas (id quod monothelitae ipsi aperte negare non audebant); atqui in hac doctrina includitur veritas duplicis operationis et voluntatis: natura enim definitur, « operationum principium », et receptum est axioma, « ubi nulla est operatio, ibi nulla est natura »; ergo. — Pariter S. Cyrillus Alex. (loc. jam cit. « Nam quorum operatio », etc.). Ac S. Basilius (adv. Eunom, l. 4: M. 29. 679), « Itaque si secundum operationem dicunt [adversarii, *unum* esse Patrem et Filium], necesse est et secundum substantiam dicere: quorum enim diversa substantia est, horum non est similis operatio ».

136. — **V.** Si in Christo esset una duntaxat operatio, ea vel simplex esset vel composita; atqui utrumque repugnat; ergo in Christo non est una duntaxat operatio.

Prob. Min. per partes. — 1. Operatio simplex esset vel divina vel humana; atqui *a*) si dicitur divina, cum divina operatio sit totius Trinitatis, dicenda esset ipsa Trinitas passa et mortua, quod esset haereticum; nec *b*) humana dici potest: Christus enim patravit quaedam, v. g. sanationem servi Centurionis ex distantia (Matth. 8. 5-13), quae naturam humanam excedunt.

2. Si vero operatio dicitur composita, sequitur, eam esse creatam simul et increatam: item Christum neque Deum neque hominem esse sed aliquid mistum. — Petavius, l. c., c. 7, n. 9.

Solvuntur Objectiones

137. — Obj. 1. Christi verba (Matth. 26. 39), « Si possibile est, transeat a me calix iste », secundum nostram doctrinam demonstrant humanam in Christo voluntatem; atqui talis voluntas contraria fuisset voluntati divinae de crucis morte a Christo subeunda; ergo non est admittenda.

Resp. *Dist. Maj.* Demonstrant in Christo voluntatem, seu potius voluntatis affectionem inefficacem et conditionatam (ut liquet ex verbis subsequentibus, « Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu »), *conc.;* volitionem efficacem et proprie dictam, *nego.*

Nego Min. Dicit enim Christus (v. 42), « Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua ».

Volitiones ergo efficaces Christi hominis prorsus conformes erant voluntati paternae. Neque huic Patris voluntati simpliciter repugnabat volitio inefficax, seu affectio sensibilis, qua Christus mortem effugere optabat : haec enim mors, quam Pater uti medium redemptionis humanae decrevit, displicebat Christo non sub hac ratione, sed praecise *ut malum naturae* tantum : et Patri omnino acceptum fuit, ut humana Christi voluntas ejusmodi actus inefficaces, humanae naturae apprime convenientes, eliceret. Imo ipse Christus absoluta voluntate acceptando passionem et mortem, deliberate admisit in animam hos motus tristitiae et horroris naturalis. Cf. Pesch, n. 151.

138. — Obj. 2. Ex Patribus, *a*) vulgatus Dionysius (epist. 4. ad Caium) dicit, « Quoniam est Deus factus homo, unam quandam deivirilem operationem (θεανδρικὴν ἐνέργειαν) nobis exhibuit », *b*) S. Cyrillus Alex. (l. 4, in Jo. : M. 73. 378) de Christo filiam Jairi suscitante dicit, « Eam nempe omnipotenti suo jussu, ut Deus, et rursus tactu sanctae carnis vivificando, unam esse et eandem utriusque demonstrat operationem », item *c*) S. Athanasius (orat. 4 contra Arianos, n. 31) et S. Cyrillus Alex. (dial. de Incarn. Unig. : M. 75. 1214) dicunt Dei Verbum humanitate velut instrumento usum esse, imo *d*) et Honorius P. in litteris ad Sergium datis unam tantum docuit voluntatem in Christo ; ergo.

Resp. *Dist. Anteced. per singula.* — Ad *a*) Dicit Dionysius esse in Christo *novam* deivirilem operationem, *conc.; unam* operationem, *nego :* haec enim vox « una » rejecta est ut textus corruptio in Concilio Lateranensi sub Martino I, can. 15 (Denz. 216). Sed hoc omisso, *iterum dist. :* Dicitur *una* theandrica operatio, propter unitatem principii *quod*, seu suppositi operantis, qui est Deus-homo (θέανδρος), *conc.;* propter unitatem principii *quo*, aut propter confusionem duarum naturarum operationum in unam, *nego.* Ex monothelitis, omnis Christi operatio theandrica fuit, vel quia composita et confusa ex duabus, vel quia simpliciter divina transiens per humanam naturam inertem et nihil operantem. Catholici autem distinguunt in Christo triplicem operationem : 1. *pure divinam*, qua v. g., Christus Centurionis servum absens sanavit, 2. *theandricam* proprie dictam (seu *mixtam*), quam scilicet exercet Verbum divinum per humanitatem, vitam v. g. vel visum tactu restituendo, 3. *humanam*, uti est comestio, quae tamen ratione personae divinae operantis, dici potest lato sensu theandrica. Cf. Franzelin, pp. 392, sqq.

Ad *b*) Dicitur Christus in resuscitatione filiae Jairi ostendisse

unam operationem ob unitatem suppositi, et duarum operationum concursum ad unum effectum, *conc.;* ob unitatem principii *quo*, *nego:* ut liquet ex ipsis verbis objectis.

Ad *c*) Verbum usum est humanitate sua ut instrumento inanimato, *nego*, ut instrumento animato, *subd.:* quod propter unitatem suppositi, caret operatione propria *moraliter* distincta, *conc.;* quod caret operatione propria *physice* distincta, *nego.* Quod illustrat Theorianus (dial. adv. Arm.: apud Hurter, n. 559) exemplo gladii candentis. « Nam is pariter et secat et urit, estque dubio procul ustio non ferri, sed ignis, sectio vero non ignis, sed ferri: et diversarum naturarum actiones sunt ustio et sectio, sed propter unionem non ignis tantum esse dicimus hanc ustionem, sed etiam ferri ». Cf. S. Thomas, 3, qu. 19, a. 1, ad 2.

Ad *d*) Docuit Honorius duas Christi voluntates esse *unam consensione morali* (ad excludendas nempe, propter Sergii repraesentationem dolosam, voluntates contrarias et invicem pugnantes in Christo), *conc.*, vel *transeat* (dubitant enim aliqui de epistolarum integritate); esse *unam physice*, *nego:* in secunda enim ad Sergium epistola docet universim Honorius, unamquamque naturam proprias habere operationes. Cf. Franzelin, thes. 40, schol.

139. — Obj. 3. Christus unus est volens et operans; atqui ubi est unus volens et operans, una est voluntas et operatio; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Christus unus est volens et operans ut principium *quod*, *conc.;* ut principium *quo*, *nego.*

Dist. Min. Est una voluntas et operatio, ubi unum est principium *quo* et una natura, *conc.;* aliter, *nego.*

CAPUT SEXTUM

De Adoratione Christi

140. — **Praenotiones.** — I. Adoratio, generatim sumpta, est *testificatio excellentiae alterius, et propter illam, nostrae erga eum submissionis.* Quare in adoratione tria reperiuntur: 1. Actus intellectus, excellentiam apprehendentis, 2. actus voluntatis eandem approbantis, seque ei subjicientis, 3. actus protestativus excellentiae alienae, et submisssionis propriae ad illam, ut in hominibus capitis inclinatio, genuflexio, etc.

141. — II. Adoratio dividitur 1. in civilem et sacram. Adoratio *civilis* est actus subjectionis, qui elicitur ad profitendam

aliquam *excellentiam naturalem* et politicam: sic Genes. 23. 12, Abraham filios Heth adoravit, sic adorantur Reges, Superiores, etc.

Adoratio *sacra* seu *religiosa* (de qua sola inquirimus) est ea, quae alicui exhibetur propter aliquam *supernaturalem excellentiam*, et haec propter excellentiae diversitatem triplex est, nempe *latriae*, *duliae* et *hyperduliae*, quas voces post S. Augustinum (de Trin., l. 1, c. 6, n. 13) recte adhibent theologi ad tollendam ambiguitatem vocis « adoratio ». Haec autem nomina non tam spectantur secundum sensum grammaticalem (utrumque enim vocabulum, *latria* et *dulia*, graece significat *servitutem*), quam secundum usum, ex quo *latria* est adoratio, quae soli Deo exhibetur propter *infinitam et increatam ejus excellentiam:* et hic cultus strictius vocatur adoratio; *dulia* vero est adoratio, quae Sanctis exhibetur propter eorum gratiae et gloriae *supernaturalem* (sed *creatam*) perfectionem et *excellentiam; hyperdulia* demum est adoratio, quae soli B. Mariae Virgini exhibetur propter eximiam ejus supra omnes alias creaturas praeeminentiam supernaturalem ; unde hic cultus medium locum tenet inter latriam et duliam, licet ab hac posteriori non specie differt sed solo *gradu.*

Dividitur adoratio 2. in absolutam et relativam. Adoratio *absoluta* est ea, quae exhibetur alicui propter excellentiam quae ipsi *inest:* sicut divinitas est in Christo, aut sanctitas in Beatis. Adoratio *respectiva* seu *relativa* est ea, quae exhibetur alicui propter excellentiam quae non ipsi inest, sed alteri, quem objectum directum aut simpliciter *repraesentat* (ita v. g. honorantur imagines Christi et Sanctorum), aut quocum *relationem connexionis moralis* habet (ita coluntur reliquiae et vasa sacra). — Vid. Bellarminus, de Ecclesia triumph., l. 1, c. 12.

142. — III. *Objectum* adorationis triplex distingui potest, scilicet formale, materiale, manifestationis. — 1. Objectum *formale* est excellentia ipsa, propter quam adoratio elicitur.

2. Objectum *materiale* est id ad quod immediate terminatur adoratio. Tribuitur autem objecto immediato adoratio, vel *a*) quia *identificatur* cum excellentia, propter quam adoratio defertur: ita Deus identificatur cum divina excellentia; vel *b*) quia in isto directo objecto excellentia est per modum *formae propriae:* uti sanctitas, sapientia, etc., in spiritibus creatis; vel *c*) quia directum illud objectum *substantialiter conjungitur* cum ea re in qua excellentia residet: ita corpora sanctorum viventium; vel *d*) quia directum illud objectum cum re in qua residet excellentia conjungitur non substantialiter, sed tantum extrinseca habitudine et *unitate quadam morali:* ita imagines et reliquiae. Ultima haec adoratio, ex

dictis, est tantum relativa, in aliis casibus est absoluta. Cf. Franzelin, thes. 45. p. 456.

3. Objectum *manifestationis* definitur a Stentrup (t. 2, p. 738), « illud in quo et per quod objectum formale (seu excellentia) praesens menti sistitur ». Ita v. g. per res creatas divinae perfectiones (sapientia, misericordia, bonitas, etc.) nobis notiores fiunt; sed praecipue hoc fit in incarnatione, tum scilicet per totam Verbi incarnati humanitatem, tum per singulas quasdam partes ejus (v. g. vulnera, sanguinem), tum demum per specialia quaedam mysteria (v. g. nativitatem, agoniam). — His positis, inquirendum est 1. de ipsius hominis Christi ejusque humanitatis sacrae adoratione, deinde 2. de humanitatis hujus partium singularium ac nominatim Sacratissimi Cordis cultu.

Art. 1. — De humanitatis Christi adoratione

143. — **Praenotanda.** — I. Certum est contra Arianos, Apollinaristas, Nestorianos, Socinianos, etc., Christum quatenus est *hic homo*, adorandum esse adoratione absoluta latriae: nam hic homo Christus, seu haec hypostasis in humana natura subsistens, est verus Deus. De quaestione vero ulteriori, utrum etiam Christi *humanitas* sit adoranda, et qua adoratione: docuisse fertur Wickleff, adorandam esse carnem seu humanitatem Christi sola adoratione *relativa* qua adoratur crux, non vero latria *absoluta:* ita quoque juxta aliquos Gilbertus Porretanus, imo et quidam scholastici. Cf. Petavius, l. 15, cc. 3, 4.

144. — II. Doctrina autem catholica tradita in Concilio Ephesino, can. 8 (Denz. 80) et in Concilio Constantinopolitano II, can. 9 (1), docet humanam Christi naturam, utpote *substantialiter unitam Verbo divino*, eadem *absoluta adoratione latriae* qua Verbum ipsum, et una cum Verbo *adorandam* esse. Damnata etiam est a Pio VII ut « falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito et praestando detrahens et injuriosa », propositio 61 synodi Pistoriensis, quae asserit, « adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae ». (Denz. 1424).

(1) « Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo [sensu scilicet Nestoriano] duæ adorationes introducuntur seorsum Deo Verbo et seorsum homini; aut.. sic adorat Christum, sed non *una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat,* juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio trad tum est, talis anathema sit » (Denz. 180). — Advertit Franzelin (p. 461), « Non ita unam esse deferendam adorationem, ut objectum sit tantum *una natura* sive divina sive composita; haec enim esset adoratio Apollinistarum et Eutychianorum ».

145. — III. In doctrina autem catholica, objectum *formale* cultus absolutae latriae est excellentia increata Verbi divini; objectum *materiale integrum* est Deus Verbum in sua humanitate exstans; objectum *materiale partiale* est etiam humanitas hypostatice Verbo unita, seu quatenus est humanitas Verbi. « Ipsa caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed *prout unita divinitati* », ut docet Pius VI (« Auctorem Fidei », in damnatione prop. cit. synodi Pistor.). — Humanitas praeterea, ex dictis, est *objectum manifestationis*, quo Deus Filius se proponit nobis ut bonum, misericordem, etc., nosque ad cultum et amorem excitat.

146. — **Propositio. Christus ut homo, sive humanitas Christi prout conjuncta Verbo divino, adorari debet cultu latriae absoluto.**

Prob. I. Ex Philipp. 2. 9, 10, « Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum ». — Hîc agitur de Christo secundum humanam naturam: in ea enim natura tantum exaltari potuit; atqui Christo secundum hanc naturam spectato debetur cultus divinus, ut significatur verbis, « omne genu flectatur..... »; ergo.

147. — **II.** Ex Hebr. 1. 6, « Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei ». — His verbis dicitur Christus in introductione in mundum cultu divino adorari: angeli enim solum Deum adorant; atqui, ex interpretatione S. Joannis Chrysostomi, Theophylacti, S. Gregorii Nysseni, S. Cyrilli Alexandrini et aliorum, Christus introductus fuit in orbem terrae, quando Verbum carnem indutum est; ergo Christus quatenus est homo cultu latriae adoratur. — Cf. Petavius, l. 15, c. 4. n. 1. — Simile argumentum exhibet Jo. 5. 22, 23, ubi Christus secundum illam ipsam naturam humanam in qua judicaturus est mundum, declaratur honorandus *sicut* honoratur Pater.

148. — **III.** Doctrinam nostram Patres probant etiam ex historia caeci nati (Jo. 9. 35 sqq.), et ex adoratione Magorum (Matth. 2. 11). Locum quoque Ps. 98. 5, « Adorate scabellum pedum ejus », saepius exponunt de adoratione carnis Christi. Ita S. Ambrosius (l. 3 de Spiritu S., c. 11), « Per scabellum terra intelligitur: per terram autem Christi caro, quam hodie in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt ». Ex Patribus graecis, citari potest S. Athanasius (epist. ad Adelph., n. 3), « Rem creatam non adoramus: absit..... Sed rerum creatarum Dominum, carnem factum, Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsum spe-

ctata, pars sit rerum creatarum, attamen *Dei facta est corpus.* Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare ipsum a carne removemus ». Item (contra Apollinarium, l. 1, n. 6), « O stulti! cur non cogitatis, corpus Domini quod factum est adorationem non exigere quae rei creatae debeatur? Nam increati Verbi corpus factum est: ac ipsi cujus corpus factum est adorationem affertis vestram. Debita ergo et divina adoratione colitur: Deus enim est Verbum cujus corpus est proprium ». Ac S. Joannes Chrys. (hom. 13 in Phil., c. 3), « Hoc ipsum corpus [cujusvis Beati in resurrectione] conforme illi fit, *quod adoratur ab Angelis*, illi cui assistunt incorporeae Potestates, illi quod est supra omnem Principatum et Virtutem et Potestatem ». Postea S. Joannes Damascenus (de fide orth., l. 3, c. 8) « Non creaturae servimus [*latriam* exhibemus]; non enim illam, ceu nudam carnem adoramus, sed veluti divinitati unitam: et quia duae ipsius naturae ad unam Dei Verbi personam reducuntur, unamque subsistentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno conjunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro ». Alia testimonia exhibet Petavius, l. 15, c. 3: cf. Card. Manning, « Glories of the Sacred Heart », pp. 32, sqq.

149. — **IV.** In veneratione omni humana, tum civili tum sacra, tota persona seu compositum unico actu adoratur, licet excellentia propter quam adoratio defertur, non sit in omnibus personae partibus: ita doctrina, sanctitas, sapientia, etc., sunt tantum in anima; atqui una persona composita Christi ex utraque natura divina et humana constat; ergo humanitas Christi divinitati substantialiter conjuncta cultu absoluto latriae coadoranda est. — Cf. Suarez, d. 35, sect. 2, n. 4; Dalgairns, « The Sacred Heart », pp. 112, 113.

ART. 2. — DE CULTU SACRATISSIMI CORDIS JESU

150. — **Praenotanda.** — I. Ex dictis, humanitas Christi est objectum materiale *partiale* cultus latriae, propter substantialem ejus conjunctionem cum Verbo (adoratur *in se* non tamen *propter se*). Ob eandem substantialem conjunctionem, singulae humanitatis Christi partes sunt objectum materiale ejusdem cultus latriae et possunt etiam esse, sicut humanitas tota et singula aliqua Christi mysteria, objectum manifestationis. Hinc ecclesia cultui publico fidelium proponit nunc sancta quinque vulnera et pretiosissimum sanguinem, quae Christi vitam ac passionem *externam* manifestant, nunc Sacratissimum Cor Jesu, quod vitam et passionem ejus *interiorem* repraesentat.

151. — II. De cultu Sacratissimi Cordis Jesu distincte agendum est, cum haec devotio a synodo Jansenistica Pistoriensi (prop. 62) « nova, erronea, aut saltem periculosa » dicta sit. Et cum haec Pistoriensium propositio (62), « intellecta de hac devotione, *qualis est ab Apostolica Sede probata* », damnata sit ut « *falsa*, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa » (Denz. 1425), certum est, devotionem erga Sacratissimum Cor Jesu, quatenus ab Apostolica Sede approbata est, piam ac legitimam esse.

152. — III. Priusquam probetur haec doctrina, juvat inquirere, qualis sit devotio quam ecclesia approbat. Ex diversis documentis (quae indicantur v. g. apud Müller, « Theol. Moral. », t. 2, pp. 144, sqq.; Pesch, nn. 211, sqq.) haec constant: 1. *Finis* devotionis hujus et publici festi *institutionis* in honorem Cordis Sacratissimi Jesu, est ut memoria amoris Domini nostri renovetur et expiatio eidem fiat. — 2. *Cultus* qui in hac devotione exhibetur, est cultus absolutus latriae. — 3. *Objectum formale* hujus adorationis est increata excellentia Verbi ac amor ejus erga homines. — 4. *Objectum materiale* est Cor Jesu corporeum, vivum et animatum, quod pro nobis in cruce vulneratum et transfixum fuit. — 5. Est autem idem Cor *objectum* etiam *manifestationis;* et ratio seu « motivum », cur potius adoretur Cor quam alia sacrae humanitatis pars, v. g. manus aut caput, est quia cor humanum est affectionum interiorum sedes et organum, vel saltem apud omnes est *symbolum amoris*. Hinc, ut ait Perrone, n. 539, « colitur Cor Jesu in se ac prout est amoris symbolum ».

Ex dictis liquet contra Jansenistarum calumnias, nos non adorare cor carneum a divinitate separatum et praecisum, sed una adoratione cor personae Verbi « inseparabiliter unitum », ut loquitur Pius VI (const. « Auctorem Fidei », in damnatione prop. 63 Pistoriensium: Denz. 1426), et proinde ipsam personam Verbi. In ista scilicet devotione directe effertur ipsum Cor, in obliquo autem persona cujus est Cor. Aliter enim dicere non possemus, « Cor Jesu sacratissimum, *miserere* nobis », etc. Attribui vero debent SS. Cordi in precibus et concionibus ea tantum, quorum est vel 1. physice organum aut objectum (effusio sanguinis, transfixio, vulneratio), vel saltem 2. symbolum, uti affectus morales (amoris, misericordiae, desiderii), et minus proprie operationes aut qualitates intellectuales (scientia, sapientia). Minime autem 3. adscribenda sunt SS. Cordi ea quae toti *supposito* propria sint (uti conceptio, nativitas, deambulatio, mors). Cf. Pesch, nn. 219, sqq.

153. — Propositio. Cultus Sacratissimi Cordis Jesu, prout ab Apostolica Sede approbatus est, pius et legitimus est.

Prob. I. Pius ac legitimus est hic cultus, si Cor physicum Jesu in se sit cultu absoluto latriae dignum, et si motivum sufficiens habeatur cultum specialem in illud determinate dirigendi; atqui, ut dictum est, Cor Sacratissimum Jesu ob ejus cum Verbo unionem hypostaticam est in se dignum cultu latriae absoluto, et cum sit sedes et organum vel saltem symbolum dilectionis Jesu erga homines (cujus commemoratio est *finis* devotionis), motivum sufficiens habetur illud speciali adoratione venerandi; ergo licitus est ille cultus.

154. — II. Practice pro Catholicis probatur propositio ex institutione festi Sacratissimi Cordis; ex lata propagatione, ope sodalitatum, etc., hujus devotionis, quam etiam ecclesia pluribus indulgentiis ditavit; demum ex virtutum fructibus quos haec devotio in dies in fidelium animis producit. — Cf. Hurter, n. 598; Müller, p. 147.

155. — Dices. Cultus SS. Cordis Jesu *a*) novus est, et toti antiquitati christianae ignotus, ideoque *b*) cum primum introductus est, commotiones fidelium ubique excitavit, imo *c*) confirmatio illius ter a S. Sede denegata est: demum *d*) assumptioni falsae nititur, quod cor humanum sit sedes aut organum affectionum; ergo non est admittendus iste cultus.

Resp. *Dist. Anteced. per singula.* — Ad *a*) Novus est cultus quoad festi celebrationem, *conc.;* quoad rem ipsam, *nego:* indicia enim hujus cultus habentur v. g. in scriptis vel actis S. Augustini, S. Bernardi, S. Gertrudis; ac praeterea, adversariorum argumentum omnem devotionem novam excluderet. — Ad *b*) Apud homines factiosos, ac praecipue Jansenismi fautores, *conc.;* apud fideles universim, *nego.* Oppositione quoque multo majore impugnata sunt festa Corporis Christi et Immaculatae Conceptionis. — Ad *c*) Dilata est confirmatio cultûs ob rationes prudentes, *conc.;* declaratus est cultus illicitus, *nego.* — Ad *d*) Nititur cultus assumptioni physiologice falsae, *transeat;* symbolice et moraliter falsae, *nego:* apud omnes enim gentes cor habetur ut symbolum affectionum. Ad primum distinctionis membrum dicitur « transeat »: quia credunt physiologi nonnulli, cor revera sedem esse affectionum sensitivarum idque videntur confirmare historiae plurium Sanctorum (v. g. SS. Philippi Nerii, Gertrudis, Pauli a Cruce). Vid. Dalgairns, pp. 93-95.

QUAESTIO QUINTA

DE CHRISTI HOMINIS PERFECTIONIBUS ET AFFECTIONIBUS

CAPUT PRIMUM

De perfectionibus Intellectus humani Christi

156. — **Praenotanda.** — I. Ex hujus capitis titulo liquet, de intellectu tantum humano Christi hic agi: intellectui enim ejus divino tribuenda est scientia perfectissima nullo circumscripta limite, ac rejicienda est « kenosis » illa, qua Verbum divinum (ut voluerunt cum Gore protestantes plures) deposuisset in incarnatione omniscientiam et alia quaedam divinitatis attributa. Cf. de Deo Trino, n. 36, p. 31.

157. — II. De Christi intellectu creato obiter inquirit Suarez (d. 24, s. 1, n. 3), utrum sit perfectior intellectu non quidem angelico (ut liquet), sed omni alio humano qui unquam actu exstitit aut existet: eum enim non esse superiorem omni intellectu humano *possibili*, melius videtur congruere omnipotentiae divinae, quae semper perfectius ad extra operari potest. *Christum* autem *reliquos homines superasse in facultate intelligendi* (sive proveniat inaequalitas ista ex ipsis animabus in se, sive ex sola corporum dispositione et organorum attemperatione), suaderi potest tum ex dignitate personae, tum ex fine et opere ad quod humanitatem assumpsit; ac praeterea, in Christo non fuerunt impedimenta illa imaginationis et sensuum, quae post peccatum originale liberum facultatum intellectualium exercitium in aliis hominibus impediunt.

158. — III. His indicatis, distinguenda est scientia triplex creata, nempe beatifica, infusa, acquisita.

1. *Beatifica* (ait Franzelin, thes. 42, n. 1) « est ipsa visio intuitiva Dei, et aliorum objectorum quae a Deo distincta sunt,

visio in Deo seu in divina essentia ut in causa exemplari et efficiente omnium creaturarum »: et haec scientia vocatur etiam, post S. Augustinum (de Gen. ad litt., l. 4, c. 23, n. 40: cf. de Deo Creat., n. 41), cognitio « matutina ».

2. *Infusa* est rerum, quae praeter Deum sunt, cognitio in se ipsis per species quae non a phantasmatibus accipiuntur, sed a Deo ipso intellectui induntur et imprimuntur: et haec scientia, quae dicitur etiam « vespertina », est infusa vel *a*) *per se*, quando scilicet ex natura sua acquiri studio et exercitio non possit, sed sola divina communicatione haberi possit, uti v. g. in prophetis praevisio futurorum liberorum, vel *b*) infusa *per accidens* quae, licet propriis naturae humanae viribus comparari possit, a Deo tamen immediate communicatur, qualis esset alieni idiomatis notitia subita, aut scientia philosophiae citra studium aut magistrum habita.

3. *Acquisita* seu *empirica*, est scientia quae comparatur naturali exercitio facultatum naturalium, et cujus usus in homine aliquo modo dependens est a phantasmatibus.

159. — IV. De quaestione generali, utrum omnino fuerit in Christo homine scientia aliqua creata, distinguit Suarez (l. c., s. 2) duos errores. Primus negat Christum per humanitatem aliquid actu cognovisse, aut ullum humani intellectûs actum exercuisse: et ita videntur tenuisse Monothelitae, unam Verbi divini operationem in Christo agnoscentes. Alter docet Christum actu quidem cognovisse, sed per scientiam increatam unitam intellectui creato: ita ex parte saltem Hugo Victorinus, qui tamen non negat expresse ullum actum creatum in intellectu Christi fuisse.

Contra hos errores duo censet Suarez de fide certa esse ex iis definitionibus (praesertim Concilii Constantinopolitani III: vid. supra, n. 130, not.) quae docent universim, et ideo tam de intellectu quam de voluntate, esse in Christo duas operationes, divinam et humanam: tenendum nempe est, 1. Christum ut hominem, per intellectum creatum habuisse *actualem* aliquam scientiam seu cognitionem; 2. istam actualem Christi scientiam fuisse *creatam*. Haec ergo generalis doctrina primo statuenda est, ac deinde distinctis propositionibus probandum est, esse in Christo triplicem scientiam praefatam, beatificam, infusam, acquisitam.

160. — Propositio I. Christus habuit actualem aliquam scientiam creatam.

Prob. I. Scriptura docet Christum orasse, meritum esse, etc.; atqui hae actiones, quae sane sunt creatae, vel sunt ipsius humani intellectus actus creati, vel si sint voluntatis ejus humanae, sup-

ponunt, cum voluntas sit caeca facultas, actus intellectûs ejusdem animae; ergo.

161. — **II.** In Christo fuit perfecta natura humana cum omnibus suis proprietatibus naturalibus, iis solis exceptis quas non decet in Christo esse, uti fuisset corruptibilitas, vel non oportet ob nostram utilitatem, puta impassibilitatem; atqui actus intellectûs sunt maxime consentanei ipsi naturae, nec ex alia parte dedecet eos in Christo esse, cum potius requirantur ad perfectionem, ne scilicet facultas maneat in potentia: neque demum officiunt utilitati nostrae sed potius necessarii sunt ad meritum, etc.; ergo.

Obs. Dicit Suarez, d. 24, s. 2, n. 6, communem esse sententiam theologorum cum S. Thoma contra Hugonem Victorinum, animam Christi nihil formaliter intellexisse per ipsam scientiam increatam divinitatis: propria enim operatio unius naturae fieri nequit operatio alterius.

162. — Propositio II. Christus ut homo (1) habuit scientiam beatificam et quidem (2) a primo instanti conceptionis: non habuit tamen (3) scientiam Dei comprehensivam.

Prob. prima pars (quam sicut et secundam partem Suarez, d. 25, s. 1, n. 6, putat non quidem de fide, sed adeo certam ex theologorum et fidelium consensu, ut contraria sententia non solum temeraria sit, sed et erronea et haeresi proxima). — **I.** Ex Jo. 3. 11, « Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur ». — Mysteria quae Christus hîc tradit Nicodemo, scivit ut homo; atqui ea non potuit scire ut homo nisi per visionem beatificam; ergo habuit scientiam beatificam.

Prob. Maj. Christus hic locutus est ut homo, humano sermone, seipsum hominibus sociando (et forsan tempore praeterito « vidimus », non divinam sed successivam et creatam scientiam significando); locutio autem humana oriebatur necessario e notitia et voluntate humanis (cf. Lugo, d. 19, n. 2).

Prob. Min. Scivit Christus ea quae Nicodemo hîc tradidit, vel per scientiam infusam vel per visionem beatificam, non autem per scientiam acquisitam: agitur enim de *mysteriis* supernaturalibus scilicet de dilectione Patris erga mundum, de sua divinitate, de regeneratione per aquam et Spiritum sanctum, etc.; atqui non scivit ea per scientiam infusam, cum dicat se testem esse *de visu;* ergo per scientiam beatificam.

Argumentum sumunt aliqui ex Jo. 1. 17, 18, « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ». Etenim si Christus noverit Deum ex sola reve-

latione aut scientia infusa et non visione intuitiva, Moysen haud superasset. Non plane tamen constat hic agi de Christi scientia *humana*. - Habetur etiam probabile argumentum ex Jo. 8. 54, 55, « Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum; ego autem novi eum..... et sermonem ejus servo ». Hic enim significat se Christus, secundum illam naturam in qua Pater eum glorificaturus est et in qua ipse ei obtemperat, Patrem cognoscere non tantum ex ratione aut revelatione ut Judaei, sed cognitione immediata ut Patrem.

163. — **II.** Ex Patribus, dicit v. g. S. Fulgentius (epist. 14 ad Ferrand., n. 26), « Perquam vero durum est et a sanitate fidei penitus alienum, ut dicamus animam Christi non plenam suae deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter unam creditur habere personam ». Jam antea scripserat S. Cyrillus Alex. (contra Nestor., l. 3, c. 4), « Credimus enim ex ipso ventre atque utero virgineo ipsum Emmanuel, cum Deus esset, hominem prodiisse, plenum procul dubio sapientia et gratia, quae illi naturaliter inerat. Quodnam is incrementum susciperet, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, qui supernae gratiae simul cum Deo et Patre largitor est? Quomodo igitur proficere dictus est? Ut ego arbitror, quia Deus Verbum pro incremento et aetate sui corporis divinorum illorum bonorum, quae sibi inerant, manifestationem admetiebatur ».

Huncque progressum *per manifestationem*, seu in opinione hominum, quem proponunt plures Patres, uti SS. Gregorius Nazianzenus, Joannes Damascenus, Beda, Anselmus, Bernardus, citati a Bellarmino (de Christo Capite, l. 4, c. 5), sic illustrat ipse: « Quo modo sol, quo magis ascendit versus medium coelum, tanto magis dicitur proficere in lumine et calore, non quod in se fiat lucidior et calidior, sed quia magis apparet ejus virtus ».

164. — **III.** Christus homo dum in terris degeret, utpote Filius Dei naturalis (supra, nn. 118, sqq.) possidere debuit haereditatem: neque enim intervenire debuit mors Patris; atqui haereditas illa, qua titulo adoptionis jam gaudebant angeli, consistit in visione intuitiva et fruitione beatifica Dei, neque eam per se impediunt organa corporalia; ergo dicenda est humanitas Christi felicitate et perfectione illa adeo conveniente non caruisse. — Cf. Suarez, d. 25, s. 1, n. 4.

165. — **Prob. secunda pars** (quam negabant Güntheriani, dicentes Christum visionem beatificam suis meritis sibi decursu temporis comparasse). — Nullum vitae momentum excludi debet ab hac scientia, nisi 1. ob aliquam repugnantiam in illo tempore,

aut 2. ob Scripturae auctoritatem : fundamentum enim istius visionis, scilicet unio hypostatica semper aderat; atqui non repugnat Christum habuisse scientiam beatificam etiam in primo isto instanti, nec hoc excludit Scriptura, imo potius suadet; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Sola repugnantia esset ex corporis statu infantili ; atqui hinc nulla repugnantia : usus enim illius scientiae a sensibus et organis corporeis nullatenus pendet; ergo.

2. Non excludit Scriptura primum instans, imo suadet; dicit enim de Verbo, eo ipso quod caro factum sit, « plenum gratiae et *veritatis* »; atqui primo instanti conceptionis, verum erat, « Verbum caro factum est »; ergo.

166 — **Prob. tertia pars,** quae fidei dogma est ex Concilio Lateranensi IV, et denuo ex Vaticano (Denz. 355, 1631). — Scientia comprehensiva ea est qua res cognoscitur quantum cognosci potest; atqui nulla intelligentia creata potest Deum cognoscere quatenus cognosci potest, cum infinitus sit; ergo Christus ut homo non habuit Dei scientiam comprehensivam. - Hinc obiter animadvertere licet, haud tribui a theologis catholicis intellectui *humano* Christi scientiam sine limitibus, scientiam omnium rerum divinarum et humanarum, praeteriti, praesentis et futuri, ut asserunt aliqui.

167. — Scholion de Christi scientia beatifica cum passibilitate ipsius concilianda. — De passibilitate *sensitiva* non est permagna difficultas : potest enim quis etiam naturali partis superioris gaudio de poësi v. g. gaudere, dum dolore cruciatur in corpore. Difficultas ergo praecipua est : Quomodo ipsa Christi anima quoad potentias *spirituales* potuerit dolores et tristitiam (v. g. de peccatis hominum, de fuga et desertione discipulorum) pati, dum dotata esset visione beatifica : et ad hanc rem componendam certe admittenda est in quacumque explicatione singularis aliqua Dei interventio.

1. Rem sic explicat Melchior Canus (de locis, l. 12, c. 12, fin.), quem sequuntur Gregorius de Valentia, Salmeron, alii : Supposito, gaudium beatificum cum dolore quocumque conciliari non posse, concipi potest Deus dum in Christi intellectu visionem beatificam relinqueret, ab illius voluntate cohibuisse, saltem passionis tempore, gaudium quod naturaliter quidem ex visione illa profluebat sed ab ipsa tamen separabile erat. Ex hac vero explicatione, quam communiter rejiciunt theologi Christus caruisset habitualiter et ordinarie vel gaudio beatifico, vel tristitia omni et angore : quod utrumlibet non videtur admittendum.

2. Alii ergo theologi communius, dum admittunt repugnare, ut in ejusdem animae superiore seu spirituali parte coëxistant *de eodem objecto et ex eodem motivo* gaudium et dolor, sicut repugnarent simul in eodem intellectu affirmatio et negatio de eadem propositione : negant tamen rem essentialiter ita se habere, si agitur de objectis diversis aut disparatis, quae diversis cognitionis modis apprehenduntur. In horum ergo explicatione, versabatur gaudium beatificum Christi circa increatum bonum lumine gloriae apprehensum : dolor vero et tristitia circa hominum peccata scientia infusa aut acquisita cognita : et licet connaturaliter gaudium beatificum omnem dolorem in eadem anima impediret, hic tamen effectus non est essentialis et in casu Christi suspensus est ; ac ipse proinde *simul comprehensor et viator fuit.* — Vid. Franzelin, thes. 42, schol. 2, pp. 430, sqq.

Obs. Multiplici Dei cognitioni, intuitiva et obscurae, quam habuit Christi intellectus, respondebat in vita ejus mortali duplex amor, comprehensoris nempe qui necessarius fuit, et viatoris, liber et meritorius, auxilio gratiae congruae elicitus.

168. — Propositio III. Christus ut homo a primo instanti suae conceptionis habuit scientiam per se infusam. — Est communis sententia, nec videntur contradicere S. Bonaventura et Alexander Halensis, qui pro contraria citari solent (cf. Pesch, n. 263).

Prob. I. Ex Hebr. 10. 5, sqq., « Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... Tunc dixi : Ecce venio..... ut faciam, Deus, voluntatem tuam ». — Oblationem suiipsius quam Christus ingrediens mundum, seu in primo incarnationis instanti fecit, praecessit scientia proportionata : fuit enim ista oblatio actus liber et meritorius, et proinde ex intellectu et voluntate ; atqui ista scientia non fuit acquisita aut beatifica ; ergo fuit per se infusa.

Prob. Min. per partes. — 1. Non fuit scientia ista *acquisita :* haec enim pendet a sensibus et organis corporis : tunc autem temporis Christus eis uti non potuisset. — Nec fuit 2. scientia *beata :* quia haec non est regula proportionata actus liberi et meritorii.

169. — **II.** Omnis perfectio, quae non habet oppositionem, vel cum visione beatifica (ut fides), vel cum statu redemptoris (ut gloria corporis), Christo est tribuenda, utpote ipsi, ratione unionis hypostaticae, debita ; atqui scientia infusa est naturae humanae perfectio, quae nec habet oppositionem 1. cum statu redemptoris, cum ejus carentia nihil conferre potuerit ad finem redemptionis, nec 2. cum visione beatifica, cum res diversimode cognosci possint,

nimirum in essentia divina per scientiam beatificam, et in se ipsis per scientiam infusam, uti a beatis; ergo Christus ut homo habuit scientiam infusam, et quidem a primo instanti conceptionis, cum ipsi debita fuerit ratione unionis, nec ulla fuerit ratio ejus concessionem differendi.

170. — **Obs.** Argumentum hoc alterum suadet quoque, quod et tenent plures theologi, Christum ab initio scientiam *per accidens infusam* habuisse earum omnium rerum quas postea cognovit successive scientia experimentali. Hanc tamen scientiae distinctionem in Christo aut negant aut negligunt alii, post ipsum S. Thomam, 3, qu. 9, a. 4.

171. — **Propositio IV. Christus ut homo habuit scientiam simpliciter acquisitam seu experimentalem.** — Dicitur a Suarez, d. 30, s. 2, n. 9, « vera conclusio et communis theologorum ».

Prob. I. Verba Luc. 2. 52, « Et Jesus proficiebat sapientia et aetate », intelligenda sunt proprio sensu de vero aliquo profectu, sicut in aetate ita etiam in scientia seu sapientia; atqui Christus non proficiebat simpliciter, sed tantum quoad effectum et manifestationem, in scientia beata et infusa (ut docet S. Cyrillus Alex., cit. supra, n. 163); ergo vere proficiebat in scientia acquisita, non quidem incipiendo cognoscere novum aliquod *objectum* quod prius ut homo ignorabat, sed successive cognoscendo novo *modo*, nempe per propriam experientiam, plura quae jam sciebat scientiâ beatâ vel infusâ. — Argumentum etiam sumi potest cum Suarez, l. c., ex Hebr. 5. 8, « Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est obedientiam »: « non quia denuo virtutem obedientiae didicerit aut acquisiverit; sed quia illam novo modo exercuit et illius effectum expertus est ».

172. — **II.** Animae humanae corpori conjunctae modus connaturalis cognoscendi est per species et phantasmata a sensibus accepta; atqui hic modus cognoscendi potuit esse in Christo, imo et debuit; ergo habuit Christus scientiam experimentalem seu acquisitam.

Prob. Min. per partes. — 1. Christum *potuisse* habere istam scientiam, sequitur ex veritate corporis ejus, cujus sensus et organa objectis externis affici potuerunt, propter passibilem statum quem assumpsit, ut postea dicetur (n. 234).

2. Hoc *decuit et oportuit*. Conveniebat enim Christo habere scientiam non solum modo divino per scientiam beatam, nec tantum modo angelico per infusionem, sed etiam modo humano per acquisitionem: et alioquin potentia aliqua ejus perpetuo maneret

frustrata proprio ac sibi debito atque connaturali actu secundum statum suum (ut argumentatur S. Thomas, 3, qu. 9, a. 4) : imo nec apparet (ut ait Franzelin, thes. 42, p. 425), quomodo, scientiâ empiricâ seu experimentali negatâ, « sine specie quadam docetismi infantia, pueritia, tota vita Jesu Christi explicari possit ».

173. — **Obs.** Putant aliqui auctores (v. g. Franzelin, p. 425, 426; Stentrup, thes. 71, p. 1092) cum de Lugo (d. 21, s. 1) probabilius esse, species rerum externarum intellectui Christi a Deo infusas esse per accidens, *paulatim* et convenienter ad aetatem pro successiva sensuum et organorum dispositione et explicatione ac prout res sensibiles sensibus occurrebant : ita, ut Christus nihil unquam didicerit ab angelo aut homine, et tamen vere et connaturaliter in scientia acquisita profecerit.

174. — **Scholion 1. de objecto scientiae supernaturalis Christi.** — 1. Humanam Christi scientiam beatificam, quae *a*) quoad *objectum primarium*, seu Deum ipsum unum et trinum, perfectissima est, quatenus in praesenti ordine esse potest (etsi non comprehensiva), extendi etiam *b*) ad *omnia omnino objecta extra Deum*, docent theologi. Etenim, ut argumentatur Franzelin (p. 421) post S. Thomam (3, qu. 9, a. 2), ex excellentia Christi tanquam Domini, Capitis et Judicis omnium, « generatim cognitio rerum extra Deum in beatis comprehensoribus respondet perfectioni et statui, auctoritati et potestati uniuscujusque in res et personas aliqua ratione sibi subjectas et a se pendentes [cf. S. Thomas, 1, qu. 12, a 8]. Atqui Christus homo secundum humanam etiam naturam est lapis angularis, fastigium et ultima perfectio totius ordinis creati..... ; potestati ejus ac moderationi subjecta sunt omnia..... Tum igitur perfectio visionis Dei respondens exaltationi hujus naturae per unionem hypostaticam, tum status, auctoritas, potestas Domini Nostri Jesu Christi exigunt et vindicant humanae ejus scientiae cognitionem eorum omnium, quae pertinent ad objectum *scientiae visionis* Dei ipsius, i. e. omnium, quae aliquando actu fuerunt, sunt vel erunt ».

2. Cognoscere autem Christum hominem creaturas, non tantum per scientiam praedictam *beatificam* seu « matutinam » (unico scilicet actu, in ipso Deo objecto primario et exemplari intuitive viso), sed etiam successive per *scientiam infusam* seu « vespertinam », considerando scilicet in se ipsis nunc haec nunc illa objecta pro voluntate, docet communior sententia cum S. Thoma (3, qu. 11, a. 1). Uterque enim modus cognitionis ob rationes jam indicatas debetur Christo ; neque alter alterum excludit. Contrariam sententiam dicunt Suarez (d. 25, s. 3, n. 3), et de Lugo (d. 20, s. 7, n. 3).

falsam et minus probabilem, non autem graviori censura notandam, dummodo admittatur objecta praefata omnia revera cognosci a Christo saltem cognitione matutina in Deo.

3. Christum non cognoscere humano intellectu omnia *possibilia*, fatentur omnes Catholici, alioquin enim scientia ejus tam late pateret quam scientia divina, quod repugnat (cf. S. Thomas, 3, qu. 10, a. 2). — De scientia vero *conditionatorum* dicit Suarez (d. 26, s. 4, n. 15), « dubium non est quin *potuerit* illam [Deus] Christi animae communicare in visione beata, quia non est major difficultas in hac scientia quam in qualibet alia scientia creaturarum in Verbo. Quin potius, in Matth. 11 [21, de poenitentia futuribili Tyriorum et Sidoniorum], *satis constat* Christi animam hanc scientiam habere. Sicut autem anima Christi non videt de facto in Deo omnia possibilia, ita necesse non est ut haec conditionata omnia et in omnibus rebus cognoscat, sed ea tantum quae juxta divinae sapientiae rationem et mensuram videre expediens fuit, et ad Christi dignitatem et munera fuit conveniens ».

175. — Scholion 2. de ignorantiae et erroris exclusione a Christo. — I. Ex dictis sequitur, Christum etiam secundum humanitatem nunquam laborasse *ignorantia* proprie dicta, seu defectu illius scientiae, quae in ipso esse potuit et debuit, multo minus *errore*. Hos vero defectus, praecipue circa diem judicii, antiquitus tribuerunt Christo Ariani et Nestoriani ac nominatim ex secta monophysita Agnoetae, qui etiam ex eorum auctore Themistio diacono alexandrino saec. VI, Themistiani dicti sunt. Horum opinioni aliquatenus consenserunt postea Lutherus, Calvinus, Zuinglius (testimonia refert Bellarminus, de Christo Capite, l. 4, c. 1), recentius quoque Güntheriani, et hodie praetextu theoriae *kenoticae* protestantes plures liberaliores (cf. de Deo Trino, n. 36).

Novissime vero de hac re erraverunt Modernistae, ac praecipue Loisy. Ex hoc videlicet auctore, Christus 1. nulla gaudebat scientia extraordinaria (quae praeterea ex multiplici capite in ipso repugnaret), sed eam habuit cognitionem rerum quae conditioni populari in qua natus est competeret (1); 2. nonnisi occasione baptismi in Jordane acquisivit Christus conscientiam claram et certam dignitatis suae messianicae; et exinde 3. fundamentale thema (seu Evangelium, aut « bonum nuntium ») praedicationis illius, ad quod unice respexerint exhortationes ejus de poenitentia, de contemptu saeculi, de tolerantia malorum, etc., fuit consummatio proxima

(1) Scribit Loisy, « Simples réflexions », p. 74, « Les lumières du Christ étaient dans sa conscience; ses connaissances étaient celles du milieu populaire où il était né ».

mundi, regnique ipsius messianici adventus, seu « parousia ». Vid. « l'Evangile et l'Eglise », pp. 55, sqq.; « Autour d'un petit livre », pp. 138, sqq.

176. — Contra opiniones istas recentiores et antiquiores, quamvis desit explicita et *solemnis* ecclesiae *definitio*, nec in Christo possit ex Evangeliis *historice sumptis* adaequate aliquid demonstrari praeter extraordinariam aliquam scientiam (cf. Marc. 6. 2, 3; Luc. 2. 47), quae etiam ad secreta cordium (Matth. 16. 8, et alibi) et ad futura libera (Marc. 10. 33) extendebatur: nihilominus, ut ait Bellarminus (l. c, c. 1, fin.), « Catholicorum communis sententia semper fuit, Christi animam ab ipsa sua creatione repletam scientia et gratia, ita ut nihil postea didicerit quod antea nesciret ».

Ut testimonia aliqua citentur, jam saec. IV (an. 384) S. Hieronymus scribit (epist. 36 ad Damas., n. 15), « Nullum hominem, excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuisse scientiam, et certissimam veritatem ». Ac saec. V (circa an. 426) Leporius presbyter et monachus in « libello emendationis » quam cum pluribus Africae et Galliae episcopis approbavit S. Augustinus, sententiam suam priorem anathematizavit, qua asserebat, « Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem ignorare ». Ipse quoque S. Augustinus (de pecc. mer. et rem., l. 2, c. 29, n. 48) dicit, « Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis ». Simili modo loquuntur S. Cyrillus Alex. (cit. supra, n. 163), Origenes, S. Joannes Chrysostomus (apud Petavium, l. 11, c. 1, n. 9). Christi quoque verba, Marc. 13. 32, « De die autem illo..... nemo scit..... neque Filius... », ita explicant Patres, ut non admittant in Christi anima illius diei ignorantiam, dicentes verba illa significare diem judicii non cognosci a Christo, *a*) scientia incommunicata, aut *b*) ad manifestandum hominibus, aut *c*) ab humano intellectu Christi naturaliter: seu ut dicit S. Gregorius M. (epist. l. 10, n. 39), Christus « *in* natura quidem humanitatis novit diem et horam judicii, sed tamen hunc non *ex* natura humanitatis novit » (1).

Putant quidem Vasquez (in 3 P., disp. 5, c. 1, n. 5) et Petavius (l. c., nn. 5, sqq.), Patres plures (praecipue SS. Athanasium et

(1) Aliam explicationem, de scientia scilicet *empirica*, tradit S. Bernardus (tract. de gradib. humil., c. 3, n. 10), « Nam etsi suae divinitatis intuitu aeque omnia, praeterita scilicet, praesentia atque futura perlustrando, diem quoque illum palam habebat; non tamen ullis carnis suae sensibus experiendo agnoverat. Alioquin jam... auribus sui corporis archangelum vociferantem, et tubam sonantem, in quo strepitu mortui suscitandi sunt, audierat: jam oculis suae carnis oves haedosque, qui ab invicem segregandi sunt, perspexerat ».

Gregorium Nazianzenum), non tantum ex quadam concessione et ad haereticorum, ipsi Verbo ignorantiam adscribentium, eludendas versutias, sed nonnunquam etiam ex propria sententia inscitiam Christo homini tribuisse: hos tamen Patres aliter explicare conantur theologi alii. Vid. Stentrup, thes. 73, pp. 1123, sqq. Postquam vero contra Themistianos distincte agitata fuerit quaestio, indubia erat responsio Catholicorum. Ita scribit saec. VI S. Gregorius M. (epist. 39, jam cit.) ad Eulogium patriarcham alexandrinum, « De doctrina vestra contra *haereticos* qui dicuntur Agnoitae, fuit valde quod admiraremur..... Ita autem doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordavit, ut mirum mihi non esset quod in diversis linguis Spiritus non fuerit diversus ». Item saec. VIII S. Joannes Damascenus in libro « de haeresibus » (n. 85) inter *haereticos* recenset Agnoetas. Doctrinam nostram (apud Bellarminum, l. c., 3) eodem aevo tradit S. Beda (hom. 12: M. 94. 67), saec. vero XII S. Anselmus (cur Deus homo, l. 2, c. 13: M. 158. 413) et S. Bernardus (de gradib. humil., c. 3, n. 10: M. 182. 947). Hos secuti sunt scholastici omnes.

177. — III. Haec ergo doctrina, quae tam intime cum dignitate et muneribus personae Verbi Incarnati nectitur, ac per tot saecula ab universa ecclesia tam explicite praedicata et credita est, nequit salva fide rejici, etiamsi de censura speciali non constet. Nuper autem Modernistarum errores de hac re rejecit C. S. Officii, reprobando in decreto « Lamentabili », 3 Julii 1907 (A. S. Sedis, t. 40, p. 409) propositiones sequentes: 32, « Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Jesu Christi »; 33, « Evidens est cuique qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Jesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut majorem partem ipsius doctrinae in Evangeliis Synopticis contentae authenticitate carere »; 34, « Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite, nisi facta hypothesi quae historice haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate »; 35, « Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis messianicae ».

178. — **Dices. 1.** Ex Scriptura Christus i. admiratione affectus est (Matth. 8. 10, « Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel »), 2. interrogavit plura (v. g. Matth. 15. 34, quot panes haberent discipuli: Matth. 16. 13, opinionem Judaeorum de ipso: Jo. 11. 34, locum

sepulturae Lazari), 3. confortatus est ab angelo (Luc. 22. 43); atqui haec omnia supponunt ignorantiam in Christo; ergo.

Resp. *Nego Min.* Etenim 1. ex doctrina nostra admiratio, utpote de aliquo novo et insolito, non potuit quidem esse in Christo homine spectatâ scientiâ ejus beatâ aut infusâ, bene vero, ut ait S. Thomas (3, qu. 15, a. 8), quoad scientiam experimentalem; 2. ex motivo multiplici (v. g. ad attentionem excitandam) potest quis interrogare de re jam cognita, urgentque Patres (uti Origenes et S. Joannes Chrysostomus: apud Petavium, l. 11, c. 1, n. 9), ipsum Deum omniscium interrogasse ubi essent Adam (Gen. 3, 9) et Abel (Ibid. 4. 9); demum 3. illa confortatio angelica, non fuit per modum instructionis, quasi videlicet angelus *motiva* aliqua Christo primus proponeret, aut ipsi in memoriam revocaret; sed per exhibitionem compassionis, gratitudinis, etc.; aut etiam per sustentationem, extrinsecus corpori et sensibus praestitam. Cf. Stentrup, thes. 71, pp. 1078, sqq.

179. — **Dices 2.** Si praedixit solemniter Christus, brevi, in propria scilicet generatione et aetate fore, ut mundi consummatio et gloriosi regni sui messianici adventus evenirent, in errorem lapsus est. Atqui ita res se habuit. Etenim 1. loquens de fine mundi dixit Christus (Matth. 24. 34-36), « Amen dico vobis, quia *non praeteribit generatio haec*, donec omnia haec fiant. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt. De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli coelorum, nisi solus Pater ». Item 2. de supremo agens judicio, ait (Matth. 16. 28), « Amen dico vobis, sunt *quidam de hic stantibus*, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo ». Etiam 3. pluries declaravit (v. g. Matth. 4. 17; Luc. 10. 9) propinquum esse regnum Dei seu regnum coelorum. Ergo erravit Christus.

Resp. *ad singulas Minoris probationes.* — Ad 1. Supposito, verba « generatio haec » significare homines ipsi Christo coaevos, et non *gentem judaicam omnium temporum futurorum* (vid. tamen Knabenbauer in loc., t. 2, p. 343), aut *universum genus humanum*, uti ad difficultatem eludendam voluerunt aliqui; supposito quoque, integrum contextum sermonis Christi (Matth. 24. 4, sqq.) non agere exclusive de clade palaestinensi, ut exposuerunt alii; sequentia dicenda videntur.

a) Imprimis verba « non praeteribit *generatio haec*, donec omnia *haec* fiant », finem mundi ut *proxime imminentem* non significare, haud obscure indicatur in contextu Christi sermonis juxta S. Lucam (21. 24, « Et cadent in ore gladii: et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus:

donec impleantur tempora nationum »), et in parabolis (Matth. 25) decem virginum (v. 5, « *moram* autem faciente sponso ») et talentorum (v. 19, « post *multum* vero *temporis* venit dominus ») (1). Idque infertur ex aliis Evangeliorum locis, ubi docet Christus, ante gloriosum adventum ejus multa eventura esse quae longa temporis spatia exigerent : uti sunt α) *Judaeorum rejectio gentiumque vocatio*, significata tum diserte (Matth. 8. 11, 12, « multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob, in regno coelorum : filii autem regni ejicientur »), tum in parabolis agricolarum iniquorum (Matth. 21. 43) et festi nuptialis (Matth. 22. 7), item β) *praedicatio Evangelii per orbem* universum, secundum commissionem apostolicam (Matth. 28. 19, « Euntes docete omnes gentes »), idque *gradatim*, ut significatur in parabolis sinapis, fermenti, agri (Matth. 13). Cf. Lepin, « Jésus Messie », pp. 385-395.

b) Deinde dici potest, verificari in ipsa calamitate palaestinensi multa quae de finali consummatione directe praedicta sunt, imo priorem istum eventum esse alterius, quoad signa multa et adjuncta, adumbrationem et typum : in excidio enim Jerosolymorum *Christus venit ut judex* et vindex criminum Judaeorum, in fine autem mundi veniet ut omnium hominum judex et remunerator ; in priore item adventu destructis Jerosolymis *stabilitum est regnum ejus* praeparatorium in terris, in altero vero inaugurabitur regnum ejus aeternum et gloriosum. Cf. Lepin, op. cit., pp. 403-412.

c) Demum responderi potest cum Billot (de Noviss., pp. 202, sqq.) post Bossuet (« Médit. sur l'Evang. »), verba objecta, « non praeteribit generatio haec, donec omnia *haec* fiant », respicere tantum eventus *propinquiores* nempe calamitates palaestinenses excidiumque Templi et Urbis ; de eventibus vero *remotioribus* et supremis, judicii diei et stragis ultimae, dicta esse cum oppositione emphatica, *diverso* adhibito *pronomine*, verba subsequentia (v. 36), « De die autem *illa* et hora nemo scit, neque angeli coelorum, nisi solus Pater ».

180. — Ad 2. Responderi potest cum Lepin (op. cit., p. 407), hic etiam significari adventum Christi judicis ad Judaeos infideles puniendos regnumque ipsius ecclesiae stabiliendum. — Alii autem propter verba immediate subsequentia (Matth. 17. 1, 2, « Et post dies sex assumit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum, et trans-

(1) Expressius adhuc apud S. Lucam (19. 11, 12), « Quia existimarent quod *confestim* regnum Dei manifestaretur. Dixit *ergo :* Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et *reverti* ».

figuratus est ante eos »), dicunt praedictionem Christi, « sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo », impletam fuisse in Petro, Jacobo et Joanne, qui specimen quoddam gloriae futurae Christi in Transfiguratione viderunt. Ita Billot (p. 210), post SS. Joannem Chrysost., Cyrillum Alex., Hilarium, Hieronymum citatos apud Knabenbauer in loc., qui tamen istam explicationem plane improbabilem dicit (t. 2, p. 77).

181. — Ad tertiam Minoris probationem, quae supponit « regnum coelorum » sumi in Evangeliis sensu tantum eschatologico, respondere licet ex homilia S. Gregorii M. in parabolam decem virginum (hom. 12 in Evang., n. 1), « Sciendum nobis est quod saepe in sacro eloquio regnum coelorum *praesentis temporis ecclesia* dicitur. De quo alio in loco Dominus dicit: Mittet Filius hominis Angelos suos et colligent de regno ejus omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri scandala poterunt, quae colligantur ».

CAPUT SECUNDUM

De perfectionibus Voluntatis Christi

182. — Ad perfectionem voluntatis praecipue pertinet *sanctitas*. Ex tractatu autem de Gratia (nn. 236, sqq.), sanctitas vel justitia creata duo in se includit, quorum alterum negativum est, scilicet absentia peccati, alterum positivum, perfectio scilicet seu forma reddens subjectum amabile Deo et dignum haereditate aeterna: cui positivae sanctitati annectuntur varia dona et virtutes, necnon merita: omnibus vero his praesupponitur libertas. — Hinc agendum est 1. de Christi impeccabilitate, 2. de ejus gratiis, donis et virtutibus, 3. de ejus meritis, 4. de ejus libertate.

ART. 1. — DE CHRISTI IMPECCABILITATE

183. — **Praenotanda.** — I. Duo hîc inquiruntur, 1. an Christus *de facto* peccatum ullum habuerit, 2. an peccare *potuisset*. De quaestione facti errasse fertur Calvinus post haereticos aliquos antiquos blasphemando, Christum peccasse verbis illis (Marc. 14. 36), « Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me » et deinde impatientiam protinus correxisse verbis subsequentibus,

« Sed non quod ego volo, sed quod tu ». Contra sentiunt omnes orthodoxi secundum definitiones Conciliorum, Ephesini (can. 10, « peccatum omnino nescivit » : Denz. 82), Chalcedonensis (« absque peccato » : Den. 134), Constantinopolitani II (can. 12 : Denz. 183), Florentini (decr. pro Jacobitis : Denz. 602).

184. — II. Quaestio ulterior « an Christus peccare potuisset », duplicem sensum habere potest, 1. an *ex natura rei*, scilicet spectato Christo *in concreto* cum omnibus quae ipsi insunt, cum unione scilicet hypostatica, visione beatifica, gratia habituali, etc., 2. an *de potentia absoluta*, nempe supposita quidem unione hypostatica, sed praescindendo a visione beatifica, gratia habituali, etc. Cf. Lugo, d. 26, s. 1.

1. Voluit schola Güntheriana, cum qua sentire videntur Anglicani aliqui (v. g. Farrar), Christum hominem non ex natura rei sed eo tantum sensu consequenti impeccabilem fuisse, quod Deus praeviderit eum non esse peccaturum, etsi sicut reliqui homines peccare potuisset : contra quem errorem paratus fuit canon in Schemate Concilii Vaticani.

2. Affirmarunt Scotus, Durandus, Marsilius et Gabriel, Christum de potentia absoluta in sensu composito unionis hypostaticae, *seclusis visione beatifica et gratia habituali*, posse peccare, eo quod humanitas adhuc suam nativam potentiam retineret ad operandum circa objectum prohibitum : nec magis repugnare, suppositum divinum denominative propter communicationem idiomatum dici peccare, quam repugnat, idem suppositum dici passum, mortuum, etc. Hanc Scoti sententiam alii cum Suarez temerariam, alii cum Vasquez dignam aliqua censura pronuntiant : sed licet communiter ut falsa habeatur, libera tamen dicenda est haec opinio, sicut et quaevis alia quam certo constat ex Scoto depromptam esse (uti ex jussu Pauli V declaravit S. Congregatio : vid. Viva, de Trin., d. 5, qu. 6, n. VI).

185. — Propositio. Christus (1) nullum prorsus peccatum unquam habuit, et (2) de facto ex rei natura impeccabilis fuit, imo (3) neque de potentia Dei absoluta peccare potuisset.

Prob. prima pars (quae de fide est, juxta dicta). — **I.** Qui simpliciter absque ulla restrictione appellatur « Pontifex absque peccato », et dicitur peccatum non fecisse, quique a nullo argui potest de peccato, nullum prorsus peccatum habuit ; atqui de Christo dicitur Hebr. 4. 15, « Habemus Pontificem tentatum..... absque peccato » : item 1 Petr. 2. 22 (ex Is. 53. 9), « peccatum non fecit » : ac demum ipse Christus Jo. 8. 46, ait « quis ex vobis arguet me de peccato? » ; ergo.

II. Christus a primo incarnationis instanti omnium gratiarum plenitudinem de facto habuit (ut postea dicetur); atqui cum gratia suprema hujusmodi repugnat peccatum aut originale aut actuale; ergo de facto in eo nullum peccatum unquam fuit.

186. — **Prob. secunda pars.** — Semper habuit Christus visionem Dei beatificam, et anima ejus semper summeque sancta fuit ex gratia habituali aliisque donis creatis; atqui his peccatum quodvis prorsus repugnat; ergo ex natura rei Christus impeccabilis fuit.

187. — **Prob. tertia pars.** — **I.** Prorsus repugnat etiam de potentia absoluta Verbum divinum peccare: Verbum enim divinum est essentialis sanctitas et norma omnis rectitudinis: evidenter autem absurdum est, istam normam a se deficere; atqui si Christus in sua humanitate peccasset, ipsum Verbum divinum peccasset; ergo non potuit Christus peccare.

Prob. Min. Ex axiomate recepto, actiones sunt suppositorum, et suppositum est principium *quod* actionum et causa particularis earum; atqui in Christo, Verbum divinum est suppositum et principium *quod* actionum, humanitas autem non est nisi principium *quo;* ergo si humanitas peccasset, ipsum Verbum divinum vere et proprie peccasset. — « Verbum enim ipsum » ait Franzelin, thes. 43, « peccaret functionibus suae humanae naturae et voluntatis. Natura humana non esset *is*, *qui peccaret*, sed tantum *id*, *quo* tanquam humanarum operationum principio peccaret *divina hypostasis*, formaliter *ut homo* est: peccaret inquam *hic homo*, i. e. hypostasis composita quae est Verbum connotans et includens naturam suam humanam ». — Haec ratio, quam Suarez « praecipuam » dicit, ulterius illustrari potest ex obligatione, quam omnis homo sui compos habet moderandi appetitus suos inferiores, quorum deordinationes non tam facultatum istarum inferiorum quam ipsius voluntatis et totius hominis culpa et peccatum sunt. — Cf. Suarez, d. 33, s. 2, n. 8.

188. — **II.** Patres quoque hoc argumentum saepius urgent. Ita v. g. S. Cyrillus Alex. (in Jo., l. 6: M. 73. 902), « Interrogatio haec [Jo. 8. 46, « Quis ex vobis arguet me de peccato? »] non est redargui se exspectantis, sed potius amolientis et tollentis hanc opinionem, posse Deum verum qui vere ortus sit ex Deo in peccatum incidere..... At qui nescius est omnis mutationis, et inconcussa firmitate propriis insitus est bonis, neque id ab alio, sed a seipso, quomodo peccare intelligeretur? ». Similiter S. Fulgentius (ad Trasim., l. 3, c. 29), « Aegrotare non potest salus, infirmari

non novit virtus, nescit saturitas esurire, via nequit errare, sapientia non mutatur, vita non moritur, lumen non exstinguitur, nec veritas depravatur: nescit tristari laetitia, Deitas non potest superari. Propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personae divinitas accepit, quae naturaliter peccare non novit ». Ita et S. Augustinus (de pecc. mer. et rem., l. 2, c. 11), « In cujus non tantum divinitate, sed nec in anima nec in carne ullum potuit esse peccatum ».

Alii hanc Christi absolutam impeccantiam diversis *similitudinibus* illustrant. Sic Origenes (de principiis, l. 2, n. 6), citatis verbis Ps. 44. 8, « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae participibus tuis », ait, « Christus, velut vas ipsum, in quo erat unguenti substantia [scilicet tota ipsa divinitas], impossibile fuit ut contrarium reciperet odorem ». S. Hippolytus M. dicit (in oratione aliqua, apud Theodoretum: M. 10. 864), « Arca ex lignis quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator ». Ex S. Cyrillo Alex. (de recta fide ad Theodos., n. 20: M. 76. 1162) Verbum « animam humanam, posteaquam illam propriam sibi reddidisset, suaeque naturae firmitate ac immutabilitate *perinde ac vellus colore imbuisset*, peccato superiorem » effecit.

189. — **Dices.** Omnis humanitas viatrix, utpote creatura, est peccabilis, ac propria gaudet libertate; atqui unio hypostatica nihil immutavit in humanitate assumpta; ergo humanitas Christi libere adhuc peccare potuit. — Idque *confirmatur* ex eo quod Deus aliarum creaturarum peccata permittit.

Resp. *Dist Maj.* Omnis humanitas viatrix peccabilis est remote, gaudetque libertate contradictionis, *conc.;* est peccabilis proxime et expedite, gaudetque libertate contrarietatis, *subd.:* si creatam habeat subsistentiam, *conc.;* si a supposito divino assumpta fuerit, *nego.*

Dist. Min. Unio hypostatica nihil directe mutavit in humanitate, physice, *conc.;* moraliter, *nego:* ex dictis enim moralis est repugnantia, et quidem absoluta et metaphysica, ut divini Verbi humanitas peccaret: ac propterea tenetur Verbum divinum, non quidem superioris lege sed essentiali sua sanctitate, tum per specialem providentiam et concursum tum per gratias actuales eximias actum omnem peccaminosum absolute excludere ab humanitate sibi propria. Et hinc patet responsio ad *confirm.* In hypothesi enim peccati, non aliena sed *propria* peccaret humanitas.

190. — Inst. 1. Non magis repugnat Verbum peccare per propriam humanitatem, quam mori in humanitate; atqui Verbum mortuum est in sua humanitate; ergo.

Resp. *Nego Maj.* Mors enim est malum *physicum* quod naturam nostram compositam communi necessitate sponte consequitur, et praeterea *utilis* erat ad incarnationis fines : peccatum autem est malum morale, quod non necessario, sed ex pravitate *particulari* oritur, ac Redemptoris muneri prorsus officeret.

Inst. 2. Si Verbum ob rectitudinem divinae voluntatis tenetur peccatum humanitatis assumptae impedire, ad id tenerentur etiam Pater et Spiritus sanctus ; atqui hoc dici nequit ; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Tenerentur indirecte et per accidens, *conc.;* directe et per se, *nego.* Actiones scilicet humanitatis assumptae sunt *soli Verbo propriae* et personales (supra, n. 131), ac ipse Filius eas ut *suas* regere tenetur : cum vero peccatum humanitatis assumptae, si quod committeretur, in ipsam voluntatem Verbi divinam redundaret, et cum haec voluntas sit communis etiam Patri et Spiritui sancto, ideo per accidens et indirecte tenentur ipsi peccatum in humanitate assumpta impedire.

ART. 2. — DE CHRISTI GRATIIS

191. — Recolenda est distinctio gratiae 1. in gratiam gratum facientem, quae scilicet reddit hominem Deo gratum et sanctum vel formaliter (gratia habitualis) vel dispositive (gratia actualis) ; et 2. in gratiam gratis datam, quae non in propriam recipientis sed in aliorum utilitatem praecipue confertur. Secundum hanc distinctionem inquiritur in hoc loco, 1. de gratia qua Christus formaliter sanctus et Deo gratus sit ; 2. de gratia actuali Christi ; 3. de gratiis gratis datis ; 4. de aliis donis supernaturalibus et virtutibus.

§ 1. *De gratia qua Christus formaliter sanctus est*

192. — **Praenotanda.** — Apud omnes Catholicos in confesso est, sanctitatem *divinam attributalem* (ut eam vocat Billuart, d. 8, a. 1), de *Christo*, composito theandrico ex Verbo et humanitate, per communicationem idiomatum non minus praedicari posse quam alia attributa divina. Hic autem quaeri potest de *Christi humana natura*, 1. an anima Christi sancta fuerit, et 2. qua sanctitate ; ac omnes orthodoxi concedunt Christi animam de facto sanctam fuisse aliqua positiva sanctitate, juxta verba Angeli (Luc. 1. 35), « Quod nascetur ex te Sanctum », et S. Petri (Act. 3. 14), « Sanctum et Justum negastis ».

De ulteriore vero quaestione, quidam Scholastici (Durandus, Marsilius, Paludanus: apud Suarez, d. 18, s. 1) tenuerunt Christi humanitatem esse formaliter sanctam *per solam gratiam habitualem*, ita ut si (quod possibile putavit Durandus) hac gratia careret, non esset sancta: unde sequeretur, unionem hypostaticam radicaliter tantum vel *exigitive* praebere sanctitatem animae Christi, quatenus est radix et principium cui debetur gratia habitualis, quâ solâ juxta eos natura creata formaliter sanctificari potest.

Contra hos, vera et communis sententia (ut ait de Lugo, d. 16, s. 1) docet humanitatem Christi fuisse sanctam et justam non tantum gratia habituali sed etiam *sanctitate substantiali* seu ratione unionis cum Verbo, nec ad hoc indiguisse gratia habituali (cf. S. Thomas, 3, qu. 7, a. 13). — Haec Christi hominis sanctitas vocatur « gratia unionis » et « gratia incarnata » (Holzclau, n. 418): ac dicitur *substantialis*, quia non consistit in forma aliqua accidentali, cujusmodi est gratia habitualis, sed in *hypostatica* et inseparabili *conjunctione* humanitatis Christi cum divino Verbo. Verbum enim utpote ipsa essentialis sanctitas, istam humanitatem intime suam faciendo, summe sanctam reddidit, quin tamen ei tanquam forma sanctificans inhaereret.

193. — Propositio I. Humanitas Christi sancta fuit gratia unionis.

Prob. I. Sanctificatio humanitatis Christi exprimitur istis locis Scripturae sacrae, ubi describitur Christi unctio, v. g. Ps. 44. 8, « Unxit te Deus, Deus tuus », Is. 61. 1, et Luc. 4. 18, « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me »; atqui juxta communem explicationem Patrum ista unctio fuit ipsa divinitas; ergo Christi humanitas fuit sancta formaliter vi unionis hypostaticae seu gratia unionis.

Ad Min. Dicit S. Gregorius Naz. (orat. 30, al. 36, n. 21: M. 36. 131), « *Christus* dicitur propter divinitatem; haec enim [divinitas] est unctio humanitatis, non sanctificans operatione, ut in aliis Christis [regibus v. g. et prophetis] sed totius unguenti praesentia [unione hypostatica], cujus effectus est, ut qui ungit dicatur homo, et ut, quod ungitur, faciat Deum ». Item ait Origenes (de principiis, l. 2, c. 6), « Ista anima [Christi] oleo laetitiae, id est Verbo ungitur ». Et S. Joannes Damasc. (l. 3, c. 3: M. 94. 990), « Unctio humanitatis est divinitas ».

194. — II. Illud formaliter sanctificat, quod expellit peccatum, quod reddit subjectum gratum Deo et congruum ad terminandam supernaturalem Dei amicitiam, evehit ad esse divinum, et fundat jus ad aeternam beatitudinem; atqui haec omnia praestat

unio hypostatica : reddit enim impeccabilem naturam, reddit subjectum amabile, reddit participem divinitatis; ergo justificat et sanctificat. — Lugo, l. c., n. 9.

195. — Propositio II. Christus ut homo habuit gratiam habitualem. — Juxta Suarez (l. c., s. 2, n. 5) est de fide; alii autem theologi, v. g. Vasquez (d. 41, c. 1), quem sequuntur de Lugo (l. c., n. 92), Petavius (l. 11, c. 12, n. 7), etc., dicunt hanc conclusionem certam et communem, cujus contraria esset temeraria.

Prob. Omnis perfectio quae in praesenti ordine possibilis est, nec aliunde repugnat Christo, debet illi concedi, juxta illud Jo. 1. 14, « plenum gratiae », et secundum principium S. Thomae (3, qu. 7, a. 1), quod quanto propinquior quis est Deo, tanto magis de influxu ejus participat; atqui gratia habitualis nec repugnat nec affert secum aliquam imperfectionem, imo debuit esse in Christo; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Gratia habitualis nec *repugnat* in Christo, nec affert secum aliquam imperfectionem. Non enim *a*) affert *negationem* alterius *majoris sanctitatis*, neque etiam *b*) est omnino *superflua*, quia vere sanctificat Christum in alio genere sanctitatis, licet inferiori; sicut scientia infusa non superfluit in Christo, licet objecta melius percipiat per scientiam beatam.

2. Oportuit gratiam habitualem esse in Christo. *a*) Actus supernaturales ex natura sua exigunt procedere ex habitibus immanentibus, hi autem a gratia habituali (quae est veluti *esse supernaturale* animae) oriuntur; atqui anima Christi elicuit actus supernaturales; ergo oportuit esse in Christo gratiam habitualem uti *principium connaturale* actuum supernaturalium.

b) Debuit Christus habere dona illa, quae *ceu caput* in nos tanquam membra, volebat derivare, idque significatur Jo. 1. 16, « De plenitudine ejus omnes nos accepimus, et gratiam pro gratia »; atqui gratiam habitualem in nos derivat, juxta Concilium Tridentinum (sess. 6, c. 16 : Denz. 692), « Tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit »; ergo. — Cohaerenter ait S. Joannes Chrys. (in Ps. 44, n. 2), « Omnis gratia effusa est in illud templum [Christum]..... Nos enim de ejus plenitudine accepimus, illud autem templum integram et universam accepit gratiam ».

196. — Scholion 1. de gratia habituali collata Christo ab initio. — Cum ex dictis, gratia habitualis animae Christi debita fuerit tum ut humanitatis ornamentum congruum tum ut principium connaturale operum supernaturalium, dicenda est in ipso fuisse

a primo incarnationis instanti, in quo de cetero meruit Christus, juxta Hebr. 10. 5, « Ingrediens in mundum, dicit..... Ecce venio..... »; quod et suadet Evangelista dicendo (Jo. 1. 14) Verbum utpote incarnatum « plenum gratiae et veritatis ». Communis ergo Patrum et theologorum sententia docet Christum ab initio habuisse gratiam habitualem plenissimam: unde « *proficiebat gratiâ* apud Deum et homines » (Luc. 2. 52) eo tantum sensu quod, ut dicit S. Thomas (3, qu. 7, a. 12, ad 3), « secundum processum aetatis perfectiora opera faciebat ». Ut loquitur S. Cyrillus Alex. (thesaur., assert. 28: M. 75, 427), « cum revelaretur et manifestaretur quotidie magis ac magis in ipso divinitas, majorem quoque in dies sui admirationem in cernentium animis excitabat ».

197. — Scholion 2. de plenitudine seu infinitate gratiae habitualis Christo collatae. — Haec Christi gratia, ut tenent theologi communiter cum S. Thoma (3, qu. 7, a. 11), non est infinita simpliciter et absolute loquendo: « est enim in anima Christi, sicut in subjecto: anima autem Christi est creatura quaedam habens capacitatem finitam; unde esse gratiae, cum non excedat suum subjectum non potest esse infinitum »; ac praeterea Deus, ut dicit idem Angelicus (a. 11, ad 2), potuisset absolute loquendo, in alio saltem ordine majorem creare gratiam. Relative autem ad praesentem ordinem in quo Christus est principium omnis gratiae, « gratia Christi (juxta eundem S. Doctorem, a. 11) potest dici infinita, eo quod non limitatur; quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae ».

Moralis autem infinitudo gratiae habitualis in Christo, juxta Holzclau (Wirceb., n. 423), « consistit in eo, quod gratia habitualis in Christo, ratione unionis, fiat principium proximum actuum infinite meritoriorum; utque effective sanctificare posset infinitas, si darentur, creaturas, in has influendo gratias habituales... juxta illud Jo. 1. 16, « de plenitudine ejus omnes nos accepimus »; ita tamen, ut nunquam ab omnibus justis esset exhaurienda, vel ab illis etiam collective sumptis, adaequanda..... Quod vero de gratia habituali hoc loco dictum, idem pariformiter dicendum de habitibus supernaturalibus, qui Christo eodem instanti, eadem perfectione infusi sunt », ut mox dicetur.

§ 2. *De Christi Gratia Actuali*

198. — Praenotandum. — Distinguitur gratia actualis, 1. in excitantem et adjuvantem, 2. in elevantem et medicinalem, 3. in sufficientem et efficacem. De secunda et tertia partitionibus nihil

inquirendum est: quia perfectio Christi exigit ut gratia actualis, si quae in ipso fuerit, nec medicinalis nec mere sufficiens, sed elevans et efficax esset. Quaeritur proinde tantum, an in Christo fuerit gratia *excitans* et *adjuvans*.

199. — Propositio I. Gratiam excitantem, quatenus illustrationem intellectus et inspirationem voluntatis includit, non habuit Christus. — Ita censet Suarez (d. 18, s. 4, n. 3) rem se habere *de facto*, quia Christus fuit comprehensor: aliter dicendum, si tantum viator esset.

Prob. Gratia excitans esset in Christo vel ad illustrandum intellectum, vel ad voluntatem inspirandam; atqui ad haec inutilis esset gratia excitans in Christo, et aliunde repugnaret; ergo non erat in Christo.

Prob. Min. per partes. — 1. Inutilis esset gratia excitans ad *intellectum* illuminandum: scientia enim infusa in Christo ostendebat quidquid necessarium erat ad hanc vel illam rectam et supernaturalem operationem.

2. Inutilis etiam esset gratia excitans ad *voluntatem* inspirandam: amor enim beatus quo Christi anima Deum dilexit semper satis movit et impulit voluntatem ad recte operandum, cum libertate saltem specificationis (non autem contradictionis aut contrarietatis).

3. Gratia excitans importaret aliquam imperfectionem in Christo: ista enim gratia, cum ex natura sua antecedat et praeveniat deliberatos actus intellectus et voluntatis, supponeret in Christo actus indeliberatos.

200. — Propositio II. Christus gratiam actualem adjuvantem habuit. — « Tam necessaria fuit animae Christi ad supernaturales actus efficiendos gratia actualis adjuvans, sicut nobis. Haec conclusio, quamvis non asseratur a Theologis, quia de hac re nihil expresse disputarunt, tamen, suppositis principiis de gratia, est certa ». Suarez, l. c., n. 2.

Prob. Intellectus Christi ad videndum Deum, et voluntas ad eum ex charitate amandum, indigebant actuali auxilio supernaturali; atqui hoc auxilium ex definitione recepta est gratia adjuvans; ergo.

Major patet ex proportione necessaria mediorum cum fine: isti enim actus in se sunt supernaturales, et respectu animae Christi et potentiarum ejus sunt supra illarum vires naturales; ac sola unio hypostatica, quamvis jus et exigentiam ad media necessaria constituat, ut sic nihil confert potentiis, quod operandi facultatem aut vires praestet aut immutet.

Obs. Ex Suarez (l. c., n. 5), hoc actuale auxilium respectu Christi est « ita debitum ratione unionis, ut negari non possit etiam de potentia absoluta », et proinde est quidem ontologice supernaturale, non autem gratuitum.

§ 3. *De Christi Gratiis gratis datis aliisque Donis*

201. — Propositio I. Christus habuit omnes gratias gratis datas. — Communis, juxta Suarez (d. 21, s. 2, n. 2).

Prob. I. Ex 1 Cor. 12. 8-10, gratiae gratis datae novem enumerantur, scilicet 1. *sapientia*, seu mysteriorum perfecta cognitio, qua conclusiones ex fidei principiis deducuntur, 2. *scientia*, seu perfecta cognitio rerum creatarum (v. g. virtutum et vitiorum), et peritia conclusiones inde deducendi easque aliis proponendi, 3. *fides miraculorum*, seu fiducia divinae potentiae, 4. *gratia sanitatum*, seu vis curandi morbos, 5. *operatio virtutum*, seu potestas miracula quaelibet patrandi, 6. *prophetia*, seu praescientia et praedictio certa futurorum liberorum, 7. *discretio spirituum*, seu perceptio motivorum seu spiritûs ex quo quis ad aliquid dicendum aut operandum moveatur, 8. *genera linguarum*, seu potestas idiomata diversa loquendi, 9. *interpretatio sermonum*, seu facultas explicandi obscuros et reconditos Scripturae sensus. Atqui unamquamque harum gratiarum habuisse Christum, ex ejus perfectione et munere docendi omnes jure infertur: ac saltem quoad plures, expresse effertur in Scriptura. Videlicet 1. quoad sapientiam, ex Matth. 13. 54, « Unde huic sapientia haec? », 2. quoad scientiam, ex Luc. 2. 47, « Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus », 3. quoad fidem miraculorum, ex Jo. 11. 42, « Ego autem sciebam quia semper me audis », 4. quoad gratiam sanitatum, ex Luc. 6. 19, « Virtus de illo exibat, et sanabat omnes », 5. quoad operationem virtutum, ex Luc. 24. 19, « potens in opere et sermone », 6. quoad prophetiam, ex Luc. 7. 16, « Propheta magnus surrexit in nobis », 7. quoad discretionem spirituum, ex Jo. 2. 24, « non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes », demum (transmisso dono linguarum, quod Christus Apostolis promisit, Marc. 16. 17), 9. quoad interpretationem sermonum, ex Luc. 24. 27, « et incipiens a Moyse..... interpretabatur illis in omnibus scripturis quae de ipso erant ».

202. — II. Ratione theologica. — 1. Gratiae gratis datae omnes eo tendunt, ut doctorem fidei habilem reddant ad explicandas veritates fidei et res aeternas; atqui spiritualis doctrinae ac fidei primus et principalis doctor est Christus; ergo in ipso oportuit

gratias istas esse. — cf. S. Thomas, 3, qu. 7, a. 7. — 2. Christus, ex doctrina Scripturae et Patrum, ut caput corporis ecclesiae influit in membra dona haec; atqui debuit in se habere omnes gratias quas aliis communicat; ergo.

Obs. « Operationem virtutum » quod attinet, fatentur omnes Catholici, humanitatem Christi, tanquam instrumentum conjunctum Verbi, habuisse potentiam faciendi omnia miracula ordinabilia ad incarnationis finem; de modo autem quo humanitas fuerit instrumentum hujusmodi, disputant theologi, Thomistae adscribentes humanitati influxum physicum circa miracula, Scotistae vero influxum moralem, et alii cum Tournely agnoscentes physicum influxum humanitatis in iis miraculis quae contactu aut actione physica peracta sunt, in reliquis autem moralem tantum. — Cf. Stentrup, thes. 85.

203. — Propositio II. Dona Spiritus sancti fuerunt in Christo.

Prob. — 1. Dona illa sunt perfectiones quae dant facile moveri a Spiritu s. ad actus bonos, praesertim heroicos; atqui Christus facillime ad actus ejusmodi movebatur; ergo. — 2. Imo de Christo, secundum interpretationem catholicam intelligendus est locus Is. 11, ubi haec dona enumerantur, « Requiescet super eum Spiritus Domini; spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini ». — 3. Praeterea dona Spiritus sancti consequuntur et comitantur gratiam habitualem, quae ex dictis in Christo fuit.

204. — Propositio III. Fuerunt in Christo tum caritas, tum omnes virtutes morales tam infusae quam acquisitae, absque tamen imperfectionibus quae vel proprium peccatum supponunt vel statui beatitudinis adversantur.

Prob. prima pars, de caritate. Caritas, utrum sit quid unum cum gratia habituali necne (de qua quaestione disputant Scotistae et Thomistae), saltem juxta omnes semper una cum ipsa in praesenti ordine infunditur; atqui Christus habuit gratiam habitualem; ergo et caritatem.

205. — Prob. secunda pars simili argumento: virtutes enim morales per se infusae semper gratiam habitualem juxta communem sententiam comitantur.

206. — Prob. tertia pars, de virtutibus acquisitis (quae per accidens infusae erant in Christo in primo incarnationis instanti).

Appetitus sensitivus Christi forma superaddita indigebat qua compleretur, ut prompte, suaviter et humano modo in quacumque materia actus virtutum moralium eliceret; atqui haec forma non potest esse alia quam virtus moralis per se acquisibilis; ergo.

Major patet: cum enim appetitus sensitivus Christi esset ejusdem rationis ac noster etsi nullomodo ad malum inclinatus, non erat *ratione propriae entitatis* complete ac perfecte inclinatus ad actum naturalem honestum, sed indifferens; sicut nec fuisset appetitus sensitivus Adae ante lapsum, citra formam ejusmodi.

Prob. Min., scilicet, haec forma non poterat esse alia quam virtus moralis per se acquisibilis. Non fuit unio hypostatica, quae cum non sit *operativa*, non potest esse forma inclinans ad actus honestos; nec gratia habitualis, nec virtutes per se infusae quae eam consequuntur: hae enim solum inclinant ad actus *supernaturales;* ergo. — Vid. Billuart, d. 8, a. 3; Suarez, d. 19, s. 2, n. 3.

207. — **Quarta pars,** scilicet, « absque imperfectionibus..... », patet ex dictis. Christus enim impeccabilis fuit et visione beatifica semper dotatus. — Hinc nec *poenitentiam* in quantum peccatum proprium, nec *temperantiam* in quantum fomitem peccati respective supponunt, habuit Christus. Unde etiam, ex virtutibus theologicis sola caritas ei tribuitur, non vero fides quae est de rebus obscure cognitis, nec spes quae (juxta communiorem acceptationem vocis) est de bono nondum habito. — Ex Holzclau autem (n. 423, 3°), in Christo, sicut et in omnibus Beatis, fuit spes, ad quam virtutem referuntur, per ipsum, non tantum actus desiderii de bono absenti, sed et actus complacentiae de beatitudine praesenti.

ART. 3. — DE CHRISTI MERITIS

208. — **Praenotandum.** — Meritum sumi potest vel in concreto vel in abstracto. In concreto est opus aliqua retributione dignum: in abstracto est dignitas operis ad retributionem. Meritum in concreto (specifice sumptum pro opere bono) est vel de condigno vel de congruo. *Meritum de condigno* est opus in quo habentur omnes conditiones necessariae, ut sit ex parte operantis et ex parte operis omnino et perfecte dignum cui, adjuncta promissione divina, praemium *ex justitia* rependatur. *Meritum de congruo* est opus cui deest vel aequalitas cum praemio, vel promissio divina, et cui proinde non debetur praemium aliquo modo ex justitia, sed convenit tantum *ex liberalitate* praemiantis. — Hîc agitur

tantum de merito de condigno, quod maxime et proprie dicitur meritum : et resolvendum est distinctis propositionibus, 1. an Christus vere et proprie meruerit; 2. quandonam; 3. per quos actus; 4. quidnam et quibus personis.

209. — **Propositio I. Christus vere et proprie meruit.** — De fide, ex clara Scripturae doctrina, et ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 7, « Dominus noster Jesus Christus..... sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit » (Denz. 681).

Prob. I. Ex Philipp. 2. 8-11, « Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod (διό) et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen..... ». — Ubi exhibetur relatio causae et effectus inter opus et praemium, verum habetur meritum; atqui his verbis docet Apostolus, Christi obedientiam esse causam glorificationis humanae ipsius naturae; ergo Christus vere meruit.

Minor patet 1. ex voce graeca διό, quae nunquam ordinem temporis aut consequentiam (ut volebat Calvinus) sed semper causalitatem significat; 2. ex voce « et », quae in hac constructione idem sonat ac « vicissim ».

II. In praesenti ordine, omnis viator gratus Deo, illi obediens, et studiose operans propter ipsum et ex gratia ejus, meretur coram ipso; atqui Christus assumpsit statum viatoris, et gratissimus erat Deo gratiâ tum substantiali tum accidentali, et optime operabatur; ergo. — Suarez, d. 39, s. 1, n. 12.

210. — **Propositio II. Christus a primo conceptionis instanti continuo et sine intermissione ulla usque ad instans mortis meruit.**

Prob prima pars (quam tenent S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus et, praeter Durandum, « fere omnes theologi », ait Suarez, l. c., s. 3, n. 2). — **I.** Actus voluntatis ad nostram sanctificationem sufficiens dicendus est meritorius; atqui Christus in ipso ingressu in mundum, in ipso puncto incarnationis, habuit talem actum, ut patet ex Hebr. 10. 5-10, « Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam..... Ecce venio..... *In qua voluntate sanctificati sumus* »; ergo.

211. — **II.** Si Christus mereri potuit in primo instanti, dicendus est meruisse; atqui tunc mereri potuit; ergo.

Prob. Maj. 1. Id quod perfectius est, Christo adscribendum est nisi aliunde repugnet; atqui perfectius esset, potestatem merendi nunquam in solo actu primo manere. — 2. Angeli ex communiore sententia statim in primo instanti creationis suae ad Deum se converterunt et ita meruerunt; ergo a fortiori Christus.

Prob. Min., scilicet, Christum tunc mereri potuisse. Posita in

intellectu sufficienti scientia et judicio, voluntas non indiget successione temporis ad libere eligendum vel amandum et proinde merendum; atqui potuit Christus in illo primo instanti habere actum scientiae infusae, quia in usu illius scientiae non pendebat a corpore, neque a phantasmatibus, neque indigebat discursu aliquo aut successione temporis; ergo potuit in eodem instanti liberum actum voluntatis elicere circa objecta per illam scientiam repraesentata. « Itaque (ait Suarez, l. c., n. 3), si actu consideravit Dei bonitatem et beneficia suae humanitati collata, potuit statim obedire, acceptando mortem ac voluntarie se pro hominibus offerendo ». — Adde: Christus ex sententia Patrum nunquam intrinsece, sed tantum quoad extrinsecam manifestationem profecit in statu virtutis aut meriti; multum autem profecisset, si prius nullum habuisset meritum, et postea illud habere incepisset.

212. — **Prob. secunda pars,** scilicet, Christum *continuo* meruisse. (« Hanc conclusionem indicant Theologi cum Magistro, Alensi, Bonav., Cajet.,... nullum invenio Theologum qui contrarium docuerit »: Suarez, l. c., n. 4). — Ad perfectionem Christi pertinuit, ut semper mereretur, si hoc possibile esset: alioquin enim virtutes ejus fuissent aliquando otiosae et *in actu primo tantum;* atqui potuit Christus singulis momentis mereri, etiam in somno, per scientiam scilicet infusam quae non pendet a sensibus et phantasia (ut notat Lugo, d. 27, n. 49); ergo.

213. — **Prob. tertia pars,** scilicet, Christum ab instanti mortis nihil amplius meruisse (« Haec conclusio est communis theologorum, et ita certa, ut sine temeritate in dubium revocari non possit »: Suarez, l. c., n. 5). — **I.** Ex lege divina generali (de Deo Consumm., nn. 7, 8) tempus merendi cum hac vita finitur; atqui Christus in hac regula generali comprehensus erat: nam 1. de exceptione non constat, et 2. Christus ipse juxta interpretationem SS. Joannis Chrys., Augustini, Hieronymi, etc., se in hac regula distincte includit, dicendo Jo. 9. 4, « Me oportet operari..... donec dies est: venit nox quando nemo potest operari »; ergo.

214. — **II.** Postquam quis acquisivit perfectum et absolutum jus ad praemium, non est quod amplius mereatur; atqui ex divino pacto et ordinatione factum est, ut tota Christi vita ordinaretur ad integrum jus obtinendum, quasi per modum unius meriti in morte crucis consummandi (ut constat v. g. ex Luc. 24. 26, « Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? »; Philipp. 2. 8, 9, « Obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum..... »; Hebr. 2. 14, « Ut per mortem

destrueret..... diabolum »; Ib. 10. 12, « Unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet »); ergo post mortem Christus amplius non meruit. — Suarez, l. c., n. 7.

215. — **Obs.** Hîc obiter ad intelligentiam notandum est, quod distinctius postea declarabitur (ubi de satisfactione Christi : nn. 293, sqq.), singulas Christi actiones propter dignitatem personae operantis *in actu primo* fuisse infiniti valoris. Meritum vero Christi *in actu secundo*, ad quod semper requiritur operis oblatio ab operante et acceptatio a praemiante, non est consummatum et completum nisi per mortem crucis.

Quando dicitur de Christo Rom. 4. 25, « Traditus est propter delicta nostra, et *resurrexit propter justificationem nostram* », non significatur Christum *post mortem meruisse* : sed vel *a*) exstinctio vitae mortalis corporeae proponitur ut typus destructionis peccatorum nostrorum, sicut et resurrectio ejus est typus novae vitae justitiae; vel *b*) resurrectio utpote complementum et confirmatio operis redemptionis (cf. 1 Cor. 15. 14, sqq.), exhibetur ut moraliter unum cum morte. — Sensu item typico dicunt Patres, sacramenta baptismi et Eucharistiae fluxisse in aqua et sanguine ex aperto Christi latere.

216. — **Propositio III. Christus meruit per omnes actus liberos humanitatis suae, non vero per actus divinae naturae.**

Prob. prima pars. — Meretur homo per illos actus qui proportionem habent ad praemium supernaturale; atqui omnes actus humani Christi propter unionem hypostaticam gratissimi erant Deo et quocumque praemio supernaturali digni; ergo. — Hoc extendit Billuart, d. 19, a. 1, etiam ad actus *partis sensitivae et vegetativae*, quippe qui voluntati et dominio Christi suberant, et ad fines honestos dirigi poterant : « ita ut meruerit [Christus] non tantum per auditionem, visionem, ambulationem, gemitus, lacrimas, etc., sed etiam per motum cordis, pulsum arteriae, nutritionem, digestionem, somnum, sitim, etc. ».

217. — **Prob. secunda pars.** — Ratio meriti involvit aliquam dependentiam a praemiante; divina autem voluntas Christi nullam habet superiorem a quo dependeat.

Obs. Excipiunt theologi communiter a merito, actus illos *amoris Dei*, quos ex visione *beatifica* eliciebat Christus : erant enim actus necessarii, et quidem comprehensoris non viatoris; aliter dicendum de actibus amoris divini ex scientia *infusa* elicitis.

218. — Propositio IV. Christus meruit (1) sibi novo titulo corporis gloriam et exaltationem nominis; (2) nobis autem omnia dona gratiae et gloriae; (3) angelis vero sanctis meruit non quidem gratiam et gloriam essentialem, sed (4) dona tantum accidentalia.

Prob. prima pars (quam Suarez, d. 40, s. 3, n. 2, dicit esse sententiam omnium Theologorum cum S. Thoma post plures Patrum, et proinde negari non posse citra temeritatem) ex Philipp. 2. 8-11 (ut supra, n. 209). — Alia Scripturae loca sunt, Hebr. 2. 9, « Videmus Jesum *propter passionem* mortis gloria et honore coronatum », ubi nomen « corona », ut notat idem Suarez, satis indicat victoriam et praemium; Is. 53. 11, « *Pro eo* quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur »; Apoc. 5. 12, « Dignus est Agnus, *qui occisus* est, accipere virtutem », etc.

Obs. Probabilis etiam est sententia B. Alberti M. et aliorum, qui tenent Christum meruisse etiam gloriam *animae* suae, et alia dona gratiae et scientiae: contraria autem sententia, teste Suarez, est probabilior, quia ex jam dictis (n. 196), Christus ab initio ea dona interna videtur habuisse.

219. — Secunda pars de fide est, v. g. ex Concilio Tridentino docentis sess. 6, c. 7, *justificationis nostrae causam meritoriam* esse dilectissimum Dei unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, « qui, quum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis *justificationem meruit*, et pro nobis Deo Patri satisfecit » (Denz. 681): item can. 10, « S. q. d., homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari.....; a. s. » (Denz. 702). — Haec pars constat ex doctrina postea (nn. 282, sqq.) probanda de redemptione et satisfactione Christi: qui enim nos redemit et pro nobis satisfecit, omnia dona supernaturalia nobis meruit.

220. — Tertia pars (nempe, Christum non meruisse angelis sanctis gratiam et gloriam essentialem), est sententia eorum omnium, qui cum S. Thoma contra Scotum, etc., docent redemptionem hominum esse motivum totale incarnationis (ut postea n. 265, dicetur): inde enim sequitur, gratiam et gloriam decretas fuisse angelis ante praevisionem lapsus hominis et decretum incarnationis, ac proinde independenter a meritis Christi. Cf. de Lugo, d. 27, nn. 24, 25.

221. — Prob. quarta pars (nempe, Christum meruisse bonis angelis dona accidentalia). — Christus ut caput angelorum (Co-

loss. 2. 10) debuit in ipsos per merita sua gratias aliquas influere; atqui, ut jam dictum est ex sententia communiori, non influit in illos gratias essentiales; ergo accidentales.

Obs. Fertur Origenes docuisse Christum *malis angelis* restaurationem ad gloriam meruisse: quae tamen opinio contradicit tum communiori sententiae de brevissima angelorum probatione, tum doctrinae catholicae de aeternitate poenarum. Cf. de Deo Creat., n. 65; de Deo Consumm., nn. 86, 87. — Doctrina proinde Apostoli dicentis Deum per Christum omnia instaurare quae in coelis et quae in terra sunt (Ephes. 1. 10), omniaque reconciliare et pacificare sive quae in terris sive quae in coelis sunt (Coloss. 1. 20), significat Christum redemptionem et gratiam *hominibus* qui ob Adami peccatum e coelis exclusi erant merendo, sedesque coelestes vacuas hominibus implendo, eo ipso quasi collegisse in unum regnum et domum (ἀνακεφαλαιώσασθαι: Ephes. 1. 10) tum homines sive Judaeos sive Gentiles, tum angelos bonos, ita « ut sit in omnibus ipse primatum tenens » (Coloss. 1. 18).

ART. 4. — DE CHRISTI LIBERTATE

222. — Notatis variis libertatis distinctionibus (commentar. de Gratia, n. 135), de libertate *indifferentiae* hîc inquiritur, 1. *an* Christus eam habuerit: quae quaestio ad doctrinam Catholicam pertinet; 2. *quomodo* cum Christi impeccantia libertas hujusmodi in actibus specialibus quibusdam, nempe in operibus meritoriis et in morte pro salute hominum subeunda concilietur: et de hac quaestione libere disputant theologi. Hinc duplex paragraphus.

§ 1. *An Christus habuerit Libertatem*

223. — I. Christum habuisse libertatem humanam in *aliquibus* saltem actibus indeterminate, docet certa et catholica doctrina: quae his argumentis breviter ostenditur: 1. Ex Patrum doctrina Verbum assumpsit omne quod ad humanae naturae perfectionem pertinet, et, « quod non est assumptum, non est sanatum »; atqui *a*) libertas pertinet ad naturalem hominis perfectionem, et *b*) libera voluntate abutendo homo praecipue peccavit, et proinde libera voluntas humana maxime sananda erat; ergo. — 2. Jam dictum est, Christum toto vitae tempore meruisse; atqui ad meritum, ut definitum est contra Jansenistas (prop. 3: Denz. 968), requiritur libertas; ergo.

224. — II. Si nominatim de Christi libertate circa divina prae-

cepta inquiratur, distinguendum est inter praecepta: Alia enim sunt praecepta *legis naturalis*, quae rem praecipit quia est per se necessaria ad amorem Dei, vel prohibet quia est per se contraria amori Dei (ita v. g. praeceptum colendi Deum): alia praecepta *positiva* quae reddunt materiam in qua versantur necessariam ad amorem Dei quia est praecepta, vel contrariam amori Dei quia est vetita (ita praeceptum sabbati servandi).

1. Circa praecepta *legis naturalis*, non habuit quidem Christi voluntas, propter impeccabilitatem ejus, libertatem ea *violandi*, imo nec potuit (ut postea, n. 244, dicetur) interius allici aut tentari ad eadem violanda: neutrum enim permittere potuit Verbum divinum in sua humanitate. Libere autem *nolebat* et rejiciebat Christus actus legi contrarios (v. g. adorandi creaturam), quos suggerebat *extrinsecus* tentator; actusque legi conformes libere et meritorie praestabat (ut dicetur paragrapho sequenti).

225. — 2. Inter res praeceptas *lege divina positiva*, solet numerari *mors Christi*, qua homines redemit: utrum verum fuerit praeceptum moriendi, mox videbitur. Interea dicendum est, **Christum liberum fuisse in morte obeunda**, nam:

a) Ille in morte obeunda liber fuit, in cujus voluntaria potestate erat ipsa separatio animae a corpore; atqui non tantum vulnera et verbera, sed et ipsa separatio animae a corpore erat in Christi potestate (Hebr. 12. 2, « Proposito sibi gaudio sustinuit crucem »; Is. 53. 7, « Oblatus est quia ipse voluit »; Jo. 10. 17, 18, « Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso. Et potestatem habeo ponendi eam »: cf. Matth. 26. 52, 53; Luc. 24. 49, sqq.; Jo. 18. 6, 11); ergo Christus liber fuit in morte subeunda.

b) Patres idem declarant in commentariis de his textibus et alibi. Ita v. g. S. Joannes Chrys. in Hebr. 12. 2 (hom. 28, n. 2), « Licebat ei nihil pati, si voluisset, et potestatem habuit, si voluisset, crucem non adire ». Ac S. Hieronymus, in Is. 53. 7, « Non enim necessitate crucem sed voluntate sustinuit ». Cf. Petavius, l. 9, c. 8, nn. 6, sqq.

c) Christus nos redemit morte sua, non quatenus fuit physica sanguinis effusio, sed quatenus fuit actio satisfactoria et meritoria; atqui ad satisfactionem et meritum requiritur libertas; ergo.

§ 2. *Quomodo explicanda sit Christi Libertas*

226. — I. Difficultas hujus loci, ut exponit Franzelin (ths. 44), non est, 1. quomodo Christi libertas concilianda sit cum ipsius

actuum *praecognitione* a Deo per omniscientiam, a prophetis per revelationem divinam, ab ipso Christo per scientiam beatificam et infusam: nam *a*) haec difficultas non de Christi solius sed et de aliorum hominum actionibus liberis etiam mere naturalibus valet; et *b*) praescientia ista visionis (ut dictum est in tract. de Deo Uno, p. 3, qu. 1, c. 3, a. 4, § 3), non *causat* actiones liberas, sed ordine logico et in veritate objectiva supponit eas tanquam objectum suum.

2. Nec quaestio est, quomodo Christi libertas *universim* concilietur cum ejus impeccantia: impeccantia enim, sicut in ipso Deo et beatis, non tollit libertatem electionis simpliciter et quatenus est perfectio, sed solum excludit imperfectionem illam defectibilitatis, quae est *in electione mala*.

Sed 3. quaestio est specialis, quomodo humana Christi libertas in certis quibusdam actionibus (scilicet in actionibus *meritoriis*), et nominatim in morte pro salute nostra obeunda, consistere potuerit cum impeccabilitate ejus. Videtur enim Christus ligatus esse *praecepto divino positivo* mortem subeundi juxta Jo. 10. 17, 18, « Ego pono animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc *mandatum* accepi a Patre meo ».

Difficultatem sic proponit Hurter, n. 564: « Christus in obeunda morte vel fuit liber vel non fuit liber. *Si non fuit liber*, mors ejus non fuit meritoria et ita corruunt praecipua theoremata de redemptione per Christum; *si vero fuit liber*, potuisset ergo etiam non mori, consequenter transgredi praeceptum paternum, quo mors erat ei praecepta, ideoque peccare, quod pugnat cum ejus impeccabilitate. Ergo vel neganda est Christi *libertas* vel *impeccabilitas* ». Ad solvendam hanc difficultatem (« quae merito reputatur una ex gravissimis Theologiae », ait Lugo, d. 26, n. 71), viginti fere modi a Theologis excogitati sunt, quorum duo tantum, qui prius exponendi sunt, videntur Franzelin probabiles; licet pluribus aliis theologis probabilior et planior videtur tertius modus quem praecipue defendit Suarez.

227. — II. In **primo modo,** *Patris mandatum* antecedenter ad liberam Christi electionem *non fuit strictum praeceptum* sed tantum Patris beneplacitum, ita ut Patri alter quoque redemptionis modus fuisset gratus, si Christus illum elegisset; consequenter vero ad liberam Christi electionem voluntas Patris conditionata transiit in absolutam, ratum habendo modum a Christo *libere* electum. Hanc explicationem sequuntur Salmeron, Petavius, Viva, Holzclau, Billot, et plures recentiores.

Rationes: 1. Quia in hypothesi contraria praecepti rigorosi voluntas Christi necessario determinata esset ad servandum illud

tanquam nexum necessario cum amore Dei, et ita (quod paradoxicum est) nec verum praeceptum esset, cum praeceptum sit norma *liberae* voluntatis.

2. Quia multi Patres, cum objicerent Ariani, Christum eo ipso quod praeceptum et mandatum accepisset, Patri aequalem non esse, respondebant, « mandata haec esse consilia aeterna, quae Pater communicat Filio non praecipiendo sed generando » (verba S. Joannis Chrys., Theophylacti, S. Cyrilli, S. Basilii, ac praesertim S. Anselmi, citat Franzelin, l. c., pp. 442, sqq.).

3. Quia in ipsis Scripturis vox « mandatum » non semper praeceptum strictum significat. Haec inter alia exempla tradit Franzelin: *a*) Apud Matthaeum (19. 7, 8) Judaei dicunt, « Moyses *mandavit* scribere libellum repudii »; Christus vero ait, « Moyses *permisit* vobis ». Ordine inverso apud Marcum (10. 3, 5) Judaei dicunt, « Moyses *permisit* libellum repudii scribere »; Christus vero appellat praeceptum: « Quid vobis *praecepit* Moyses?..... Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis *praeceptum* istud ». — *b*) Nominatim « ipsum mandatum » quod Christus a Patre accepit (Jo. 10. 17, 18) refertur ad duo, « ponendi animam » et « iterum sumendi eam »; resumit autem Christus animam potentia et functionibus divinae suae naturae, adeoque mandatum quoad hoc non stricte sensu intelligitur; ergo mandatum ponendi animam merito explicari potest de beneplacito Patris.

228. — III. In **altero conciliationis modo,** mors pro salute hominum Christo praecepta fuit absolute et antecedenter, sed tantum quoad rationem *genericam*. Praeceptum videlicet non determinavit actus *in specie* (seu secundum omnia motiva interna ex quibus elicienda essent, et secundum omnes gradus intensionis), neque *in individuo* (seu secundum omnia adjuncta praesertim externa, loci, temporis, etc.). Sic in hac hypothesi in Christi arbitrio fuisset, mortem subire hoc vel illo supplicii genere, in aetate tenera vel provecta, cum majori minorive affectuum intensione. Haec, quam Suarez (d. 37, s. 3, n. 9) non improbabilem censet, est solutio Vasquez, Valentiae, Lessii, Ysamberti et aliorum.

Neque valide, juxta hos auctores, objici potest, libertatem hac altera explicatione assertam versari *tantum circa adjuncta, non circa substantiam actus*. Omnis enim actus qui elicitur quique in concreto existit et ponitur, existit tantum per determinationem in individuo, nec potest fieri actus in genere. Qui ergo liber est circa hanc determinationem in individuo, liber est circa ipsum actum in sua substantia, ita ut per ipsum mereri possit, etiamsi actus generice spectatus non sit in ejus potestate. Imo etiamsi ipse actus, materialiter spectatus et quoad externa adjuncta, in indi-

viduo determinatus sit nec amplius vitari possit, tamen, quoad actus moralitatem, determinatio in ultima specie adhuc pendet ex actu interno; et ex libera voluntatis acceptatione totum opus liberum et meritorium effici potest. Sic, quamvis mors indeterminate ac in genere non sit in libera potestate hominis, *martyres* tamen etiam cum tormenta et mortem materialiter spectata vitare non potuissent, *libere eligerunt* non solum mortis adjuncta sed *ipsam mortem* in testimonium fidei: id quod videri quoque potest in piis hominibus qui dolores et mortem inevitabiles tolerant et acceptant cum magno merito. At Christus praeterea *in singulis adjunctis* in quibus passionem et mortem admisit, eas admisit libere, cum *vitare potuisset absque violatione mandati*, quippe quod in hac altera sententia supponitur generale, non autem in individuo obligans ad mortem in his determinatis adjunctis subeundam.

229. — IV. Priorem explicationem, qua «mandatum» sumitur large pro Patris beneplacito, dicit Franzelin « probabilissimam », lucidioremque et simpliciorem, saltem quoad praecepta divina positiva quorum objecta non ex ipsa rei natura ad amicitiam Dei necessaria sunt. Explicatione vero alterâ censet melius declarari posse Christi libertatem in iis actibus positivis quibus legis naturalis affirmantis praecepta implevit. Cum enim illius legis objectum ex ipsa rei natura ad Dei amorem necessario requiratur, dici nequit merum beneplacitum, sed est strictum praeceptum. Quia autem ejusmodi lex naturalis affirmativa ut plurimum non generice tantum praecipit, sed ad aliquid in specie (puta ad diligendum hic et nunc fratrem; ad pauperem hunc sublevandum), quoad ista objecta impeccabilis Christi anima habuisset, juxta explicationem alteram (Vasquezii, etc.), libertatem circa actus *in individuo* tantum.

Attamen judicio Franzelin (aliter quam Billot, thes. 29, 30), haec posterior explicatio, etiam quoad Christi libertatem in morte obeunda, a priori non admodum differt. In utravis enim explicatione opus expiatorium et proinde objectum mandati paterni non fuit voluntate Patris antecedenti et absoluta determinatum *ultimo*, sed aliquatenus electioni relictum voluntatis liberae Christi: in priori scilicet explicatione quoad ipsum *modum* redemptionis, in altera vero quoad *ipsos actus* in specie, aut saltem in individuo *determinandos*.

230. — V. **Tertia demum sententia,** quam late defendit Suarez (d. 37, s. 3, nn. 11, sqq.) cum Molina (in 1; qu. 14: disp. 53. edit. Paris., p. 378) Bellarmino (de justific., l. 5, c. 11, « Tertia object.») et quibusdam aliis, admittit Christum juxta Scripturae sensum magis obvium, *verum habuisse moriendi praeceptum antecedens* et ita

absolute strictum, ut non potuerit (quod volebat Lugo, d. 26, n. 102) ab ipso dispensationem obtinere, aut citra peccatum omittere : sed docet simul haec sententia, Christum liberum fuisse non tantum circa mortis inevitabilis internas dispositiones et adjuncta extrinseca, sed etiam circa ipsam mortem simpliciter obeundam; et ad haec concilianda recurrunt auctores illi ad doctrinam S. Thomae (3, qu. 47, a. 3, ad 3), ex quo Christus « in quantum homo, tradidit se ipsum voluntate a Patre *inspirata* » : aliis verbis, recurrunt ad *gratiae* divinae infallibilem *efficaciam* (explicatam tamen sensu Moliniano, non Bañesiano).

Advertunt videlicet, humanitatem Christi, utpote creaturam defectibilem et nullatenus (saltem directe) per unionem hypostaticam physice mutatam, per se habuisse potentiam peccandi, ac impeccabilem non fuisse nisi ex morali (sed tamen absoluta et metaphysica) necessitate, et in sensu composito unionis hypostaticae : quatenus nempe fuit humanitas personae divinae, quae absolute propter essentialem suam sanctitatem debebat ei providentiam et *regimen ita speciale*, ut in officio contineretur et nunquam ad peccatum aliquod deflectere permitteretur. Id vero totum in hac sententia praestitit Deus respectu humanitatis Christi, non aliter quam respectu aliorum hominum quos infallibiliter et efficaciter movet ad ponenda libere et meritorie opera bona determinata, et ad mala omittenda : decernendo videlicet (ut explicatur in tract. de Deo Uno, p. 3, qu. 1, c. 3, a. 4, § 2 ; de Gratia, n. 173) occasiones et auxilia illa, quae ope scientiae mediae certissime sciuntur obtentura infallibiliter voluntatis liberum consensum. — Haec explicatio, admissis principiis Molinianis, videtur commendari facilitate sua prae aliis, non tantum quoad mortem in cruce, sed quoad reliquas Christi actiones liberas universim. — Vid. Pesch, nn. 317, sqq.

CAPUT TERTIUM

De affectionibus Corporis Christi

231. — **Praenotanda.** — I. Jam vidimus (n. 8), corpus humanum verum et solidum a Verbo assumptum fuisse. Vera autem potuit esse caro Christi quin humanis infirmitatibus, dolori, morti, etc. subjecta esset : imo, cum istae infirmitates in praesenti statu poenae peccati sint, eas a Christo, utpote peccati cujusvis immuni, abesse debere, congruum videri posset.

232. — II. De his defectibus in Christi corpore erraverunt erroribus extreme oppositis Corrupticolae et Incorrupticolae, ex secta eutychiana Acephalorum. — Tradebant scilicet *Corrupticolae*, Christum non secus ac alios homines *ex necessitate naturae* habere corpus passibile; dum *Incorrupticolae* e contra duce Juliano Halicarnasseo docebant (conformius, ut videtur cum doctrina eutychiana de absorptione humanae naturae a divina), *Christi corpus impassibile* fuisse, et taliter dispositum, ut etiam ab igne ipsi applicato non necessario calefieret, etiam secluso miraculo: S. Hilarium Pictaviensem his haereticis consensisse, falso asseruerunt aliqui. Cf. Franzelin, thes. 42, schol. 1.

233. — III. In catholica doctrina, 1. si spectetur *jus*, debita quidem et connaturalis erat Christo, tum propter dignitatem personae tum propter visionem beatificam, talis naturae perfectio quae omnem defectum impediret. Si vero 2. inquiratur de modo quo incarnatio *revera* facta sit, respondendum est distinguendo inter defectus. Alii enim sunt universales seu cuilibet naturae humanae *communes*, qui (ut dicit Hurter, n. 512) naturam humanam rubiginis instar consequuntur, uti mortalitas, passibilitas, etc.; alii *particulares*, qui oriuntur ex aliqua *causa speciali*, vel physica vel morali, cujusmodi sunt plures morbi et infirmitates. Docet porro catholica sententia, Christi humanitatem immunem fuisse a defectibus *particularibus* et qui aliquam indecentiam importarent, uti est corruptio: defectibus vero communibus et qui nullam importarent indecentiam et proinde post S. Jo. Damasc. (l. 3, c. 20) « passiones irreprehensibiles »(τὰ ἀδιάβλητα πάθη, καὶ φυσικά) dicuntur, subjectum fuisse.

234. — IV. Utrum et quo sensu defectus hi communes qui in Christo erant, *naturales* ei fuerint, disputabant monachi aliqui tempore S. Bernardi (cf. Petavius, l. 10, c. 4). Vera autem sententia affirmat hos defectus Christo *naturales* fuisse eo sensu, quod *sponte sequebantur* ex conditione naturae et ex statu viatoris, quem voluntarie assumpsit Verbum in ordine ad hominis redemptionem.

Haec tradit Suarez, d. 32, s. 3, nn. 3, 4: «Dico ergo *primo:* supposita dispositione naturali, in qua corpus Christi passibile formatum est, et positis etiam aliis naturalibus causis, necessitate quadam naturali patiebatur Christus hos defectus, ut famem, sitim etc., nec poterat eos per vires naturales humanae voluntatis impedire; et hoc modo dicitur Christus assumpsisse necessitatem subjaciendi his defectibus, et eodem sensu dicuntur *necessarii*. Hic est sensus S. Thomae..... in quo consentiunt Theologi..... » — « Dico *secundo:* nihilominus hi defectus fuerunt Christo homini *volun-*

tarii: 1. per modum objecti voluntarie acceptati et amati, vel in ipsamet assumptione corporis passibilis, juxta illud, « Corpus autem aptasti mihi, tunc dixi: Ecce venio »; vel in singulis occasionibus, cum se offerebat opportunitas vel necessitas sustinendi hujusmodi defectus; 2. per modum effectus aliquo modo procedentis ab ipsamet voluntate Christi, vel quia occasiones, et causas hujusmodi defectuum voluntarie assumebat, ut cum jejunabat, et usque ad defatigationem ambulabat; vel quia saltem ut instrumentum Verbi poterat has passiones impedire, et nolebat ».

235. — Propositio I. Caro Christi defectibus communibus irreprehensibilibus subjecta fuit. — De fide, v. g. ex Concilio Ephesino, can. 12, « Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse..... a. s. » (Denz. 84); et in Concilio Chalcedonensi docente Christum « per omnia nobis similem absque peccato » (Denz. 134).

Prob. I. Ille habet corpus communibus defectibus obnoxium, qui passus est famem, sitim, fatigationem, etc.; atqui Scriptura docet, Christum passum esse famem (Matth. 4. 2), sitim (Jo. 19. 28) corporis defatigationem (Jo. 4. 6): haecque vere passus est, non specie tantum, quod esset contra fidem Scripturarum et contra veritatem redemptionis: si enim Christus non habuit corpus vere passibile, non mortuus est nec proinde resurrexit vere (1 Cor. 15. 14); ergo.

236. — II. Ex Patribus graecis, dicit *S. Ignatius M.* (ad Trallianos, c. 9), « Qui ex genere David, qui ex Maria, qui vere natus est, edit et bibit, vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato, vere crucifixus et mortuus est..... Si vero..... secundum apparentiam... ad quid ego vinctus sum, cur cum bestiis quoque depugnare opto? Frustra igitur morior; ergo falsa de Domino loquor ». Et *S. Hippolytus* (contra haeres. Noeti, n. 18), « Sic igitur humana sua non recusat qui demonstrabatur esse Deus, cum esurit et laborat, et defatigatus sitit; cum formidans fugit, et orans tristatur, et super pulvinar dormit, qui naturam habet insomnem ut Deus... ». Ac *S. Cyrillus Alex.* (in Jo., l. 12: M. 74. 666, 667), « Ad extrema caro [Christi] proprium quiddam ac naturale rursus patitur: multis enim ac variis doloribus exsiccata, siti torquetur..... Difficile non erat omnipotenti Verbo Dei id a sua carne removere: verum sicut cetera, ita hoc quoque sponte perpessus est..... Ipsam pro nobis mortem suscepit, et communem hanc naturae nostrae passionem sustinet in carne ». Jam dixerat *S. Athanasius* (orat. de incarn. Verbi, n. 20) de Christi corpore, « Communem cum omnibus

naturam habebat (nam humanum corpus erat), tametsi novo miraculo ex sola Virgine procreatum est, tamen, quia mortale erat, uti alia corpora mortuum est ». Ac *S. Joannes Damasc.* (de fide orthod. l. 3, c. 28), « Si incorruptibile erat, non certe ejusdem nobiscum substantiae fuit; quin et hominum tantum opinione, ac non vere ea contigerunt, quae contigisse Evangelistae memorant, fames, sitis, clavi, lateris vulnus, mors ».

Ex Latinis vero *Tertullianus* (de carne Christi, c. 5), « Quid dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit. Maluit, crede, nasci, quam ex aliqua parte mentiri et quidem in semetipsum; ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem ». Ita et *S. Leo M.* (serm. 22, c. 2), « Impassibilis Deus non dedignatus est esse homo passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere ». Ac *S. Fulgentius* (epist. 18 ad Reginum comitem, c. 4, n. 8), « Quocirca apparet, Christum ante passionem, imo usque ad passionem et mortem, mortale atque animale corpus habuisse; et pro nobis in eodem corpore veram famem, veram sitim, fatigationemque sensisse, vera clavorum ac lanceae percepisse vulnera; ex hoc verum dolorem non necessitate, sed voluntate sensisse, veraeque mortis acceptatione pro nobis animam suam propria potestate posuisse ». Nec aliter *S. Hilarius* (de Trin., l. 3, n. 10), « Natus ex Virgine, a cunis et infantia usque ad consummatum virum venerat; per somnum, famem, sitim, lassitudinem, lacrimas hominem egerat, etiam nunc conspuendus, flagellandus, crucifigendus ».

237. — **III.** Rationes congruentiae tradit S. Thomas (3, qu. 14, a. 1): 1. Congruum erat, ut is qui Deo pro Adae peccato satisfacturus erat, in se reciperet aliquas istius peccati poenas; atqui defectus communes corporales, mors, fames, sitis, etc. erant illius peccati poenae. — 2. Nisi Christus carnem passibilem habuisset, humanitas ejus apparens et phantastica tantum facile crederetur. — 3. Christus non potuisset nobis patientiae exemplum dare nisi in corpore passibili.

238. — **Dices.** Ex S. Hilario (de Trin., l. 10, n. 23), vulnera et ictus non magis dolorem inferebant Christo, quam bacillus aut telum aëra verberans, aut aquam perforans (« Et Virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit »); atqui dolor est unus ex defectibus communibus; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Ex S. Hilario, Christus ut Deus (« Virtus ») non sensit dolorem, *conc.;* idque opere citato contra Arianos distincte urgebat; non sensit Christus dolorem ut homo, *subd.:*

non sicut nos, idest non ex necessitate aliqua seu debito, aut cum perturbatione mentis, *trans.* (sic enim exponuntur aliqua S. Doctoris loca); non sensit vere, *nego:* contrarium enim persaepe docet S. Hilarius, ut supra in probatione (n. 236), neque erroris hac in re accusatus est a scriptoribus coaevis. Vid. Coustant, praef. in opera S. Hilarii (nn. 150, sqq.: M. 9. 73); Franzelin, thes. 42, schol. 1 (p. 430).

239. — Propositio II. Christi humanitas defectibus particularibus, nominatim morbis subjecta non fuit. — Contraria sententia, quae diceret fuisse in Christo morbum aliquem, ut febrim aut morbum caducum, vocatur a Suarez (d. 32, s. 2, n. 7) « sententia temeraria, et piarum aurium offensiva ».

Prob. I. Tribuenda est Christo ea perfectio quae in ejus humanitate inesse potuit, et cujus privatio fini, ad quem venerat, non fuisset necessaria; atqui manifestum est, defectus ejusmodi speciales fini ad quem Christus venerat non fuisse necessarios, nec minus constat perfectionem oppositam in humanitate Christi inesse potuisse, uti revera fuit in Adam ante lapsum; ergo.

240. — II. Ex Patribus dicit S. Athanasius (orat. de Incarn. Verbo, n. 21), « Morbum morti praeire indecorum erat, ne istud illius qui in corpore erat, infirmitati adscriberetur. At non ergo esurivit? Ita sane; pro corporis proprietate esurivit; at illud propter Dominum ad quem pertinebat, fame non interiit. Quapropter, tametsi mortuus est, ut pretium pro omnibus solveret, tamen corruptionem non vidit, sed integer resurrexit, quia non alius cujusquam, sed ipsius Vitae corpus erat ». Et S. Fulgentius (epist. 18 ad Regin. com., c. 4, n. 7), « Fuit quippe in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis: quando caro Christi sic est mortua, ut nulla fuisset membrorum putredo..... Christus ergo non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus putredinem. Hoc autem non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit ». Docet item S. Joannes Damasc. (de fide orth., l. 3, c. 20), « Christum omnes naturales et minime reprehensibiles passiones hominis assumpsisse... quae omnibus hominibus natura conveniant ».

241. — III. Christus uti Redemptor generis humani congrue habere debuit illos tantum defectus, qui totam naturam in praesenti conditione consequuntur; atqui defectus particulares non immediate consequuntur totam naturam, sed in aliquibus hominibus oriuntur, propter causas speciales et personales, quae in Christo non erant: scilicet vel propter intemperantiam et inordinationem moralem, vel propter defectum virtutis formativae;

ergo. Billuart, d. 14, a. 2, post S. Thomam, 3, qu. 14, a. 4. — Proinde non ex morbo aliquo, sed *violenta morte* mortuus est Christus. Quid vero futurum fuisset in alia hypothesi Christi senescentis, disputat Suarez (d. 32, s. 2, n. 8), putatque mortem senis provenientem tantum *ex naturali virium defectione*, non recte tribui *morbo*.

242. — **Obs.** Corpus Christi habuisse *pulchritudinem* naturalem et virilem, licet (ob verba Is. 53. 2, « Non est species ei neque decor », quae Christum *patientem* manifeste respiciunt) a scriptoribus aliquibus antiquis, ac praesertim a Clemente Alexandrino, Origene, Tertulliano, negatum fuerit: opinio tamen affirmativa dicitur a Suarez (l. c., n. 3, ubi inter alios citat SS Joannem Chrysostomum et Hieronymum) « communis sententia sanctorum », quam Medina « temere negare ausus est ». — Haec ratio traditur ab eodem (ib., n. 4) ex S. Thoma (1, qu. 39, a. 8): Pulchritudo ex tribus consurgit, scilicet ex omnium membrorum integritate, ex eorundem debita proportione, ex conveniente colore nativo; atqui in Christi corpore, quod operatione divina immediate formatum est, haec tria fuisse, omnino fatendum est; ergo. — Cf. Lecky, « Rationalism », t. 1, p. 234, note.

CAPUT QUARTUM

De affectionibus Animae et Corpori Christi communibus

Sub hoc titulo comprehendunt auctores fomitem peccati et passiones, utpote quae a corporali appetitu eliciantur, et ab anima secundum vim sentiendi producantur, de quibus quaeritur, utrum fuerint in Christo.

ART. 1. — AN FUERIT IN CHRISTO FOMES PECCATI

243. — **Praenotandum.** — Putavit Durandus fomitem peccati esse appetitus sensitivi substantiam seu entitatem: unde dicebat eum esse in Christo et futurum esse in corporibus gloriosis (cf. Suarez, d. 34, s. 2, n. 1; Lugo, d. 20, n. 45). — Est autem fomes peccati appetitus ipse sensitivus *vulneratus*, seu quatenus est in homine lapso, idest sine subjectione ad rationem: unde definitur, « inclinatio appetitus sensitivi *in id quod est contra rectam rationem* ». In actu primo est ipse appetitus prout *proxime*

dispositus ad motus inordinatos adversantes rationi, quibus videlicet illam praevenit, illi resistit, atque ad objecta illicita inclinat. In actu secundo sunt *actuales motus* appetitus sensitivi ad bona illicita, rationem antevertentes vel praevenientes. — Dicitur fomes ille peccati *ligari* quando, ipso in actu primo manente, removentur tamen speciali providentia divina occasiones objectaque omnia, ex quibus secus ad actum secundum deduceretur. *Exstingui* dicitur quando nec in ipso actu primo remanet, ita ut, praesentibus etiam objectis, rationis imperio perfecte subjiciatur appetitus sensitivus. — Cf. Holzclau, n. 402.

244. — Propositio. Non fuit in Christo fomes peccati, neque in actu primo neque in actu secundo. — Communis et certa.

Prob. I. Illi tantum defectus Christo adscribendi sunt qui in ipso locum naturalem habent quique incarnationis fini inserviunt; atqui 1. fomes peccati importat defectum, scilicet, appetitum inferiorem moveri contra vel praeter rationis dictamen, 2. in Christo locum naturalem non habuit, est enim effectus peccati originalis, 3. nulli fini utili inserviret; ergo.

245. — II. Hunc defectum a Christo abesse, docet S. Cyrillus Alex. (de recta fide ad Theodos., c. 20: M. 76. 1162) dicendo animam Christi « eo quod illius effecta est qui peccatum non novit, e vestigio statum firmum, ac in omnibus bonis stabilem, peccatoque quod olim tyrannidem exercebat, multis partibus potentiorem nacta est ». Item ex S. Hilario (de Trin., l. 10, n. 25), Christus « habet et nativitatem hominis, qui homo est; nec est in vitiosa hominis infirmitate, qui Christus est ». Demum dicit S. Leo M. (epist. 35, c. 3), « Nihil enim carnis suae habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine deitatis, et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis ». — Concilium quoque Constantinopolitanum II, can. 12, damnavit eos qui cum Theodoro Mopsuesteno dicerent Christum « passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum » (Denzinger 183).

246. — III. Christus utpote Dominus omnium creaturarum suarum potentiarum perfectum dominium habuit, et semper fuit in actuali usu rationis; atqui in Christo ita constituto fomes peccati repugnaret: nihil enim aliud esset quam Christum permittere potentias suas sensitivas inclinari seu proxime disponi *ad prava et illicita*; ergo in Christo fomes peccati prorsus exstinctus est.

247. — Corollarium de Christi tentatione. — Hinc Christus (ut notat Franzelin, thes. 42, schol., annot.) non ab intrinseco, sed solum *suggestione extrinseca* tentari potuit : et quamvis diabolus (Matth. 4) non posset proponere objectum illicitum, quin in Christi anima aliqua ejus esset cogitatio seu apprehensio, haec tamen *apprehensio non inclinabat seu alliciebat ad peccatum*, sed illector erat solus diabolus. Unde S. Gregorius M. (hom. 16 in Evang., n. 1), « Tentari ergo per suggestionem potuit [Christus]; sed ejus mentem peccati delectatio non momordit. Atqui ideo omnis diabolica illa tentatio foris non intus fuit ». Ita et S. Joannes Damasc. (l. 3, c. 20), « Malus daemon extrinsecus ingruebat, non per cogitationes..... Dominus autem incursionem istam repulit, ac fumi instar dissolvit ».

ART. 2. — AN FUERINT IN CHRISTO PASSIONES

248. — Praenotanda. — Passio est motus appetitus sensitivi ex apprehensione boni vel mali cum aliqua mutatione non naturali seu abnormi corporis, cujusmodi est v. g. pallor vel tremor quem quis ex timore experitur. Passiones enim dicuntur (ut notat Lugo, d. 22, n. 1), « quia causant commotionem vel passionem in corpore, ut iracundia, timor, etc. ». — Undecim sunt passiones, quarum sex ad appetitum concupiscibilem pertinent, nempe, amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia ; quinque vero ad appetitum irascibilem, nimirum, spes, desperatio, audacia, timor et ira. Cf. S. Thomas, 1. 2, qu. 22, a. 3 ; ac qu. 23, praesertim a. 4.

249. — Propositio. Revera fuerunt in Christo passiones, nostris quidem quoad substantiam similes, dissimiles vero quoad modum.

Prob. prima pars (« fidei dogma est » : Lugo, l. c., n. 2). — **I.** Scriptura tribuit Christo tristitiam (Matth. 26. 37), iram (Marc. 3. 5), timorem (Marc. 14. 33), dolorem (Is. 53. 4) ; atqui tristitia, ira, timor, dolor, sunt passiones ; ergo.

250. — II. Hanc veritatem declarant Patres, v. g. S. Joannes Chrys. (hom. 61 in Jo., n. 2), ex quo Christi oratio (Jo. 12. 27), « Pater salvifica me ex hac hora », « humanum affectum indicat, naturamque mori nolentem, sed vitam servare cupientem ; ostenditque se non extra humanos affectus esse ». Ac S. Cyrillus Alex. (thesaur., assert. 24 : M. 75. 395), « Cum mortale et corruptibile corpus assumpsit, et ejusmodi affectionibus obnoxium, necessario etiam una cum carne ejus proprietates et passiones in

se recipit: quas cum caro sustineat, ipse eas sustinere ac ferre dicitur ».

251. — **III.** Omnes naturae humanae affectiones communes tribuendae sunt Christo, iis tantum exceptis quae vel unioni hypostaticae vel incarnationis fini repugnent; atqui passiones sunt hominibus in quocumque statu naturales, sunt (saltem plures) irreprehensibiles, ac demum officio Redemptoris optime inserviunt (cf. Hebr. 2. 10, 17, 18, « Decebat enim..... auctorem salutis eorum per passionem consummare..... Unde debuit per omnia fratribus similari..... »); ergo. — Negat Legrand, d. 9, a. 4, fuisse in Christo desperationem, utpote semper deordinatam.

252. — **Secunda pars,** quae sequitur ex veritate humanae naturae a Verbo assumptae, saepe declaratur a Patribus, uti a S. Augustino (de civ. Dei, l. 14, c. 9), « Neque enim in quo verum erat hominis corpus, et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus ». Ac S. Fulgentius (ad Trasimund., l. 3, c. 16), « Igitur quia totum hominem Deus ille suscepit, ideo totius hominis in se passiones in veritate monstravit, et animam quidem rationalem habens, quidquid fuit infirmitatis animae sine peccato et suscepit et pertulit, ut dum humanae animae passiones in anima quam accepit vinceret, nostras quoque animas ab infirmitatibus liberaret ».

253. — **Prob. tertia pars** (nempe passiones Christi esse nostris dissimiles quoad modum: « communis sententia non solum theologorum sed etiam sanctorum Patrum », ait Suarez, d. 34, s. 1, n. 3). — **I.** Ita docet Joannes IV rom. Pontif. (in defensione Honorii), « In dispensatione sanctae carnis suae duas nunquam habuit contrarias voluntates; nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipsius ». Et S. Augustinus (loc. cit.), « Verum ille hos motus, certae dispensationis gratia, ita cum voluit, suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo ». Item S. Jo. Damasc. (l. 3, c. 20), « Naturales affectiones nostrae secundum naturam, et supra naturam erant in Christo. Quippe secundum naturam in ipso movebantur, quando carni permittebat quae ejus sunt propria perpeti. Supra naturam autem, quoniam quae naturalia sunt, voluntatem minime praeveniebant in Christo Domino; nihil enim in eo expressum necessitate cernitur; sed omnia spontanea ».

254. — **II.** Si passiones in Christo non essent nostris quoad modum dissimiles, appetitus inferiores in ipso moverentur contra vel praeter intellectus et voluntatis consensum; atqui hunc de-

fectum, 1. non oportuit ex aliqua necessitate in Christo esse (quippe qui ex peccato originali oritur), nec 2. decuit voluntarie assumi (cum nec ad fidem incarnationis nec ad nostram utilitatem conduceret); ergo. — Notat vero S. Thomas (3, qu. 15, a. 4), passiones Christi fuisse nostris dissimiles, 1. quantum ad *objectum*, quum in illicita nunquam tenderent; 2. quantum ad *principium*, quum judicium rationis nunquam praevenirent; 3. quantum ad *effectum*, quum judicium rationis nunquam perturbarent.

255. — Obs. de modo loquendi (ex Lugo, l. c., n. 14). — « Dubitari solet, an *dicendae* sint simpliciter in Christo fuisse *passiones*. Nam Hieronymus..... appellat illas *propassiones;* quem loquendi modum sequitur S. Thomas..... Alii tamen Patres simpliciter eas dicunt passiones..... ; quare eam appellationem simpliciter amplectitur Vasquez cum aliis... Et quidem in Latino et proprio sermone non videtur esse periculum. In vulgari tamen non uterer illo loquendi modo, maxime apud plebem, apud quam passiones appellari solent affectus immortificati et immoderati, sicut e contra homines spirituales dici solent esse absque passionibus, eo quod habeant illas mortificatas, et temperatas ». — Cf. Franzelin, thes. 42, schol. 1, annot.

PARS ALTERA

DE REDEMPTIONIS OPERE

256. — Redemptio est servi aut captivi restitutio in pristinam libertatem per pretii solutionem. Cum vero servitus lapsi generis humani subjectio fuerit sub *peccato* ejusque poena multiplici ac sub diabolo, vindictae divinae exsecutore et veluti carcerario (cf. Matth. 5. 25): pretium quod ad hominis redemptionem *Deo* solvendum erat fuit utique *satisfactionis* exhibitio. « Quantum ad poenam (ait S. Thomas, 3, qu. 48, a. 4, ad 2) principaliter homo erat Deo obligatus, sicut summo judici, diabolo autem tanquam tortori » (1). Praemissa ergo explicatione aliqua satisfactionis, inquirendum est, 1. utrum et quatenus *redemptio hominis fuerit finis* incarnationis; 2. utrum ad hanc redemptionem *necessaria fuerit incarnatio;* 3. utrum *Christus* Verbum incarnatum *vere satisfecerit* hominemque redemerit; 4. utrum hoc praestiterit *perfecte et plene;* deinde 5. agendum est de *medio* seu munere quo Christus satisfecit, idest de sacerdotio et sacrificio ejus; ac demum 6. declaranda sunt *munera et nomina alia* titulo Redemptoris et Sacerdotis annexa.

Praenotiones de Satisfactione

257. — I. Distinguitur satisfactio late et stricte dicta. Prior est damni aut injuriae cujuslibet reparatio, seu *solutio cujusvis debiti* (pecuniae, famae, honoris, etc.). Satisfactio autem proprie dicta est *reparatio injuriae*, seu redditio honoris ablati. — Jam plane liquet, Deo, quippe qui essentialiter et infinite perfectus

(1) Jura quaedam diaboli in peccatores, quasi ei ex justitia solvendum fuisset pretium redemptionis humanae, verbotenus saltem et metaphorice videntur admisisse Patres plures. Ita v. g. S. Ambrosius (epist. 72, n. 8), « Pretium autem nostrae liberationis erat sanguis Domini Jesu, quod necessario solvendum erat ei, cui peccatis nostris venditi eramus ». De hac quaestione latius agit Rivière (« Dogme de la Rédemption », capp. 21, sqq.).

est gaudetque bono, gloria et beatitudine intrinsecis quae nec augeri nec minui possint, nullum *damnum* fieri posse : est enim damnum privatio boni debiti, quod illius cujus est bonum melius esse constituit. Attamen per peccatum vere fit Deo offensa et *injuria*, laesio nempe juris illius stricti quod velut principium et finis omnium habet Deus, ut quaelibet rationalis creatura reddat ipsi honorem et gloriam extrinsecam, excellentiam ipsius supremam tum theoretice tum practice agnoscendo. Satisfactio ergo in praesenti materia non pro damni sed *pro injuriae reparatione* stricte sumitur (1).

258. — II. Satisfactio porro proprie dicta est vel *congrua*, cujus scilicet valor non adaequat gravitatem offensae; vel *condigna*, cujus valor gravitatem offensae adaequat. — 1. *Valor* nempe est dignitas moralis ac proportio operis et obsequii cum injuria illata; et derivatur *a*) formaliter ex dignitate personae satisfacientis, *b*) etiam ex opere et re ipsa quae ad satisfactionem offertur. — 2. *Gravitas* autem offensae *a*) formalis desumitur ex dignitate personae laesae, vel ex distantia inter laedentem et laesum; *b*) gravitas quasi materialis pendet ex atrocitate facti, quo injuria infertur. Ex priori ratione peccatum quodvis mortale est in ordine supremo injuriae, ultra quem alius nullus esse potest, et ad quem nullus alius ordo injuriarum potest habere proportionem aliquam; unde, ut ait S. Thomas (3, qu. 1, a. 2, ad 2), « peccatum quamdam *infinitatem* habet » non quidem ratione entis, sed in genere morum. Ex altera ratione sunt diversi gradus peccatorum.

259. — III. Adhuc distinguitur satisfactio condigna in *condignam simpliciter* et *rigorosam*. — 1. Satisfactio *condigna simpliciter* ea est in cujus acceptatione liberalitas aliqua intercedit. Ita v. g. quamvis justorum opera satisfactoria dignitatem et valorem habeant, ut ob ipsa remittatur poena temporalis; attamen, quia justi isti a Deo habent tum ut per gratiam habitualem sint grati et habiles ad satisfaciendum, tum ut per gratiam actualem opus bonum incipiant et perficiant, hinc satisfactio eorum est secundum justitiam simpliciter condignam. — 2. In satisfactione autem *ex rigore justitiae* nulla intercedit liberalitas. Cf. Franzelin, thes. 47, n. II.

(1) Ita S. Anselmus (Cur Deus homo, l. 1, c. 11), « Hunc honorem debitum qui Deo non reddit, aufert Deo quod suum est, et Deum exhonorat; et hoc est peccare ». Ac postea, « Sic ergo debet omnis qui peccat, honorem, quem rapuit Deo, solvere; et haec est satisfactio, quam omnis peccator debet Deo facere ». Huic Doctori tribuitur elaboratio notionis Redemptionis, quae nunc communiter obtinet.

260. — IV. Conditiones ad condignitatem perfectam requisitae exprimuntur in solita satisfactionis condignae definitione, « Redditio voluntaria honoris aequivalentis, ex propriis et alias indebitis, ad compensandam injuriam alteri illatam ». De quibusdam aliis conditionibus, v. g. utrum satisfactio fieri debeat ab ipso debitore personaliter, disputatur.

Dicitur 1. « Redditio » : in quo convenit satisfactio cum aliis *justitiae* actibus, et distinguitur a mera donatione gratuita.

2. « Voluntaria » : est enim *a*) (generali ratione) actus virtutis, qui liber esse debet ; *b*) (speciali ratione) est redditio honoris, quae requirit submissionem voluntariam : hac particula distinguitur satisfactio a satispassione.

3. « Honoris *aequivalentis* » : est enim satisfactio actus justitiae commutativae, quae exigit non meram aequalitatem geometricam, seu ad debitoris facultatem proportionatam : cujusmodi esset satisfactio congrua, sed ad aequalitatem rei ad rem, seu arithmeticam, qua tantum honoris redditur, quantum fuit ablatum.

4. « Ex *propriis* » : reddere enim alteri quis potest id tantum, cujus ipse dominium habet : alioquin haberetur vel nova injustitia (si scilicet res sit tertiae personae), vel mera condonatio (si scilicet sit ipsius creditoris). — Cum hic consideretur tantum reparatio honoris, haec conditio in praesenti significat, actum satisfactorium debere esse sub libero satisfacientis dominio, seu esse *liberum et voluntarium*.

5. « Ex alias *indebitis* » : significatio hujus conditionis, quam de cetero aliqui rejiciunt, per se patet.

6. « Ad compensandam *injuriam* » : hac particula distinguitur satisfactio tum *a restitutione*, quae damni reparationem spectat : tum a *merito*, quo alteri quidem honor redditur, non autem praecise ad debitum vel offensam reparandam, sed ad praemium consequendum. — Vid. Franzelin, sect. 4, praenotiones (pp. 474, sqq.).

QUAESTIO PRIMA

UTRUM REDEMPTIO HOMINIS FINIS FUERIT INCARNATIONIS

261. — Licet Deus propria sua bonitate et ob suam gloriam moveatur ad se communicandum creaturis, tamen inter objecta creata quaedam ordinat ad alia tanquam ad finem proximum. Illud autem ad quod Deus aliud ordinat ut ad finem proximum, dicitur motivum. Quare hîc *quaeritur* quodnam sit illud bonum, ad quod Deus in sua intentione ordinavit incarnationem tanquam ad finem proximum, ita ut Deus incarnationem *proxime* propter illud voluerit. — De hac re duplex praecipue est disputatio: 1. utrum redemptio hominis fuerit finis, saltem partialis, incarnationis, 2. utrum fuerit finis ejus totalis et adaequatus. Hinc duplex caput.

CAPUT PRIMUM

Utrum Redemptio fuerit Finis saltem partialis Incarnationis

262. — **Praenotandum.** — De hac re erraverunt praecipue Pelagiani, Abaelardus et Sociniani. — 1. Pelagiani, negantes peccatum originale et necessitatem gratiae Christi ad salutem consequendam, docuerunt Christum datum esse hominibus duntaxat in exemplum, doctorem et legislatorem, non ut Redemptorem proprie dictum. — 2. Abaelardus quoque, quamvis agnosceret peccatum originale, asseruit tamen, in tertia ex propositionibus a Concilio Senonensi an. 1141, et ab Innocentio II damnatis (Denz. 313), « Quod Christus non assumpsit carnem, ut nos a jugo diaboli liberaret ». — 3. Ita et Sociniani cum pluribus recentioribus, rationalistis et modernistis, juxta quos Jesus filius Mariae et merus homo, nonnisi legatus et nuntius Dei fuit (aut se putavit esse), ad veritatem salutarem annuntiandam hominibus.

263. — Propositio. Incarnatio facta est ad liberandum hominem a peccato. — De fide ex Concilio Nicaeno I, « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus » (Denz. 17).

Prob. Quod Scriptura passim simpliciter et sine addito affirmat, ab omnibus admittendum est; atqui Scriptura de fine et motivo incarnationis loquens, simpliciter et sine addito affirmat, Christum venisse ad peccatum delendum; ergo.

Prob. Min. ex diversis locis v. g. 1 Tim. 1. 15, « Fidelis sermo et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere »; Rom. 3. 25, « Quem proposuit Deus propitiationem per fidem..... propter remissionem praecedentium delictorum »; 1 Jo. 3. 5, « Scitis quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret ».

264. — Scholion: Ad quae peccata delenda venerit Christus. — I. Christum venisse propter peccatum *tum originale tum actuale*, constat 1. ex Scriptura, quae omnino generaliter loquitur, v. g. Tit. 2. 14, « Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate »; 1 Jo. 1. 7, « Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato »; Ib. 3. 8, « In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli ». — 2. Ostenditur idem ratione theologica: Christus venit ad tollenda omnia impedimenta vitae aeternae: nam venit ut perfectus redemptor et salvator, qui nos ad vitam aeternam perduceret, ut ipse testatur Jo. 10. 10, « Veni ut vitam habeant et abundantius habeant »; atqui peccatum originale et peccata actualia seu personalia sunt impedimenta vitae aeternae; ergo.

II. Christum tamen venisse *principaliter propter peccatum originale*, his rationibus suadet Holzclau, n. 358: 1. Principaliter incarnatum est Verbum, ne totum periret genus humanum; sed posito solo peccato originali, adhuc periret genus humanum. — 2. Apostolus (1 Cor. 15. 22 et alibi) Christum ut Redemptorem totius naturae humanae opponit Adamo, ut totius naturae corruptori; atqui Adam totam naturam corrupit per peccatum originale; ergo Christus Redemptor praecipue fuit per ejusdem peccati deletionem.

CAPUT SECUNDUM

Utrum Redemptio fuerit Finis Totalis Incarnationis

265. — **Praenotanda.** — I. Non quaeritur hic, quodnam motivum Deus habere potuerit decernendi incarnationem, nec quodnam habuisset, si praesens non haberet: nam cum nihil sit de ea re revelatum, disputatio esset satis inutilis. Sed quaeritur quodnam decretum et motivum Deus reipsa habuerit circa incarnationem, *quantum cognosci potest ex revelatione* certa, vel saltem probabiliori: seu, ut loquitur Holzclau, n. 359, quaeritur, an remedium peccati fuerit incarnandi Verbi motivum adaequatum et unicum, sive *sine quo non*, ita ut Christus in praesenti ordine historico non venisset, si homo non peccasset.

266. — II. Triplicem sententiam distinguunt aliqui (v. g. Antoine, Billuart, Billot). — 1. Prima est Scoti asserentis, post Alexandrum Alensem, et Albertum M., motivum decernendi incarnationem quoad substantiam fuisse ipsius incarnationis excellentiam independenter a peccato; redemptionem vero a peccato fuisse rationem decernendi aliquas incarnationis circumstantias, nempe ut Verbum assumeret carnem passibilem et mortalem: ita ut Verbum vi praesentis decreti assumpsisset humanitatem, non tamen passibilem, si homo non peccasset.

2. Secunda eaque longe communior est sententia S. Thomae opinantis (3, qu. 1, a. 3), convenientius dici, redemptionem hominum fuisse motivum decernendi incarnationem etiam quoad substantiam, ita ut Verbum vi praesentis decreti incarnatum non fuisset, si homo non peccasset.

3. Tertia, quae est Suarezii (d. 5, s. 4, n. 4), docet duplex fuisse motivum totale decernendi incarnationem, nempe, et propriam illius excellentiam abstrahendo a carne passibili vel impassibili, et redemptionem a peccato: ita ut incarnatio volita sit prius sui gratia et ante praevisionem peccati, abstrahendo a circumstantiis; deinde iterum post praevisionem peccati et ex affectu redimendi homines, determinando carnem passibilem. — Pro sententia Scoti, ad quam constat sententiam Suarez approximare, citantur Catharinus et S. Franciscus Salesius; pro sententia vero S. Thomae, S. Bonaventura, Dionysius Carthusianus, Cajetanus, Valentia, Petavius, Lessius, Molina, Antoine, Billuart, Legrand, Holzclau, etc. — Franzelin breviter tantum quaestionis meminit, thes. 41, fin.

267. — **Propositio. Verbum divinum vi praesentis decreti, non fuisset incarnatum, si homo non peccasset.**

Prob. I. Argumento S. Thomae (3, qu. 1, a. 3), Petavii (l. 2, c. 17, n. 7), etc. — De iis quae pendent unice ex libero Dei arbitrio, nihil est asserendum, nisi quod Deus revelavit; atqui tale quid est incarnatio, et praeter redemptionem hominis, nullibi revelatum est motivum aliud, propter quod Deus decreverit simpliciter et quoad substantiam incarnationem in praesenti ordine; ergo.

Minor constat ex Scriptura, quae 1. Solius hujus motivi mentionem facit, uti in locis jam citatis (n. 263: « Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere », etc.); et 2. alibi omnem aliam Christi adventus causam videtur potius excludere: ita Jo. 3. 17, « Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum »; item Matth. 9. 13, « Non enim veni vocare justos, sed peccatores »; et 1 Jo. 3. 8, « *In hoc* apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli »: si *in hoc* apparuit, ergo hoc fine sublato, non apparuisset.

268. — **II.** Ex Patribus, dicit *S. Justinus M.* (apol. 1, c. 23), Verbum, Patris « voluntate factum hominem instaurandi et revocandi hominum generis causâ ». Ac *S. Irenaeus* (l. 5, c. 14, n. 1), « Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset ». Item *S. Joannes Chrysost.* (hom. 5. in Hebr., n. 1), « Propterea carnem nostram suscepit, propter benignitatem solum et clementiam, ut nostri misereretur. Non est alia dispensationis [incarnationis] causa quam haec sola: vidit quippe nos humi abjectos, pereuntes, et a mortis oppressos tyrannide, et misertus est ».

Similiter *S. Cyrillus Alex.*, ad quem provocant adversarii, dicit (de Trin., dial. 5: M. 75. 967), « Sciat vero occasionem sibi fuisse gloriae illius deificae, humanitatis peccata. Nisi enim peccassemus, non factus fuisset nostri similis ». Qui et alibi (thesaur., assert. 15: M. 75. 291), « Sciebat enim [Deus] nos per peccatum morituros..... Cum autem quae ex re nostra erant, etiam ab aeterno praecogitarit omnium nostrum conditor et creator, praevidit atque praefinivit eum qui propter nos et pro nobis homo factus erat, hoc est Verbum suum, ut initium viarum et fundamentum reperiatur instauratae in ipso humanae naturae ad incorruptionem ». Ita et *S. Augustinus* (serm. 174, de Verbis Apost. 8, c. 2), « Si homo non perisset, Filius hominis non venisset ». Alia loca exhibet Petavius, l. c., nn. 8, sqq.

269. — **Dices 1.** Vocatur Christus in Scriptura *a*) caput non tantum hominum sed et angelorum (Coloss. 2. 10), *b*) « primogenitus omnis creaturae » (Ibid. 1. 15), ac de ipso quoque *c*) intelli-

gitur illud Prov. 8. 22, « Dominus possedit me in initio viarum suarum »; atqui haec omnia ostendunt ipsum non quidem actu exstitisse, sed praedestinatum fuisse, ante omnes alias creaturas; ergo incarnatio decreta fuit independenter a lapsu hominis.

Resp. *Dist. Maj.* Haec dicta sunt de Christo materialiter spectato, idest de Verbo divino secundum divinam naturam, *conc.;* de Christo formaliter spectato, seu de Verbo qua incarnato, *nego*, juxta plurium interpretationem. Sed hoc omisso,

Dist. Min. per singula. — Ad *a*) Supposito decreto unionis hypostaticae, *Christus caput* est non tantum hominum lapsorum quibus universam gratiam meretur, sed *et angelorum*, tum ratione dignitatis personae tum ratione gratiarum accidentalium quas ipsis influit, *conc.;* antecedenter ad lapsum hominis, incarnatio decreta fuit ut causa meritoria justificationis angelorum, *nego.*

Ad *b*) Dicitur Christus *primogenitus* ratione excellentiae et dignitatis, qua ratione idem nomen adhibetur de Israel (Exod. 4. 22), de David (Ps. 88. 28), de Ephraim (Jerem. 31. 9), *conc.;* ratione vel temporis vel praedestinationis, *nego.*

Ad *c*) Supposita incarnatione, *Christus est initium* in ordine dignitatis et excellentiae, *transeat* (sicut propter destinationem supernaturalem Christiani dicuntur Jac. 1. 18, « initium creaturae Dei », imo et Behemoth Job. 40. 14, propter magnitudinem corporalem, « principium viarum Dei »); est praedestinatus ante praevisum peccatum hominis, *nego.*

270. — **Dices. 2.** Si nonnisi propter hominem Deus decrevit incarnationem, *a*) ordinasset perfectius ad minus perfectum (« Si Filius propter nos factus est, ut illi [Ariani] dicunt, non erit ille primus nostrum apud Deum », ait S. Cyrillus Alex., Thes., assert. 15: M. 75. 258), *b*) incarnatio esset bonum per peccatum occasionatum, et ideo *c*) humanitas Christi gaudere potuisset de peccato Adae; atqui haec repugnant dignitati tum Verbi incarnati tum ipsius Dei, qui « universa propter semetipsum operatus est » (Prov. 16. 4); ergo decreta est incarnatio independenter a peccato hominis.

Resp. *Dist. Maj. per singula.* — Ad *a*) Perfectius, nempe Filium qui est Deus, ordinasset Deus per incarnationem *propter motivum ultimum gloriae divinae*, ad finem intermedium redemptionis humanae, *conc.;* ordinasset Christum ut instrumentum inanimatum, aut ut merum medium, *ad hominis redemptionem tanquam ad finem ultimum* (id quod rejiciebat S. Cyrillus in Arianis), *nego.* — Ad *b*) Incarnatio de facto non est *volita* nisi occasione peccati, *conc.;* non fuit *volibilis* nisi occasione peccati, sicut v. g. virtus poenitentiae, *nego.* — Ad *c*) Humanitas Christi gaudere potuit de bonis quae occasione peccati operata est misericordia

divina, quo sensu canit ecclesia (in benedictione cerei paschalis), « O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem », *conc.;* gaudere potuit de ipso peccato, *nego.*

Nego proinde Min. Finis enim *ultimus* redemptionis humanae est *gloria Dei;* neque magis repugnat Deum incarnationem in qua decernenda prorsus liber fuit, ad gloriam suam in humana redemptione promovendam primario ordinare, quam repugnat ipsum propter eandem gloriam, jam existentes angelos, licet natura superiores, ad hominum custodiam deputare; neque ideo Christus infra nos deprimitur, sed e contra: « omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei » (1 Cor. 3. 22, 23).

271. — **Obs.** Loca quaedam obscuriora *S. Cyrilli Alexandrini*, quae objiciuntur, in contextu important tantum, incarnationem in providentia divina et cum *certa* futuri lapsus cognitione praeparatam fuisse, et quidem instar *remedii*, antequam peccatum *actu* commissum fuisset. — Sic (thesaur., assert. 15: M. 75. 294), « Omnium Creator Christum salutis nostrae fundamentum etiam ante creationem mundi jecit, ut cum eam per peccatum labefactari contigerit, iterum in ipso instauremur. Quantum igitur attinet ad consilium et propositum Patris, etiam ante saecula fundatus Christus; opus vero ipsum suo tempore effectum est, ita exigente rei necessitate. Instaurati enim sumus in Christo, adventus sui in carne tempore, ab aeterno salutis nostrae fundamentum ipsum habentes ».

QUAESTIO SECUNDA

UTRUM NECESSARIA FUERIT INCARNATIO

272. — **Praenotanda.** — I. Necessarium potest aliquid esse vel absolute et antecedenter, vel hypothetice. — 1. Necessarium absolute et antecedenter, est illud quod ante omnem hypothesim et in quacumque hypothesi aliter se habere nequit, uti sunt existentia et attributa Dei. — 2. Necessarium hypothetice illud est quod facta aliqua hypothesi aliter se habere nequit, cujusmodi est divina praescientia futurorum liberorum.

273. — II. Jam inquirendum est, utrum incarnatio dicenda sit necessaria vel antecedenter et absolute vel hypothetice: notandum autem est, nomen *incarnationis* in hac quaestione sumi ab auctoribus latiori sensu, nempe pro assumptione naturae intellectivae creatae, sive humanae sive angelicae, facta a quacumque persona divina, non autem stricte pro unione Verbi cum natura humana, qualis reipsa facta est.

274. — III. Quaedam videntur certa. — 1. Incarnatio non fuit *absolute et antecedenter necessaria*. — Ratio: Deus in operibus ad extra liber est; atqui incarnatio est opus ad extra; ergo. — Wickleffus, cui aliquatenus consentiunt Leibnitzius, Wolf, Clark, contrarium docuit, asserens Deum non magis potuisse abstinere ab incarnatione quam a generatione Verbi.

2. Incarnationem non fuisse necessariam *in hypothesi creationis mundi*, certum est contra Raymundum Lullum, quem recentius secutus est Malebranchius, dicens Deum fuisse liberum mundum creare vel non, sed ex hypothesi quod creet, debuisse creare mundum perfectissimum, qui incarnationem includeret. — Rationes contra Malebranchii sententiam: *a*) Exhibetur incarnatio in Scriptura et a Patribus ut opus eximium amoris et misericordiae erga homines; atqui tale non esset, si necessario includeretur in creatione. — *b*) Opus supernaturale, non habet necessariam connexionem cum rerum naturalium universitate; atqui incarnatio omnibus fatentibus est opus supernaturale. — *c*) Sententia Malebranchii nititur fundamento falso, scilicet Optimismo.

3. Incarnatio non fuit necessaria *in hypothesi peccati hominis.* — Rationes: *a*) Reparatio hominis per incarnationem tribuitur a Scriptura et Patribus bonitati et misericordiae divinae; atqui nulla esset ratio misericordiae et bonitatis si ista reparatio esset simpliciter necessaria. — *b*) Non magis debuit Deus reparare hominem lapsum quam Angelos peccantes; atqui Angelos non reparavit.

4. Incarnationem non fuisse necessariam *in hypothesi reparationis generis humani,* dicitur a Gregorio de Valentia certissima et communissima omnium theologorum post S. Thomam: imo adeo certa theologis videtur, ut juxta Suarez « negari non possit sine temeritate et incommodo fidei », et juxta Lugo contraria sententia (quae tamen tribuitur S. Anselmo, et Richardo Victorino) ad errorem accedat, « nec desunt, (ait Legrand, d. 5, c. 4), qui adhuc gravioribus censuris hîc utantur ». — Ratio desumitur ex omnipotentia divina: Nihil enim divinae potentiae negandum est quod manifestam repugnantiam non involvat; atqui nullomodo repugnare videtur, ut Deus vel gratis peccatum hominis condonet, vel satisfactionem qualemcumque accipiat. Cf. Thomas, 3, qu. 1, a. 2; qu. 46, a. 2. — Patres (v. g. SS. Athanasium, Augustinum, Gregorium Naz., Cyrillum Alex., etc.) citat Petavius, l. 2, c. 13, nn. 6, sqq.

275. — IV. Proinde quaestio est, utrum *in hypothesi, quod Deus voluerit hominem reparare per satisfactionem adaequatam,* seu veram redemptionem, necessaria fuerit incarnatio; et haec quaestio ad alteram iterum se resolvit: « an ulla *creatura pura* (quae scilicet non sit Deo hypostatice unita) possit pro peccato adaequate satisfacere »: nam si talis creatura adaequate satisfacere nequeat, sufficeret sola persona divina incarnata.

Creaturam puram 1. non posse sine auxilio gratiae veri nominis satisfactionem exhibere, ac proinde incapacem esse satisfactionis *rigorosae;* posse autem 2. supposito auxilio gratiae *congrue* saltem et quoad remissionem poenae temporalis satisfacere, fatentur Catholici omnes. Utrum vero 3. possit mera creatura satisfactionem *condignam* praestare, cujus scilicet valor gravitatem injuriae perfecte adaequat, disputatur.

a) Scotistae dicunt omnem quamcumque satisfactionem quae fieri possit, aequalem et sufficientem esse tantum *ab extrinseco* et ex Dei acceptatione, non autem ex proprio ipsius valore intrinseco, idque tenent, ut postea videbitur, etiam de vera Christi satisfactione. In hac ergo sententia *incarnatio necessaria non fuit* ad hominis redemptionem aut ad veram satisfactionem peccati (quod de cetero negant Scotistae habere infinitatem malitiae), ac

Deus aeque acceptare potuisset purae creaturae satisfactionem, etsi *convenientior* fuerit satisfactio per personam divinam.

b) Alii theologi communiter cum S. Thoma docent (quod postea ostendetur), satisfactionem Christi eamque solam fuisse in actu primo, independenter a divina acceptatione, valoris infiniti ab intrinseco adeoque fuisse non tantum *condignam*, quod et de satisfactione creaturae ex gratia affirmari potest, sed etiam ex justitia, imo ut communius tenetur, *ex rigore seu perfectione justitiae;* et hi theologi affirmant, ad perfectam satisfactionem et redemptionem necessariam fuisse incarnationem: aliis verbis, nullam creaturam puram potuisse condigne satisfacere ad normam perfectae justitiae pro peccato mortali proprio aut alieno. Hinc,

276. — Propositio. Nulla pura creatura potest pro suo vel alieno peccato mortali condigne et perfecte satisfacere (1).

Prob. I. Patres doctrinam hanc saepius declarant ex verbis Ps. 48. 8, « Frater non redimit, redimet homo ». Ita *S. Basilius*, (hom. in Ps. 48, n. 4), « Neque igitur fratrem in redemptionem quaere, sed aliquem qui tuam excedat naturam: neque hominem nudum sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo dare potest placationem ». Sic et *S. Ambrosius* (enarr. in Ps. 48, n. 13), « Sed quare solus hic redimet? Quia nemo potest eum aequare.... integritate; omnes enim sub peccato, omnes Adae illius subjacent prolapsioni, solus Redemptor eligitur, qui peccato veteri obnoxius esse non possit. Ergo per hominem Dominum Jesum intelligimus, qui suscepit hominis conditionem ».

Dicit auctor antiquissimus (forsan saec. I. exeuntis) *epistolae ad Diognetum* (9. 3, 4), « Proprium ipse Deus Filium dedit pretium redemptionis (λύτρον) pro nobis, sanctum pro iniquis, mali expertem pro malis..... Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere quam illius justitia? In quo alio iniqui nos et impii justificari potuimus quam in solo Filio Dei? » Ac *S. Athanasius* (orat. de inc. Verbi, n. 8), « Cum enim Patris sit Verbum, et omnibus longe antecellat, solus quoque ipse idcirco universa instaurare poterat: solus idoneus fuit qui pro omnibus pateretur, et pro cunctis apud

(1) Pro peccato *proprio veniali* posse *absolute loquendo* merum hominem justum condigne satisfacere, docet sententia quam Lugo (d. 5, n. 128) communem censet. Etenim 1. peccatum illud (cum non sit negatio aut contemptus Dei ut finis ultimi, et praecipue ex infirmitate oriatur) nullam malitiae infinitatem habet: ac deinde 2. si pro tali peccato homo justus non posset de condigno satisfacere, posset Deus *citra injustitiam* negare ipsi gloriam coelestem, et sic inutilis evaderet potestas, quam certe habet justus vere merendi et obtinendi beatitudinem.

Patrem intercederet ». Qui et alibi (orat. 3 contra Arianos, n. 33), « Nisi quae carnis propria sunt, Verbi esse dicerentur, ab his homo non penitus fuisset liberatus ». Huc quoque spectant verba *S. Hilarii* (in Matth., c. 16, n. 5 : cit. supra, n. 36), « Alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem ».

277. — **II.** Satisfactio pro peccato mortali ut sit condigna, debet esse infiniti valoris, quae scilicet infinitam offensae gravitatem perfecte adaequet ; atqui ipso nomine nulla creatura pura satisfactionis hujusmodi capax est ; ergo nulla creatura pura condignam satisfactionem pro peccato mortali Deo exhibere potest.

278. — **III.** Satisfactio et injuriae illatae compensatio perfecta et rigorosa non est, quae fundatur in favore et liberalitate personae laesae ; atqui satisfactio pro peccato a creatura ulla, etiam ab angelo, facta, fundatur in favore et liberalitate divina ; ergo nulla creatura pura potest stricte pro peccato mortali satisfacere.

Prob. Min. Ad perfectam satisfactionem conditio necessaria est, ut mediator sit gratus personae offensae ; atqui creatura pura quaevis, propter essentialem suam defectibilitatem, a sola liberalitate et gratia divina habet, ut a peccato immunis et Deo grata sit et servetur ; ergo satisfactio ejus in favore Dei fundatur. — Dicit Petavius, l. 2, c. 14, hanc fuisse « vulgatam Patrum rationem » : cf. ib., c. 12, nn. 6, sqq. : Stentrup, thes. 6. Utrumque argumentum attingit S. Thomas, 3, qu. 1, a. 2, ad 2.

279. — **Dices.** Qui Deo potest totum reddere quod per peccatum abstulit potest condigne satisfacere ; atqui homo purus per perfectae contritionis seu caritatis actum reddit Deo totum quod ipsi abstulit, nempe rationem finis ultimi ; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Qui Deo potest reddere totum quod per peccatum abstulit potest condigne satisfacere, si totum hoc reddat *per actum adaequantem gravitatem injuriae*, idque ex propriis et indebitis, *conc.* ; aliter, *nego.*

Contradist. Min. Homo purus perfecta caritate aut contritione reddit Deo rationem finis ultimi, per actum qui non adaequet gravitatem injuriae nec sit ex propriis et indebitis, *conc.* ; per actum adaequatum, et ex propriis et indebitis, *nego.* — Videlicet 1. homo perfecta caritate aut contritione reddit Deo id tantum quod jam pluribus titulis ipsi debitum est ; et in praesenti ordine nonnisi virtute meritorum et gratiae Christi. Sed praeterea 2. in nullo quocumque ordine ad condigne et ex justitia pro peccato mortali satisfaciendum aequivalens esset actus cujusvis creaturae purae, Deum ut finem ultimum agnoscentis : talis enim actus non praestaret Deo tantum honoris quantum per peccatum ipsi

ablatum est. Etenim dum ex una parte gravitas offensae, quae ex distantia inter Deum et creaturam desumitur, est infinita; ex altera parte valor satisfactionis, qui dijudicatur ex dignitate personae satisfacientis, semper quantumvis augeatur, manet finitus. Neque satisfactio *conjuncta plurium* creaturarum potest aequivalens esse: manet enim semper intrinsece finita creaturarum dignitas; quemadmodum magna summa argenti, licet quantitative quidem aequivalere possit nummo aureo, nunquam tamen specifice et qualitative. Res adhuc illustrare solet ex crimine laesae majestatis: ad hanc enim offensam reparandam minime sufficeret, ut vilis homo coronam quam regi per contemptum eripuerat, ipsi redderet, neque ut subditi loco statuae principis quam seditiose destruxerant, aliam erigerent. Cf. Billuart, d. 3, a. 2, § 2 (pp. 395, 396).

QUAESTIO TERTIA

UTRUM CHRISTUS REVERA PRO PECCATIS SATISFECERIT

280. — Praenotanda. — I. Christum pro nobis satisfecisse, negarunt, 1. Pelagiani, in quorum systemate, cum nullum admissum fuerit peccatum originale, nulla fuit redemptionis necessitas, sed quivis homo propriis viribus naturalibus potest ad beatitudinem pervenire (cf. de Deo Creatore, n. 173).

2. Idem docuit Abaelardus (supra, n. 262), ac postea Socinianí, qui tamen non recusant vocare Christum *a*) *Salvatorem* et Redemptorem, propter doctrinam ipsius excellentem et salutarem, *b*) *Mediatorem*, eo quod Dei nuntius fuit ad homines, ac vicissim precibus suis effecit ut Deus gratis nobis dimitteret peccata, imo *c*) fatentur ipsum *pro nobis mortuum* esse, non quidem tanquam victimam expiationis vicariam loco nostrî substitutam, sed quia in morte subeunda reliquit nobis exemplum utilissimum patientiae, abnegationis et constantiae. Cum Socinianis sentiunt plures ex sectis « dissidentibus », ac, post Ritschl, Harnack, Sabatier, etc., Protestantes « liberaliores ». Cf. Rivière, op. cit., c. 2.

3. Georgius Hermes (presbyter germanicus: m. 1831) Christi mortem fuisse quidem vere sufficientem ad homines redimendos admittebat; cum vero ex ejus sententia Deus ob peccatum minime iratus fuerit, sequebatur, Christum *de facto* non esse mortuum ad homines redimendos, sed tantum ad patefaciendum quam enorme sit peccatum, quidque Deus ab hominibus juste exigere potuisset in hypothesi (non reali) quod voluerit satisfactionem condignam. Cf. Perrone, nn. 603, 604.

4. Recentius adhuc Loisy, criticos rationalistas secutus, docuit (in libellis « L'Evangile et l'Eglise », pp. 136, sqq.; « Autour d'un petit livre », pp. 122, sqq.), doctrinam redemptionis christianae inveniri quidem in novo Testamento, saltem in scriptis S. Pauli et quarti Evangelistae, minime tamen fuisse traditam a Christo

ipso, quippe qui (per eum) beatam immortalitatem vitamque aeternam omnibus justis aut sincere poenitentibus tanquam debitum praemium nuntiavit, nullatenus vero tanquam effectum ipsius Christi mediationis et satisfactionis vicariae. Mortem ergo Christi veluti sacrificium ad totius humani generis in protoparente lapsi expianda peccata, primus juxta Loisy proposuit S. Paulus et inde effectum est, ut christianismus apparuerit ethnicis non ut mera secta judaica, sed ut religio prorsus universalis.

281. — II. Contra hos omnes errores fides catholica in omnibus fidei symbolis tradita, et totius christianae spei firmamentum, docet Christum vere et proprie pro nobis Deo satisfecisse. Ita expresse Concilium Ephesinum (can. 10: Denz. 82), « Obtulit semetipsum Christus pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri..... Qui dicit quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit), a. s. ». Et Concilium Tridentinum (sess. 4, decr. de pecc. orig., n. 3: Denz. 672), « Si quis hoc Adae peccatum..... per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio..... a. s. ». Ex quo etiam Concilio (sess. 6, c. 7: Denz. 681), Christus « sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et *pro nobis Deo Patri satisfecit* ». In Schemate quoque Concilii Vaticani paratus erat hic canon, « Si quis non confiteatur, ipsum Deum Verbum in assumpta carne patiendo et moriendo pro peccatis nostris Deo potuisse satisfacere, vere et proprie satisfecisse, nobisque gratiam et gloriam meruisse, anathema sit ». Decreto, « Lamentabili » damnata est haec (38) propositio Modernistarum, « Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina ».

282. — Propositio. Christus vere et proprie pro nobis vicarie satisfecit.

Prob. I. Ex Is. 52. 13-15; 53. 1-12, « Ecce intelliget servus meus..... Vulneratus est propter iniquitates nostras..... Oblatus est quia ipse voluit.... Justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit... » (1). — Si Christus poenas pec-

(1) Analysim seu paraphrasim insignis hujus loci, qui nonnunquam « Quintum Evangelium», nonnunquam « Passio D. N. J. C. Secundum Isaiam », vocatur, tradit Knabenbauer in loc. (pp. 285-286): Servus Domini aget sapienter et exaltabitur; uti populus, ita ipse quidem erit per aliquod tempus despectus, at gentes expiabit et ubique cum admiratione cognoscetur (52.13,15). Res annuntiatur creditu difficilis, in qua tamen potentia Dei revelatur: servus enim Domini apparet despectus, contemptus, doloribus oneratus ad omnium abominationem (53. 1-3). Nostras enim poenas in se suscepit: *propter nostras*

cato debitas vice hominum voluntarie exsolvit, sique Deus propterea peccata remisit, Christus vere et proprie pro nobis satisfecit; atqui haec omnia ex loco citato constant; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Hic agitur de Christo. — *Rationes extrinsecae:* *a*) Explicatio hujus prophetiae saepius in novo Testamento ut in Christo impletae: ita 1 Petr. 2. 22, sqq., « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus..... qui peccata nostra ipse pertulit..... cujus livore sanati estis..... » (cf. Matth. 8. 17, « Ipse infirmitates nostras accepit »: Marc. 15. 28, et Luc. 22. 37, « Et cum iniquis reputatus est »; Jo. 1. 29; praesertim vero Act. 8. 28-35, ubi S. Philippus eunucho reginae Ethiopiae totum locum de Christo exponit); *b*) interpretatio Patrum, v. g. Iren., Justini, Clementis Alex., Cypriani, Origenis, Theodoreti, Hieronymi (cit. apud Corluy, « Spicileg. », t. 2, p.86); *c*) sensus antiquae Synagogae, et omnium interpretum modernorum, etiam acatholicorum, exceptis rationalistis. — *Rationes intrinsecae:* Omnes notae hujus prophetiae (uti ortus humilis, multiplex afflictio, innocentia, condemnatio injusta, mors pro peccatis alienis cum iniquis subeunda, sepultura apud divitem, posteritas numerosa) *a*) Christo manifeste conveniunt (1); neque *b*) de ullo alio singulari homine, v. g. Davide, Moyse, vel de ulla collectione hominum, v. g. de populo judaico, apte explicari possunt.

2. Solvit poenas peccato debitas. — Nam « vulneratus est propter iniquitates » (53. 5), « posuit in eo [Deus] iniquitatem » (6), « propter scelus percussi eum » (8), etc.

3. Solvit poenas vice hominum. — Etenim *a*) Nullum proprium peccatum habuit: « eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus », « justificabit ipse justus servus meus » (9. 11);

iniquitates afflictus est; nostrae salutis causa vulneratus est, nostram tulit impietatem (53. 4-6). Summa patientia haec in se suscepit; injusto judicio aequales ejus eum condemnaverunt; apud impios [latrones: vel milites custodes] ei sepulchrum constituerunt; at post mortem, divitis [Josephi ab Arimathaea] nactus est sepulchrum, ut jam inde ejus innotescat innocentia (53.7-9). Ex Domini consilio factum est ut affligeretur; sed quia *vitam suam posuit sacrificium pro peccato,* habebit posteritatem perennem et opus Domini gloriose perficiet, ipse beatus erit multosque vera donabit justitia. Quia cum sceleratis reputatus est et *in mortem ad alios expiandos traditus* pro transgressoribus rogavit, praedam aget plurimam et insignem (53. 10-12).

(1) « Sicut surculus e terra arida succrevit [Dei servus], *humili* scilicet *loco ortus,* mirum in modum *afflictus* et opprobriis affectus est atque *iniquo judicio oppressus* e vivis sublatus est. A Deo percussus non ob propria peccata sed *ob peccata aliorum,* ut per mortem suam peccatoribus, id est, nobis omnibus justitiam et pacem cum Deo procuraret. Quae opprobria, *plagas et mortem pro nobis subiit sponte. Cum sceleratis morte affectus, divitum sepultura donatus est.* Post mortem demum longaevus effectus *florentissima posteritate fruitur* et potentes humili obsequio sibi subjectos habet. Quae omnia in Jesu Nazareno fuisse impleta ex ejus historia patet ». Corluy, l. c. Cf. Knabenbauer, pp. 326. 327.

b) declaratur explicite, « vulneratus [hebr., « confossus »] est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae [i. e. castigatio quae nobis pacem cum Deo afferet] super eum et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus..... et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum » (5, 6).

4. Voluntarie exsolvit. — *a*) Nullum proprium peccatum habuit. — *b*) Merces describitur (« videbit semen longaevum..... pro eo quod laboraverit anima ejus videbit et saturabitur » : vv. 10, 11); at ubi merces ibi est libertas et voluntas. — *c*) Explicite declaratur, « Oblatus est quia ipse voluit » (v. 7).

5. Deus propterea dimisit peccata hominum. — *a*) Acceptatione antecedente in ipsa Christi missione et incarnatione (« Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum » : v. 6). — *b*) De facto « Disciplina pacis nostrae super eum et livore ejus sanati sumus » (v. 5); « In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit » (v. 11).

283. — **II.** Ille vere ac proprie pro nobis satisfecit, qui pretio sanguinis sui nos redemit a peccatis nostris, sicut auro et argento emuntur res temporales et venales. Atqui ita de Christo docet Novum Testamentum. Sic praesertim *S. Paulus*, uti Rom. 3. 24, 25, « Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem (διὰτῆς ἀπολυτρώσεως), quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae »; 1 Cor. 6. 20, « Empti enim estis (ἠγοράσθητε) pretio magno »; Ephes. 1. 7, « In quo [Filio Dei] habemus redemptionem (ἀπολύτρωσιν) per sanguinem ejus, remissionem peccatorum »; 1 Tim. 2. 6, « Qui dedit redemptionem (ἀντίλυτρον) semetipsum pro omnibus », Tit. 2. 14, « Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret (λυτρώσηται) ab omni iniquitate ». Similiter *S. Petrus*, 1 Epist. 1. 18, 19, « Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis (λυθρώθητε) sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi ». Ac *S. Joannes*, Apoc. 5. 9, exhibet « viginti quatuor seniores » cantantes Agno (quod nomen tribuitur Christo ibidem, 7. 14; 12. 11; 22. 14, et in Evangelio, 1. 29, 36), « Occisus es, et redemisti (ἠγόρασας) nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione ». Item apud *Synopticos* ipse Christus dicit (Marc. 10. 45; Matth. 20. 28), « Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis (λύτρον ἀντὶ πολλῶν)», quae verba ut primitiva et genuina Christi dicta agnoscunt plures critici acatholici, uti Weiss et Harnack. Et in ultima coena significavit Christus (Matth. 26. 26-28; Marc. 14. 22-24; Luc. 22. 19, 20; 1 Cor. 11. 23-25),

cum allusione manifesta ad sacrificium veteris Testamenti (Exod. 24. 5, sqq.), corpus suum tradi et sanguinem suum fudi ad hominum peccata remittenda. Ergo.

284. — **III.** Qui obtulit Deo sacrificium quo peccata nostra deleta sunt, vere pro nobis satisfecit satisfactione vicaria; atqui Christus novae Legis sacerdos obtulit Deo sacrificium quo peccata hominum deleta sunt; ergo.

Prob. Min. — 1. Christum obtulisse sacrificium, constat (ut postea n. 313, dicetur) praecipue ex epistola ad Hebraeos, ubi per plura declaratur sacerdotii Christi super sacerdotium et sacrificium aaronica excellentia; haec autem sacrificia vera erant; ergo et sacrificium Christi.

2. Hoc sacrificio Christi peccata nostra vere deleta esse, sequitur ex virtute et efficacia ipsius prae sacrificiis veteribus, quam declarat S. Paulus praecipue in epistola ad Hebraos: ita v. g. (10. 11-14), « Et omnis quidem sacerdos [V. T.] praesto est quotidie ministrans et easdem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata; hic autem, *unam pro peccatis offerens hostiam*..... una enim oblatione *consummavit in aeternum sanctificatos* ». — Idem constat ex iis locis ubi vocabulo sacrificali ἱλασμός (1 Jo. 2. 2; 4. 10) aut ἱλαστήριος (Rom. 3. 25) Christus dicitur *propitiatio pro peccatis*.

285. — **IV.** Dicitur Christus in Scriptura sanguinem fudisse, aut mortuus esse pro multis (Matth. 20. 28; 26. 28), pro omnibus (2 Cor. 5. 14, sqq.; 1 Tim. 2. 6), pro impiis (Rom. 5. 6), pro nobis (1 Thess. 5. 10): item factum esse peccatum (2 Cor. 5. 21) et maledictum (Gal. 3. 13) pro nobis; atque his locutionibus (utrum in graeco habeatur particula ὑπέρ vel ἀντί) *vicariam Christi satisfactionem* significari, et non meram exhibitionem exempli virtutum patientiae, obedientiae, etc., constat ex iis locis, ubi idem ipse sanguis dicitur pretium aut redemptio nostra (Ephes. 1. 7; Coloss. 1. 14; 1 Petr. 1. 19; Apoc. 5. 9), aut reconciliatio et pacificatio cum Deo (Coloss. 1. 20; Eph. 2. 13, sqq.), justificatio (Rom. 5. 93), peccatorum remissio (Matth. 20. 28), emundatio (1 Jo. 1. 7), lotio (Apoc. 1. 5), etc.; ergo Christus vere pro peccatis nostris satisfecit. — Alia Scripturae argumenta exhibet Legrand, diss. 8, c. 2.

286. — **V.** Ex Patribus antiquioribus, quorum doctrinam expendit Rivière (« Dogme de la Rédempt. », cc. 7, sqq.), dicit *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 7. 4), « Sanguinem Christi intentis oculis intueamur et cognoscamus, quam pretiosus Deo sit Patri ejus, qui propter nostram salutem effusus toti mundo poenitentiae gratiam obtulit ». Item (12. 7) in funiculo coccineo appenso in fenestra

Rahab (Jos. 2. 18, 21) declaratum dicit S. Clemens, « per sanguinem Domini redemptionem (λύτρωσις) fore omnibus, qui credunt et sperant in Deum ». Et ex *S. Ignatio* (Ephes. 1. 1), fideles sunt « ad vitam revocati per sanguinem Dei », salvatoris nostri, cujus caro (Smyrn. 7. 1) « pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua suscitavit ». Item ex *S. Polycarpo*, Christus « pro peccatis nostris usque ad mortem devenire sustinuit » (ad Philipp. 1. 2; cf. 8. 1), atque « pro salute omnium, qui in toto mundo salvi fient, passus est inculpatus pro peccatoribus » (Martyrium S. Polycarpi, 17, 2). In epistola quoque ad Diognetum (9. 2) dicitur Deus dedisse « proprium ipse Filium pretium redemptionis pro nobis, sanctum pro iniquis ». Etiam *S. Justinus M.* (dial. cum Tryph. c. 134), « Servitutem Christus etiam usque ad crucem pro variis ex omni genere et multiformibus hominibus servivit, sanguine suo et mysterio crucis eos acquirens ». Scribit *S. Irenaeus* (l. 5, c. 14, n. 3), « Reconciliavit Dominus hominem Deo Patri; reconcilians nos sibi per corpus carnis suae, et sanguine suo redimens nos ». Cf. Ibid., c. 1, n. 1 (cit. supra, n. 19).

Postea *S. Athanasius* (contra Apollinarium, l. 1, n. 17), « Corpus pro corpore, et animam pro anima dedit, ac perfectam subsistentiam pro toto homine. Haec est Christi commutatio ». Item *S. Gregorius Naz.* (orat. 45, n. 29), « Nullum cum salutis meae miraculo conferendum est; in quo exiguae cruoris guttae orbem universum instaurarunt »; ex quo etiam (orat. 30, n. 20), Christus « nos a peccato detentos in libertatem asserit, seseque pro nobis, ut orbis terrarum expietur, liberationis pretium dat ». Et *S. Basilius* (hom. in Ps. 48, n. 4), « Unum inventum est, pro omnibus simul hominibus sufficientissimum, quod in pretium redemptionis animae nostrae datum est, sanctus ille ac pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit: quamobrem pretio etiam empti sumus ». Similiter *S. Cyrillus Alex.* (de recta fide ad reginas: M. 76. 1291), « Si ut homo vulgaris habeatur [Christus], quomodo illius sanguis vitae omnium aestimationem ad dignitatem exaequat? Si autem Deus erat in carne, qui undequaque dignissimus est, sane cumulatissimum per illius sanguinem pretium pro totius mundi salute impensum est ». Praetermissis ceteris, ex Latinis dicit *S. Augustinus* (tr. 120 in Jo., n. 2), « ille sanguis [Christi] in remissionem fusus est peccatorum..... O mors unde mortui reviviscunt. Quid isto sanguine mundius? quid vulnere isto salubrius? » Et (enarr. in Ps. 95, n. 5), « Venit Redemptor et dedit pretium; fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum..... Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? quid, nisi omnes gentes? ».

Solvuntur Objectiones

287. — Obj. 1. Deus juxta Scripturam (Rom. 3. 24, « Justificati gratis »; cf. Ephes. 2. 8; Coloss. 2. 13), gratis nobis peccata remittit; atqui gratuitae remissioni prorsus opponitur satisfactio; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Deus gratis remittit respectu hominis, *conc.;* respectu Christi, *nego.*

Contradist. Min. Gratuitae remissioni opponitur satisfactio, si eadem sit persona quae satisfacit et cui gratuita condonatio fit, *conc.;* si diversae sint personae, *nego.*

Inst. 1. Non habetur gratuita remissio, si etiam a persona distincta ab ea cui fit remissio, totum debitum solvitur; atqui in nostra doctrina Christus propter infinita ejus merita totum debitum solvit; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* In debitis realibus, *conc.* (in his enim, facta a quocumque restitutione rerum in pristinum statum, cessat injustitia et fit reparatio plena); in debitis personalibus, *subd.:* non est gratuita remissio respectu intrinseci valoris ipsius operis satisfactorii, *conc.;* respectu acceptationis istius operis ex sponsore, *nego:* exigi enim potuisset ab ipso debitore personaliter. Cf. Lugo, d. 4, n. 18.

Inst. 2. Ut debitum etiam personale dicatur gratis remitti, requiritur ut creditor nihil exigat; atqui Deus totum debitum exegit; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Requiritur, ut nihil exigat a sponsore, *nego;* ab ipso debitore, *subd.:* nihil quod sit satisfactio vel solutio proprie dicta, *conc.;* quod sit conditio ad sponsoris satisfactionem acceptandam, aut debitori applicandam, *nego.*

288. — Obj. 2. Ut diceretur Christus pro peccatis hominum satisfecisse debuisset tot mortes obire quot homines sunt, omnesque poenas temporales et aeternas luere; atqui hoc non praestitit Christus; ergo nec vere satisfecit.

Resp. *Dist. Maj.* Ita dicendum, si Christi mors omnibus poenis peccato debitis aequivalens non esset, *conc.;* si, ut res se habuit, una illa mors ob infinitam Redemptoris dignitatem, poenis omnibus non tantum aequivalens fuit, sed longe eas supergressa est, *nego.*

Inst. 1. Si Christus vere et proprie pro nobis satisfecit, nulla superest satisfactio a nobis ipsis praestanda; atqui hoc falsum; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Nulla facienda superest satisfactio proprie dicta (quae scilicet offensam perfecte adaequet et eam de facto reparet), *conc.;* improprie dicta (quae scilicet sit conditio ut satisfactio universalis et infinita nobis in particulari applicetur), *nego.* — Ad exstinguendum videlicet debitum personale et injuriam reparandam, non sufficit ut fideijussor seu sponsor pretium aut satisfactionem omnino et perfecte aequivalentem exhibeat: ex rigore enim justitiae, 1. ipsius laedentis aut satisfactionem aequivalentem aut poenam adhuc exigere potest creditor; vel etiam 2. vicariam sponsoris satisfactionem accipere potest nonnisi sub conditione, ut ad reconciliationem ipse debitor quaedam ponat opera, non quidem ut in se sufficientia ad injuriae reparationem, sed ut indicia bonae voluntatis.

Inst. 2. Si Christus vere pro nobis satisfecit, omnes certo salvi fient et nihil curandum est de propria salute; atqui hoc falsum; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Si Christus satisfecit pro nobis absolute et quoad efficaciam in actu secundo, nihil curandum est de salute, *conc.;* si satisfecit quoad sufficientiam et conditionate, dependenter scilicet a nostra cooperatione, *nego.*

289. — Obj. 3. Contra aequitatem est, *a*) ut innocens pro reo puniatur, idque *b*) prohibitum est omnium gentium legibus (v. g. Atheniensium, et Romanorum), imo et ipsa lege divina (Deut. 24. 16); atqui hoc a Deo factum est in nostra doctrina; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* — Ad *a*) Si innocens non fuerit sponsor pro reo, *conc.;* si libenter sponsoris vices assumpsit, *nego.* — Ad *b*) Vetant leges, hanc substitutionem fieri humana auctoritate, *transeat;* divina auctoritate, *nego:* sic enim ob peccatum Cham punitus est Chanaan (Gen. 9. 25), et ob peccatum Davidis septuaginta millia virorum mortui sunt (2 Reg. 24. 15).

Contradist. Min. In nostra doctrina, innocens Christus qui secundus Adam fuit et Caput humani generis, vices sponsoris pro hominibus libere assumpsit, satisfactionemque sufficientem ad omnia peccata expianda Deo voluntarie exsolvit, *conc.;* contra voluntatem ad poenas subeundas tanquam vere reus coactus est, *nego.* Christus videlicet, ut ait S. Gregorius M. (hom. 39 in Evang., n. 8), « pro nobis sine debito mortis debitum solvit, ut nos ideo sub jure hostis nostri debita nostra non teneant, quia pro nobis mediator Dei et hominum homo Christus Jesus gratuito reddidit quod non debebat ».

QUAESTIO QUARTA

UTRUM CHRISTUS PERFECTE PRO PECCATIS SATISFECERIT

290. — **Status quaestionis.** — I. Jam vidimus, juxta fidem catholicam, Christum pro peccatis hominum *vere* satisfecisse et pretium obtulisse offensae illatae aequivalens, quod scilicet, propter ipsius Christi infinitam dignitatem, reatui *culpae* (moraliter infinitae in singulis peccatis mortalibus) perfecte aequivaleat, ac reatum poenae debitae (diversae pro diversis peccatis) perfecte compenset.

Praeterea tenent theologi communiter, Christi satisfactionem fuisse non tantum perfecte condignam, sed et *superabundantem*, non quidem in sensu Novatorum dicentium satisfactionem Christi excludere omnem hominum satisfactionem et bona opera universim, sed eo sensu quod sufficiens fuit ad expiationem « non tantum omnium peccatorum hominum quae commissa fuerunt, vel de facto committentur, sed etiam pro remittendis illis omnibus quae *possent* committi » (Ysambert, d. 5, a. 6): et ideo in sententia plurimorum satisfactio Christi dicitur vere et simpliciter *infinita*, non sane physice sed moraliter. Aliis verbis, haec satisfactio tantae est dignitatis, ut debitam pro quavis gravitate et quovis numero injuriarum compensationem semper excedat (cf. Franzelin, Praenot. IV, p. 480; Strentrup. thes. 10). Hoc tamen negant Scotistae, quia, inquiunt, omnia peccata hominum etiam futura, sunt finita, et Deus non acceptavit merita Christi nisi pro iis, quae futura erant.

291. — II. Superabundantiam satisfactionis Christi, quam plures auctores (v. g. Holzclau, n. 468; Coninck, disp. 3, dub. 7, n. 143) notant de fide tenendam esse, declarant 1. Scripturae, Rom. 5. 15, sqq., « Non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, *multo magis* gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit..... Ubi autem abundavit delictum, *superabundavit* gratia »; Jo. 10. 10, « Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant ».

Ita 2. et Patres, uti *S. Cyrillus Hieros.* (cat. 13, n. 33), « Non minimi pretii erat qui pro nobis moriebatur : non erat ovis sensibilis : non erat nudus homo : non erat solummodo angelus, sed Deus inhumanatus. Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta ejus qui nostra gratia moriebatur justitia : non tantum peccavimus, quantum ille justitia excelluit qui pro nobis animam posuit : qui posuit quando voluit, et iterum sumpsit quando voluit ». Et *S. Joannes Chrys.* (hom. 10 in Rom., n. 2), « Longe plura quam debebamus, persolvit Christus, et tanto plura, quanto immensum pelagus ad stillam aquae collatum majus est ». Item *S. Leo M.* (serm. 64, de Pass. 12, c. 3), « Effusio pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nulla tyrannica vincula retinerent..... Validius donum factum est libertatis quam debitum servitutis ». Postea *S. Anselmus* (cur Deus homo, l. 2, c. 21), « Peccatori tormentis aeternis damnato, et unde se redimat non habenti, Deus Pater dicit : Accipe Unigenitum meum et da pro te ; et ipse Filius : Tolle me, et redime te..... Datur pretium majus omni debito ».

3. Idem colligitur ex Clemente VI (extrav. comm., l. 5, t. 9, c. 2), « In ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse ». — Dicit Lessius (« de Summo Bono », l. 4, c. 3), « meritum Christi esse infinities majus quam sit gravitas peccatorum totius mundi : omniaque omnium hominum peccata ad misericordiam Dei et meritum Christi, esse instar guttae aquae ad immensum ignem ».

292. — III. Admissa tamen hac condignitate et superabundantia satisfactionis Christi, duplex adhuc viget disputatio inter Catholicos : 1. utrum valorem hunc qualemcumque habuerit satisfactio Christi tantum ab extrinseco, idest ex Dei acceptatione (quod docent Scotistae), an vero *ab intrinseco* (quod tenent reliqui theologi) ; 2. utrum haec Christi satisfactio (quae, ut dicit Lugo, d. 3, n. 141, « si quantitatem et valorem respicias non solum condignum pretium est, sed excedens, et superabundans ; et ex hoc capite fuit juxta imo et supra rigorem justitiae punitivae ») ejusmodi sit, ut *dici* possit satisfactio ex perfecta et *stricta justitia*. Hinc duplex caput.

CAPUT PRIMUM

De Satisfactionis Christi Valore Intrinseco

293. — **Praenotanda.** — I. Valor satisfactorius, seu dignitas moralis ac proportio operis et obsequii cum injuria illata, spectari potest in actu vel primo vel secundo. Valor *in actu primo* nondum est formaliter satisfactio, sed est aptitudo ad satisfaciendum, quae non oritur nec augetur in acceptatione, sed acceptationi supponitur. Satisfactoria autem *in actu secundo* est actio non tantum ex dignitate et aptitudine sua, sed quatenus ad satisfaciendum ordinatur et actu acceptatur. Quod illustrari potest exemplo illius cui committuntur decem aurei ad debitum istius quantitatis solvendum: ista videlicet pecunia in se et ante omnem solutionem aequivalet debito, seu valorem et aptitudinem habet in actu primo ad satisfaciendum; satisfactio autem in actu secundo non habetur donec pecunia a creditore acceptatur.

Cum, fatentibus omnibus catholicis, opera Christi satisfactoria fuerint in actu secundo, hic inquiritur tantum de eorum valore *in actu primo;* seu quaeritur, utrum ista opera in se, praescindendo ab eorum oblatione et ordinatione ad satisfactionem ex parte Christi et acceptatione ex parte Patris, habuerint valorem infinitum intrinsecum.

294. — II. Sed adhuc in opere satisfactorio Christi (v. g. in oblatione sui ipsius in cruce) considerari potest: 1. valor *essentialis* seu objectivus, qui desumitur ex ipsius operis materia et ex fine ejus intrinseco ad quem ex sua natura tendit (sicut eleemosyna tendit ad sublevationem pauperis), et hic dicitur valor essentialis, quia in actione humana etiam pure naturali invenitur; 2. valor *accidentalis*, qui oritur ex statu gratiae sanctificantis: et dicitur accidentalis quia sine ipso haberi potest actio humana; 3. valor *substantialis* seu personalis, qui ex dignitate personae satisfacientis petitur: et hic est iterum duplex, *a) radicalis* seu fundamentalis, qui oritur ab ipsa Christi persona quatenus est pretium et victima seu res ab ipso oblata, *b) derivatus*, qui oritur ab ipsa personalitate Christi offerentis, quatenus est *circumstantia* quae dignitatem actioni confert.

295. — III. Ad condignitatem et superabundantiam satisfactionis Christi in actu primo constituendam nedum valor *essentialis* aut *accidentalis* (quippe qui in opere purae creaturae inveniri potest), sed nec valor *radicalis* sufficit: nam, ut notat Lugo (d. 6,

n. 2) cum Suarez (d. 4, s. 4, n. 29), oblatio qua B. Virgo obtulit Filium suum aeterno Patri non habebat valorem sufficientem ad salutem nostram. Quaestio ergo tantum est, utrum condignus et superabundans fuerit in actu primo valor *derivatus* operum Christi, idest valor quem inde habent, quod divina persona eorum sit auctor.

His operibus non inesse ab intrinseco et ratione suppositi divini valorem aequivalentem, sed tantum ab extrinseca acceptatione Dei, docent Scotistae, qui consequenter inferunt, quod attinet justitiae aequalitatem, tantum valoris potuisse esse in operibus puri hominis ad satisfaciendum pro peccatis humani generis, quantum fuit in operibus Christi, cum potuerit Deus illa opera ad eundem effectum ordinare et acceptare. Attamen fatentur Scotistae aliqui (v. g. Mastrius) opera Christi ratione suppositi divini maximum habere valorem a meritq purae creaturae inadaequabilem, ratione cujus *congruum* erat, ut a Deo acceptarentur ad satisfaciendum. — Communis autem theologorum sententia docet, Christi satisfactionem non ex divina acceptatione, sed ex proprio valore aequalem et superabundantem fuisse; et contraria sententia juxta Suarez (d. 4, s. 3, n. 11), nec probabilis nec pia, nec fidei satis consentanea videtur.

296. — Propositio. Christi satisfactio ex proprio intrinseco valore aequivalens et superabundans fuit.

Prob. I. S. Paulus, ut ostendat necessitatem satisfactionis Christi, dicit Hebr. 10. 4, « Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata »; atqui haec argumentatio falsa esset, si satisfactio Christi non foret aequivalens in actu primo, sed unice ex liberali acceptatione Dei: acceptatio enim illa supplere potuisset etiam indignitatem sacrificiorum Legis veteris; ergo Christi satisfactio erat aequivalens in actu primo independenter a divina acceptatione. — Quod et innuitur in iis Scripturae locis (supra, nn. 284, 285) ubi Christi mors seu sanguis dicitur redemptionis nostrae *pretium*, et comparatur *auro et argento*: pretium enim ejusmodi antecedenter ad acceptationem valorem habet determinatum.

297. — II. Ex communi theologorum sententia, post plures Patres, necessaria erat incarnatio in aliqua reparationis hypothesi (scilicet, ut dictum est supra, n. 276, in hypothesi reparationis hominum per *condignae* satisfactionis exhibitionem); atqui si merita purae creaturae per Dei ordinationem et acceptationem aequarent valorem satisfactorium operum Christi, ut volunt Scotistae, incarnatio in nulla omnino hypothesi necessaria esset; ergo Christi satisfactio ab intrinseco aequivalens fuit. — Hoc suadet quoque

communis hominum sensus, qui valorem reparationis pro honore laeso ex satisfacientis dignitate aestimare solent.

298. — **Dices.** Christus satisfecit per actiones humanas; atqui actiones humanae sunt finitae; ergo Christi satisfactio non fuit aequivalens.

Resp. *Dist. Maj.* Satisfecit Christus per actiones, quae elicitae fuerunt viribus humanae naturae ut principii *quo*, *conc.;* quae fuerunt actiones meri hominis ut principii *quod*, *nego.*

Dist. Min. Actiones humanae Christi sunt finitae entitative, *conc.;* moraliter, spectata dignitate personae operantis, *nego.*

Inst. Si ex dignitate personae Christi actiones ejus habeant valorem infinitum, *a*) unaquaeque earum omnes adaequat, et *b*) superflua fuit totius sanguinis effusio in passione et morte; atqui haec repugnant; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* — Ad *a*) Unaquaeque adaequat omnes valore derivato in actu primo et quoad aptitudinem intrinsecam ad satisfaciendum, *conc.;* in actu secundo, aut quoad bonitatem et valorem essentialem, *nego.* — Ad *b*) Superflua fuit totius sanguinis effusio relate ad vim satisfactoriam, quam fatemur superabundantem, *conc.;* relate ad alios fines, *nego.* Inservit enim mors ista crudelissima 1. ad ostendendam supremam Christi caritatem (cf. Jo. 15. 13) et 2. peccati gravitatem; deinde 3. ad magis commendandam misericordem peccati remissionem; ac demum 4. ad mortificationis, patentiae, etc., exemplum proponendum. Cf. Suarez, l. c., n. 44.

299. — **Obs. de satisfactione Christi in sola morte consummata.** — Opera Christi quamvis in actu primo et in se sint *singula* valoris infiniti et proinde potuissent singula esse pretium adaequatum redemptionis, tamen in actu secundo non sunt satisfactoria nisi ex Christi directione ad satisfactionem et ex Dei acceptatione in eundem finem. Ex Scripturae autem doctrina, Christus obtulit seipsum ita, ut satisfactio et meritum et redemptio non quibusvis operibus sed per mortem tandem in cruce *consummaretur;* hancque oblationem Deus ratam habuit et acceptavit. « Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium », Hebr. 2. 14; Venit Filius hominis, « dare animam suam redemptionem (λύτρον) pro multis », Matth. 20. 28. — Cf. Franzelin, Praenot. VI.

CAPUT SECUNDUM

De Satisfactione Christi ex Perfecta Justitia

300. — **Praenotanda.** — I. Ex dictis, satisfactio Christi fuit ab intrinseco aequivalens ac superabundans etiam in actu primo, et eatenus dici potest *ex rigore juris* seu *ex justitia* latius dicta (ut fatetur Vasquez, d. 7, c. 5, nn. 36, sqq.; d. 8, c. 3, nn. 32, sqq.). Sed quaestio est, utrum ex *perfecta* aut *stricta justitia proprie dicta* fuerit, ita ut supposita saltem Dei promissione sub conditione operis a Christo praestiti (ut censet Stentrup, thes. 11. post Suarez et alios), et supposita illius operis actuali positione, Deus deinde ob eam satisfactionem peccata hominum non ex mera liberalitate respectu Christi, sed ex obligatione justitiae remiserit. Hoc postremum negant aliqui theologi, vel 1. quia putant *universim*, rigorosam aut perfectam justitiam non posse habere locum in satisfactione coram Deo, vel 2. quia censent in satisfactione Christi nominatim *deesse aliquas conditiones*, quae ad satisfactionem ex stricta justitia proprie dicta requirantur.

301. — II. Universim cadere posse obligationem justitiae proprie dictae in Deum, ideo negant aliqui auctores, 1. quia ex ipsorum sententia *dedecet Deum* obligari erga alium, 2. quia homines, sicut et reliquae creaturae, in omnibus tam intime a Deo pendere videntur, ut non magis possint habere *jura respectu Dei* quam filius familias posset esse proprietarius respectu patris vel servus respectu heri.

Sed breviter responderi potest (ex Franzelin, thes. 47, n. II, pp. 502, sqq.): 1. Deus promissum praemium debet quidem rependere creaturae quae conditiones impositas impleverit: hoc autem *debet Deus sibi*, seu divinae *suae fidelitati*, quemadmodum cum decreverit mysteria homini revelare, debet sibi, idest suae divinae veracitati, ut non revelet nisi vera. Proinde in hypothesi revelationis, creatura habet jus ut vera revelentur: jus enim est id, cujus negatio esset nefas. Si autem creatura hujusmodi jus habere potest, intercedit justitia eam inter et Deum, cum justitia sit virtus inclinans voluntatem ad uniuscujusque jus illaesum servandum.

2. Ad alterum argumentum, negandum est assumptum, nempe filios et servos *non habere jura;* ad jura enim, si non circa bona externa, saltem quoad propriorum actuum dominium, sufficit di-

stinctio personarum. Ac creaturae sane malis actibus justam merentur poenam : proinde bonis pariter actibus justam mereri possunt mercedem apud Deum. — Ergo universim non repugnat, Deum inter et hominem justitiam intercedere.

302. — III. Christum ipsum nominatim ex vera justitia satisfecisse, « magis consentaneum est modo loquendi Scripturae et Patrum », ait Suarez, d. 4, s. 6, n. 3. Hanc quoque doctrinam plures tenent theologi, v. g. praeter Suarez, Vega, Valentia, Stentrup, et Thomistae communiter, negantibus aliis, ut Vasquez, Lessio, Molina, Lugo.

1. In Scriptura hoc suadetur Rom. 3. 25, « Quem proposuit Deus propitiationem... ad ostensionem justitiae suae ». Idipsum (ait Ysambert, d. 6, a. 12) ostenditur, « ex aliis Scripturae locis quibus *sanguis Christi* pro nobis effusus vocatur *pretium*, et ipsa ejus satisfactio vocatur *emptio*, et his similibus nominibus : nam actus verae et strictae justitiae exprimitur istis terminis : 1 Cor. 6. 20, « Empti estis pretio magno », quod et quantum sit S. Petrus explicat (1 Epist. 1. 18, 19), « non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi ». Unde occasione satisfactionis Christi dicimur *servi* ejus *emptitii*, et non esse *juris nostri* (1 Cor. 6. 19), item ex eo quod Christus Dominus (Coloss. 2. 14) dicitur *delevisse chirographum quod erat adversus nos, et illud cruci affixisse* ».

2. Ex Patribus, dicit S. Proclus (hom. de Christi nativ.), « Necessarium erat, ut ejusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad amussim justitiae exaequaret ». Ita et S. Cyrill. Alex. (epist. 50 ad Valer : M. 77. 263), « Unius mortem secundum carnem justum pro omnium hominum vita pretium fuisse rectissime asserimus ». Qui et alibi (de ador. in spir. et ver., l. 3 : M. 68. 244), « Unus pro omnibus mortuus est, qui pro universis justum pretium erat ; et animam suam permutationem pro nostra dedit ». S. Augustinus quoque (enarr. in Ps. 147, n. 16), « Vide commercium emptionis nostrae. Christus pendet in ligno : vide quanto emit, et sic videbis quid emit..... Sanguinem fudit, sanguine suo emit, sanguine Agni immaculati emit, sanguine unici Filii Dei emit ». Huc spectant testimonia S. Joannis Chrysostomi et aliorum Patrum supra citata (n. 291).

303. — IV. Cum res, seu potius *modus loquendi*, ex inspectione conditionum quae ad perfectam justitiam requiruntur, maxime dijudicetur, distincte videndum est, utrum singulae istae in satisfactione Christi adfuerint. Satis constat, neque hîc in dubium vocatur, Christi satisfactionem fuisse *voluntariam*, *aequivalentem*, et *ad compensandam injuriam* per peccatum illatam. Praecipue

inquiritur, utrum fuerit 1. ex propriis, 2. ex alias indebitis, 3. ad alterum. — Non censentur communiter necessariae quaedam aliae conditiones quas aliqui requirunt, quaeque in praesenti negligi possunt, v. g. ut satisfactio sit ab eadem persona quae offendit; ut talis sit, quae creditorem, etiam citra promissionem factam, ad illam acceptandam obliget. Cf. Suarez, l. c., n. 1.

Art. 1. — An satisfactio Christi fuerit ex propriis

304. — **Praenotandum.** — Conditio « ex propriis » quae ad satisfactionem etiam simpliciter *condignam* requiritur, significat, opus, quo fit satisfactio, esse sub libero satisfacientis dominio: et insuper, si agatur de satisfactione *rigorosa*, actionem satisfactoriam nullatenus fundari in gratia vel favore personae laesae.

305. — **Propositio. Christus satisfecit ex propriis.**

Prob. Ratio negandi Christi satisfactionem esse ex propriis, foret vel quia actio satisfactoria non esset *sub dominio proprio* solius Christi, vel quia ipsius satisfactio, sicut omnis nostra, fundata esset in aliqua *gratia* aut favore; atqui neutrum dici potest; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Actio satisfactoria Christi dominio proprio ipsius subest. Actio Christi quatenus est satisfactoria procedit *ab ipsa persona Verbi* ut terminante humanitatem: inde enim dignitatem infinitam habet; atqui actio quae procedit a Verbo etiam ut subsistente in humanitate, alterius dominio non subest: ac praeterea jam (n. 223) asserta est libertas ipsius humanae voluntatis Christi in morte subeunda; ergo.

2. Christi satisfactio non fundatur in aliqua gratia. Is qui satisfacit (principium *quod*) et ex cujus personalitate valor infinitus satisfactionis derivatur, non est ipsa natura humana, sed est ipsum Verbum, humanitas vero, cujus functionibus Verbum satisfacit est tantum principium *quo;* atqui Verbo divino nulla gratia fieri potest; ergo.

Dices. Satisfactio non est ex propriis, quae fit ex gratia; atqui satisfactio Christi fundata est in gratia unionis; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Et haec est gratia naturae humanae collata, et conditio ut persona divina satisfacere *possit*, *conc.;* est gratia facta *personae divinae* Verbi, ex cujus dignitate derivatur valor infinitae satisfactionis, *nego.*

ART. 2. — AN SATISFACTIO CHRISTI FUERIT EX ALIAS INDEBITIS

306. — **Praenotandum.** — Ratio dubitandi de conditione « ex alias indebitis », est quia omnia opera Christi hominis jam Deo aliis titulis, v. g. gratitudinis, obedientiae, debita viderentur. Negant vero plures auctores universim, hanc conditionem requiri, eo quod possit quis unico actu pluribus titulis (v. g. uno jejunio voto jejunandi et legi ecclesiasticae concurrenti) simul satisfacere. — Sed, quidquid sit de operibus finiti valoris, de Christi satisfactione statuenda est

307. — **Propositio. Satisfactio Christi fuit ex alias indebitis.** **Prob.** Ad rigorem justitiae sufficit, quod bona non sint debita ex illa parte ex qua sumitur valor satisfactorius; atqui valor satisfactorius satisfactionis Christi derivatur ex ipso supposito divino, quod nihil alteri debet; ergo. — Adde, valorem operum Christi, propter dignitatem personae operantis esse infinitum, ac proinde titulis quibuscumque aequivalere. Cf. Franzelin, l. c., p. 509.

308. — **Dices.** Quidquid creatum est, debetur Deo pluribus titulis (gratitudinis, religionis, etc.); atqui actiones satisfactoriae Christi creatae erant; ergo non erant ex alias indebitis.

Resp. *Dist. Min.* Actiones istae quoad entitatem physicam, creatae erant, *conc.;* quoad valorem satisfactorium, *subd.:* valor earum essentialis et accidentalis erant res creatae *conc.;* valor earum derivatus, seu dignitas suppositi agentis, erat res creata, *nego.*

Inst. Valor satisfactorius operum Christi pendet ex unione hypostatica; atqui unio ista a Deo effecta est; ergo valor operum Christi jam debitus erat Deo.

Resp. *Dist. Maj.* Valor satisfactorius operum Christi pendet ex unione hypostatica ut conditione praerequisita, *conc.;* ut ex principio dignante opera Christi, *nego:* istud enim principium est personalitas Verbi.

ART. 3. — AN SATISFACTIO CHRISTI FUERIT AD ALTERUM

309. — **Praenotandum.** — Cum Christus sit Deus et Deo satisfaciat, videretur ejus satisfactio non esse « ad alterum ». — Nec sufficit (ut notat Franzelin, p. 507), respondere cum aliquibus, Christum satisfecisse *Patri* aeterno, a quo distinguitur in persona: quamvis enim per appropriationem Deo Patri dicatur satisfactio

fieri, revera facta est toti Trinitati et proinde ipsi Filio. Attamen dicenda est Christi satisfactio, in quantum ad satisfactionem requiritur, « ad alterum » fuisse.

310. — Propositio. Satisfactio Christi fuit ad alterum.

Prob. Ut satisfactio sit ad alterum, sufficit *distinctio virtualis personae* fundata in diversitate naturae, voluntatis et operationis; atqui in Christo est ista distinctio virtualis personae, etsi non sit distinctio personae physica; ergo.

Prob. Maj. Idem est fundamentum satisfactionis ac jurium; atqui fundamentum jurium est distinctio voluntatum et libertatum; ergo ad satisfactionem sufficit distinctio virtualis personae. — Et revera, ad actus obedientiae, religionis, obsecrationis, etc., qui non minus ad alterum sunt quam satisfactio, sufficiebat distinctio rationalis naturae in qua Christus ut homo sibi ut Deo actus obedientiae, religionis, etc., exhibebat.

Minor, quoad rem, est ipsa doctrina Catholica contra monophysitas et monothelitas, et quoad modum loquendi, ipsi Patres quandoque distinguunt in uno Christo duplicem personam moralem. Ita v. g. S. Ambrosius (de Fide, l. 2, c. 8, n. 61), « Ex persona hominis Patrem dixit majorem ». Et Facundus (l. 11) dicit, « In Christo alteram Dei, alteram hominis intelligi personam ».

Hanc propositionem (ut notat Hurter, n. 698) theologi illustrare solent exemplo illius, qui simul est et creditor et tutor pupilli. Hic enim potest tanquam creditor a pupillo exigere solutionem et tanquam tutor, pupilli nomine, solutionem sibi ipsi praestare. Jamvero humanum genus erat hic pupillus, qui satisfacere nequibat; quocirca datus est ei tutor et advocatus Christus, qui ex bonis humanae naturae satisfecit Patri, sibi et Spiritui sancto.

QUAESTIO QUINTA

DE MEDIO QUO CHRISTUS SATISFECIT

311. — Ex dictis quaevis Christi actio, propter dignitatem personae operantis, ad omnia totius mundi peccata remittenda superabundanter suffecisset. Catholica vero doctrina, ut saepius indicatum est, docet Christi merita consummata fuisse in morte ejus in cruce, et hanc mortem non tantum satisfactoriam fuisse, sicut quaevis alia actio ejus (v. g. oratio in horto) fuisset, sed verum etiam *sacrificium* propitiatorium. Sociniani proinde, cohaerenter cum ipsorum de Redemptione commentis, negant Christum fuisse sacerdotem in terris aut verum obtulisse sacrificium in cruce, et admittunt tantum sacerdotium quoddam metaphoricum et improprium in coelis, ubi Christus interpellat pro nobis. — Agendum ergo est 1. de Christi sacerdotio et sacrificio, 2. de ejus intercessione et oratione.

CAPUT PRIMUM

De Christi Sacerdotio et Sacrificio

312. — **Praenotandum.** — Ex Apostolo (Hebr. 5. 1), omnis sacerdos *ex hominibus* assumitur et *pro hominibus* constituitur in iis quae sunt ad Deum: seu est *medius* aut *mediator*, inter Deum et hominem, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Hinc, supposita ex tractatu de SS. Eucharistia (nn. 224, sqq.) explicatione et definitione sacerdotii et sacrificii, ad rem praesentem sufficiet hanc propositionem statuisse:

313. — **Propositio. Christus (1) naturalis mediator fuit inter Deum et hominem, verusque (2) sacerdos divinitus constitutus, ac (3) verum sacrificium expiatorium in cruce obtulit.**

Prob. prima pars. — Ille est verus naturalis mediator qui conjungitur cum Deo offenso et cum homine reconciliando, et

tamen ab utroque distinguitur. Christus vero divina haec persona quatenus formaliter est homo, 1. *conjungitur* cum Deo et homine, non quidem *a*) per mediam naturam, ut somniabant Gnostici et Ariani, nec *b*) tantum per gratiam et misericordiam, sicut sancti conjunguntur cum Deo et hominibus, nec *c*) per potentiam ordinis et officium, ut alii sacerdotes, sed *d*) per duplicem naturam suam, qua simul est verus homo, unus ex filiis Adam, et simul est verus Deus. — 2. *Distinguitur* autem Christus *a*) a Patre et Spiritu sancto realiter in persona, et in natura sua humana; *b*) a semetipso, secundum naturam suam divinam spectato, virtualiter propter diversitatem naturae et operationis; *c*) a reliquis hominibus realiter, tum in persona et natura divina, tum in humanitate numerice diversa; ergo, ut ait Apostolus (1 Tim. 2. 5), mediator Dei et hominum est homo Christus Jesus. — Dicit S. Augustinus (serm. 47, c. 12), « Inde et Mediator Dei et hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo praeter deitatem, non mediator Deus praeter humanitatem ». Vid. Franzelin, thes. 46, n. I.

314. — **Prob. secunda pars.** — Christus constitutus est a Patre sacerdos secundum ordinem Melchisedech his verbis, « Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech » (Ps. 109. 4; Hebr. 5. 6); atqui sacerdotium Melchisedech verum fuit sacerdotium, ut patet vel ex ipso nomine, ac praecipue ex excellentia hujus sacerdotii prae sacerdotio Aaronico, sicut exponit fusius S. Paulus (Hebr. 7); ergo Christus verus constitutus est sacerdos.

315. — **Prob. tertia pars.** — **I.** Si sacrificia veteris Legis erant typi et figurae mortis Christi, et si mors Christi describitur in Scripturis iis locutionibus quae nonnisi veris sacrificiis conveniant, oblatum fuit in cruce verum sacrificium; atqui res ita se habet; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Vetera sacrificia fuisse typos mortis Christi, patet ex loco saepius citato (epistolae ad Hebraeos 10. 4, sqq.), «..... Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi..... ». — Item ex cap. 9 ejusdem epistolae, ubi haec advertit Apostolus: *a*) Morte cruenta victimarum antiquae Legis collata fuit justitia legalis, morte autem cruenta Christi data est interna et theologica sanctificatio (Hebr. 9. 13, 14): *b*) morte cruenta victimarum confirmatum est vetus Testamentum haereditatis temporalis, morte autem cruenta Christi sancitum est novum Testamentum haereditatis aeternae (Ib. 13. 20): *c*) comparatur (13. 11, 12) ingressus Christi novi Testamenti Pontificis

in coelum cum ingressu summi pontificis aaronici secum portantis sanguinem sacrificii in sancta sanctorum; atqui hae comparationes supponunt vetera sacrificia fuisse typica mortis Christi in cruce; ergo.

2. Mors Christi describitur verbis sacrificalibus. — Ita Is. 53. 7, 10, « Sicut ovis ad occisionem ducetur.... si posuerit pro peccato [hebr., « sacrificium pro delictis »] animam suam, videbit semen longaevum »; Eph. 5. 2; « Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam [προσφορὰν καὶ θυσίαν: prius nomen sacrificii genericum est, posterius sacrificii cruenti] Deo in odorem suavitatis », quae est frequens commendatio sacrificiorum; 1 Cor. 5. 7, « Pascha nostrum immolatus est [ἐτύθη, cruento sacrificio] Christus », 1 Jo. 2. 2, « Ipse est propitiatio [ἱλασμός: sacrificium expiationis] pro peccatis nostris ». Eodem sensu dicitur Christus Rom. 3. 25, ἱλαστήριος, 2 Cor. 5. 21, « peccatum » seu victima pro peccato. Vid. etiam Matth. 20. 28; 1 Tim. 2. 5. 6. — Cf. Franzelin, thes. 48.

316. — **II.** Ex antiquoribus traditionis christianae monumentis citari potest (saec. I exeunte, aut II ineunte) vulgo dicta *epistola S. Barnabae* (7. 3), « Ipse pro peccatis nostris vas spiritûs [idest, corpus suum] oblaturus erat in hostiam, ut et impleretur figura facta in Isaac, qui super altare fuit oblatus ». De Christo dicit *S. Justinus M.* (dial. cum Tryph., n. 40), « Oblatio erat pro omnibus peccatoribus poenitentiam agere volentibus ». Et *Origenes* (comm. in Rom., l. 3, n. 8: M. 14. 948), « Nunc addit [Apostolus] aliquid sublimius et dicit, quia: Proposuit eum Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius: quo scilicet per hostiam sui corporis propitium hominibus faceret Deum ». Ita et *Tertullianus* (contra Jud., c. 13), « Christum oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est ». Ac *S. Athanasius* (orat. de Inc. Verbi, n. 9), « Corpus quod sibi ipse accepit, velut hostiam et victimam omni puram macula morti offerendo, mortem statim ab omnibus similibus, suo pro aliis oblato, propulsavit ». Similiter *S. Hilarius* (in Ps. 53, n. 13), « Maledictorum se ergo obtulit morti, ut maledictum legis dissolveret, hostiam se ipse Deo Patri voluntarie offerendo..... omnem humani generis salutem oblatione sanctae hujus et perfectae hostiae redempturus ». Item *S. Ambrosius* (enarr. in Ps. 38, n. 25), « Vidimus Principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum ». Citari potest et *S. Joannes Chrys.* (hom. 18, al. 17, in Jo., n. 2) « Ad hoc usque tempus tollit peccata Agnus Dei, non nempe crucifixus (unum enim pro peccatis obtulit sacrificium), sed semper hoc uno sacrificio purificat ». Nec-

non *S. Cyrillus Alex.* (glaphyr. in Levit.: M. 69. 550), « Asseveramus quod hostia sit pro peccato factus..... Mactatus enim est ut dixi, ut suo proprio sanguine redimeret mundum ». Ac *S. Leo M.* (serm. 5, de Pass. 4, c. 3), « Crux ergo Christi sacramentum veri et praenuntiati habet altaris, ubi per hostiam salutarem, naturae humanae celebraretur oblatio. Ibi sanguis immaculati Agni antiquae praevaricationis pacta delebat: ibi tota diabolicae dominationis conterebatur adversitas ».

Saepius dicunt Patres Christum fuisse in cruce sacerdotem simul et victimam. Ita S. Epiphanius (haeres. 69), « In suo corpore Patri semetipsum [obtulit], idem et sacerdos simul et victima, pro omni creatura pontificatus fungens officio ». Et S. Augustinus (de civ. Dei, l. 10, c. 20), « Verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei et hominum homo Christus Jesus, quum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse, quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturae. Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio ». Ac alibi (in Ps. 132, n. 7), « Quis est iste sacerdos, nisi qui fuit et victima et Sacerdos? nisi ille, qui quum in mundo non inveniret mundum quod offerret, se ipsum obtulit ».

317. — **III.** Sacrificium est oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, soli Deo a legitimo ministro facta per hostiae destructionem aliquam, ad testandum Dei supremum dominium in omnes creaturas, simulque pro statu lapso ad profitendam, per substitutionem vicariam, divinam justitiam hominisque reatum expiandum; atqui haec omnia cernuntur in morte Christi, quippe qui sacerdos a Patre constitutus (Hebr. 5. 5, 6), venit dare animam suam redemptionem pro multis (Marc. 10. 45), cumque potuisset mortem evitare (Jo. 10. 18; Hebr. 12. 2), vitam Patri in cruce obtulit actione interna et externa, dicendo (Luc. 23. 46), « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum »; ergo ista mors fuit verum sacrificium.

318. — **Scholia de Christi sacerdotio et sacrificio.** — I. Secundum divinam naturam suam Christus nec sacerdos est, nec sacrificium offert, sed ut dicit S. Augustinus (de civ. Dei, l. 10, c. 20: cit. n. 316) cum Patre et Spiritu sancto ut unus Deus accipit. Secundum humanitatem autem factus est sacerdos non aliqua consecratione creata, sed sola unctione singulari divinitatis (coll. Ps. 39. 7). Dicendo enim dum ingrederetur mundum, « Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi..... Ecce venio », munus sacerdotale redemptionis suscepit, et divina voluntate de-

stinatus fuit ad seipsum in ara crucis offerendum. Cf. Franzelin, thes. 48, n. III (p. 520).

II. Christum esse *sacerdotem secundum ordinem Melchisedech*, aperte declarat S. Paulus, Hebr. 5. 5, 6, ac docent Patres (cf. de S. Euch., n. 237). — Ita vero dictus est, 1. ratione *externi ritus sacrificandi* sub speciebus panis et vini; 2. ratione *nominis:* nomen enim Melchisedech significat « rex justitiae et pacis », qui est Christus; 3. ratione *singularitatis:* Christus enim secundum humanam naturam est « sine patre », secundum divinam « sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens »: nullumque successorem in sacerdotio habet; 4. ratione demum *praestantiae:* Christus enim praecellit sacerdotes Aaronicos, sicut et Melchisedech superior ipsis apparuit benedicendo Abrahae patri eorum et decimas ab eo accipiendo.

III. Dicitur Christus *sacerdos in aeternum:* 1. quoad se, quia *a*) nullum habet successorem, *b*) sacrificium incruentum jugiter offert usque ad finem mundi, *c*) unctionem, scilicet unionem hypostaticam, qua sacerdos factus est, nunquam amittet; 2. quoad effectum: *a*) semper enim interpellat pro nobis, *b*) sanctorum merita consummata, et per aeternitatem duratura, in ipso fundantur. Cf. Stentrup, c. 1. sect. 9.

IV. Generatim loquendo *actio sacrifica* sacerdotis, qua victima offertur, quaeque ad victimam se habet ut forma ad materiam, juxta plures auctores non consistit necessario in ipsa materiali destructione et occisione; sed haec mactatio est potius dispositio proxima et praeparatio victimae, ut pontificis interna oblatione sacrificali et externa quadam significatione Deo offeratur. Sic in sacrificiis veteris Testamenti (cf. Levit. 1. 1-5; 17. 1-6) occisio materialis victimae saepe non a sacerdotibus sed a privatis hominibus fiebat. Quare corruit illorum objectio, qui putant, propterea mortem in cruce non esse sacrificium, quod tunc milites Christum crucifigentes dicendi essent sacerdotes.

Actio ergo sacerdotalis in sacrificio crucis erat ipsa Christi sacerdotis oblatio suiipsius, non solum intentione interna et invisibili, sed tali, quae prodiret in actum externum et se manifestaret tum in ipsa cruciatuum et mortis voluntaria admissione ac directione ad se ipsum Patri offerendum, tum in voluntaria spiritus emissione (Luc. 23. 46, « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum »), quae licet naturaliter consequeretur cruciatus illatos, erat tamen in potestate Christi sacerdotis se offerentis, secundum illud Jo. 10. 18, « Nemo tollit [animam] a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam ». — Cf. Franzelin, thes. cit., n. II.

CAPUT SECUNDUM

De Christi Interpellatione

319. — I. De Christi oratione in vita ejus mortali, haec statuunt theologi. — 1. *Potuit* Christus orare: Oratio enim, ut argumentatur S. Thomas (3, qu. 21, a. 1) est « quaedam explicatio propriae voluntatis apud Deum, ut eam impleat », et ad eam proinde sufficit distinctio voluntatum et subordinatio unius ad alteram; humana autem Christi voluntas distincta fuit a divina et subordinata ad eam quoad plurima.

2. *Decebat* Christum orare: *a*) ut Patri cultum decentissimum orationis exhiberet; *b*) ut omnibus modis, non solum merendo et satisfaciendo, sed etiam orando nostram salutem operaretur; *c*) ut nobis daret exemplum (Suarez, d. 45, s. 1, n. 1).

3. Christus *de facto* oravit: *a*) gratias agendo (Luc. 22. 19; Jo. 11. 41; Matth. 11. 25); *b*) petendo sibi gloriam corporis et exaltationem nominis, nobis autem plurima bona (Jo. 12. 27, 28; 17; Luc. 22. 32, 41, sqq.; Hebr. 5. 7).

4. Christo *non fuit* oratio absolute et *simpliciter necessaria* sicut nobis: « quia propter dignitatem personae potuisset quidquid vellet, sine oratione perficere, et de facto habuit etiam in humanitate sua potestatem faciendi miracula, imperando et volendo sine necessitate orationis » (Suarez, l. c., n. 3).

5. « Nihilominus tamen in sensu composito, id est, *supposita divina ordinatione*, multa non potuit in quantum homo sine oratione perficere, ut D. Thom. docuit »; « sicut enim non redemisset homines, nisi pro illis pateretur, quia ita fuerat a Deo praescriptum et praeordinatum, ita neque sine oratione obtinuisset quae non nisi per orationem obtinenda erant, juxta divinam praeordinationem » (Id., ibid.).

320. — II. Utrum Christus adhuc in coelis oret: Certum est 1. ipsum aliquo sensu, saltem improprie et *interpretative* orare, exhibendo scilicet sua objectiva merita et vulnera (Jo. 14. 16; Rom. 8. 34; Hebr. 7. 25; 9. 24; 1 Jo. 2. 1), et hanc orationem omnes Catholici fatentur esse *sacerdotalem*. Etenim (ut ait Franzelin, thes. 51, n. II, p. 540), « Interpellatio qua offerens sacrificium intercedit *vi ipsius sacrificii* et ipsum suum sacrificium ejusque satisfactoriam et meritoriam virtutem coram Deo exhibendo, sine dubio sacerdotalis est et quaedam ipsius oblati sacrificii con-

tinuatio. Jam vero Christum in coelis perpetuo et interpellare pro nobis et interpellationem ejus esse sui sacrificii semel oblati repraesentationem coram Deo, Scripturae nos docent ». Cf. Hebr. 9. 11, sqq.; 1 Jo. 2. 12; Apoc. 5. 6.

Christum vero 2. *simpliciter orare in coelis*, minus proprie dicitur secundum Franzelin (thes. cit., n. III, post Lugo). Docet vero Suarez (l. c., s. 2, nn. 4, 5), Scripturis et pietati magis consentaneum esse, sentire Christum, non solum tacite seu interpretativa insinuatione, sed aperta et expressa voluntatis suae repraesentatione ac manifestatione pro nobis in coelo orare (exclusis tamen imperfectionibus quae vel divinitati vel beatitudini Christi repugnarent): et hanc sententiam, quam tenent Petavius et recentiores, tribuit Suarez S. Thomae, S. Bonaventurae, Abulensi, Toleto.

Ratio illius est: Loca Scripturae citata, et Patrum (SS. Augustini, Cypriani, Ambrosii, Bernardi, apud Suarez), quibus Christus simpliciter dicitur orare pro nobis in coelis, proprio sensu intelligenda sunt, si nulla sit repugnantia; atqui nulla est repugnantia: nam ex definitione S. Thomae jam tradita (« explicatio propriae voluntatis apud Deum, ut eam impleat »), ut Christus orare possit, sufficit distinctio voluntatis ejus humanae a voluntate divina et subordinatio ejus ad eam; ergo vere et proprie nunc orat.

QUAESTIO SEXTA

DE CHRISTI REDEMPTORIS TITULIS PRAECIPUIS

Praeter titulos Mediatoris, Sacerdotis, Redemptoris hactenus expositos, recensentur tituli Capitis, Regis, Prophetae, Magistri, Legislatoris, Judicis: cum autem de quatuor posterioribus alibi agatur, in praesenti dicendum est tantum de titulis Capitis et Regis.

CAPUT PRIMUM

De dignitate Capitis

321. — **Praenotandum.** — Haec dignitas seu titulus fundatur in analogia quam habent relationes Christi erga creaturas intellectuales cum relationibus capitis humani erga reliqua corporis membra: cumque caput et membra ejusdem sint ordinis, haec quaestio est de Christo secundum naturam assumptam. Propter diversas relationes Christi, erga homines fideles, erga infideles, et erga Angelos, triplex statui potest propositio. Cf. S. Thomas, 3, qu. 8.

322. — **Propositio I. Christus ut homo est caput ecclesiae.**

Prob. I. Ex Ephes. 1. 20-23, « Suscitans illum a mortuis..... ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius », et Coloss. 1. 18, « Et ipse est caput corporis ecclesiae ». — Apostolus his locis docet explicite, Christum caput esse ecclesiae, et quidem secundum illam naturam in qua suscitatus est a mortuis; atqui in natura assumpta surrexit a mortuis; ergo Christus ut homo est caput ecclesiae.

II. Ille est caput ecclesiae, qui praestat erga fideles, seu membra ecclesiae, ea omnia quae ratione ordinis seu dignitatis, per-

fectionis, et virtutis, caput naturale censetur obire in corpore physico; atqui haec praestat Christus 1. ratione *ordinis:* sicut enim caput est principalis pars hominis, ita Christus ecclesiae ob summam propinquitatem ad Deum; 2. ratione *perfectionis:* sicut enim in capite vigent omnes sensus, cum in reliquis membris solus vigeat tactus, ita in Christo plenitudo est omnium gratiarum; 3. ratione *virtutis:* sicut enim omnia membra a capite hauriunt vim et motum, sic omnia membra mystica ecclesiae motum gratiae a Christo, qua se moveant ad opera vitae aeternae; ergo. — Holzclau, n. 441; cf. Franzelin, thes. 41, n. IV (pp. 410, sqq.).

323. — Propositio II. Christus est caput infidelium non quidem actu, sed potentia; nulla vero ratione est caput damnatorum.

Prob. Christus est caput creaturarum rationalium in quantum influit in eas vitam supernaturalem, aut perfectam per caritatem aut imperfectam per fidem. Atqui *infideles* dum ex una parte vitam spiritualem nec imperfectam nec perfectam actu ab ipso percipiunt: ex altera, dum in terris vivunt, gratiis sufficientibus, quibus ad veritatis cognitionem perducantur non privantur, possuntque proinde influxum ejus supernaturalem tandem percipere. *Damnati* autem, utpote vitae spiritualis prorsus incapaces et a Christo in aeternum separati, nullum ab eo influxum supernaturalem recipiunt. Ergo.

324. — Propositio III. Christus ut homo est caput bonorum Angelorum.

Prob. I. Ex Ephes. 1. 20, 21, « Suscitans illum a mortuis et constituens ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem... »; Colòss. 2. 10, « Qui est caput omnis principatus et potestatis ». — His locis docet Apostolus Christum esse caput Angelorum secundum illam naturam in qua surrexit a mortuis; atqui surrexit secundum naturam humanam; ergo.

325. — II. Jure dicitur Christus caput Angelorum, si praecellat eis ordine, perfectione et virtute influendi; atqui Christus, ut ait S. Thomas (3, qu. 8, a. 4), « propinquius se habet ad Deum et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam angeli; et de ejus influentia non solum homines recipiunt, sed etiam angeli », nempe (ut jam dictum est ex Card. de Lugo, supra, nn. 220, 221), « aliquas illustrationes, et alia dona accidentalia »; ergo.

326. — Obs. de gratia Capitis. Non est haec alia (ait Franzelin, thes. 41, n. IV, p. 410), quam ipsa *gratia unionis hypostaticae,*

et *plenitudo gratiae creatae* in relatione ad creaturas, praesertim rationales. — Videlicet 1. *in unione hypostatica* fundatur: *a*) praeeminentia Christi super omnes creaturas etiam super ipsos angelos, quibus entitative spectata humanitas Christi inferior est; *b*) valor infinitus meritorum et satisfactionis Christi. — 2. *Plenitudo vero gratiae creatae Christi* est *a*) exemplar nostrae sanctificationis; *b*) principium *quo* partiale meritorum ipsius, utpote informans facultates humanas, quibus Verbum divinum omnes gratias hominibus meruit.

CAPUT SECUNDUM

De Regno Christi

327. — I. Christum hominem fuisse regem *vero aliquo sensu*, constat ex pluribus Scripturae locis (v. g. Luc. 1. 32, « Regnabit in domo Jacob in aeternum »; Matth. 2. 2, « Ubi est, qui natus est rex Judaeorum »; Apoc. 1. 5, « Princeps regum terrae »), et Patrum (v. g. S. Augustini, de 81 quaest., qu. 61, n. 2, « Dominus noster Jesus Christus rex et sacerdos noster »: cf. Stentrup, thes. 137; Petavius, lib. 12, c. 15, n. 1): quae loca intelligenda sunt de regno saltem *spirituali*. Regia hac potestate spirituali Christus instituit sacramenta, leges tulit, gubernatores et rectores in ecclesia constituit, etc.

328. — II. Christum jus humanum et haereditarium habuisse ad regnum *temporale* Judaeorum, negat communis et certa sententia: etenim 1. ostendi nequit, regnum istud temporale pertinuisse ad B. Virginem vel ad S. Josephum; 2. regnum adscriptum Messiae a Prophetis universale est non locale.

329. — III. *Universale dominium temporale*, seu potestatem in res omnes *temporales* et personas, quod attinet: 1. *Indirectum dominium* hujusmodi *in actu secundo* concedunt fere omnes (negante v. g. Collet): alioquin enim manca et imperfecta esset spiritualis potestas Christi: et revera potestatem in bona temporalia propter fines spirituales aliquando exercuit Christus, legionem v. g. daemonum in porcos immittendo (Marc. 5. 13), ficum arefaciendo (Ib. 11. 14), pullum quoque asinae (Ib. 11. 2) et coenaculum ad pascha celebrandum (Ib. 14. 14) tanquam dominus exigendo. — 2. *Directum dominium* in actu primo, seu radicale, agnoscit communis sententia contra Vasquez (d. 87, c. 6): hoc enim ad minus

videntur suadere plura Scripturae loca (v. g. Apoc. 19. 16, « Rex regum et Dominus dominantium »; Matth. 28. 18, « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra »): quod et ex ipsa natura rei videtur competere Christo homini, universae creaturae capiti et Domino. — 3. *In actu* vero *secundo* non habuit Christus dominium hujusmodi, ut constat ex Jo. 18. 36, « Regnum meum non est de hoc mundo ». — Dicendus est ergo Christus, qua homo, vel exsecutionem regiae potestatis temporalis seu politicae nunquam accepisse, vel ei renuntiasse usque ad mortem. — De hac quaestione fusius agit Stentrup, « Soteriol. », thesib. 137 sqq.

« Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria ». 1 Tim. 3. 16.

DE GRATIA [1]

1. — Dominus noster, ut dicit S. Augustinus (in Ps. 118, serm. 19, n. 6), « Factus est particeps mortalitatis nostrae, ut et nos participes divinitatis ipsius fieremus »; et « per hanc ejus participationem », ut habet idem S. Doctor (in eund. Ps., serm. 16, n. 6), « nobis gratia subministratur, ut caste timeamus Deum, et custodiamus mandata ejus ». Opportune ergo a doctrina de Incarnatione, fit transitus ad tractationem de Gratia divina, per quam Redemptionis fructus animabus applicantur.

Prooemium de gratiæ definitione et divisione

2. — **I. Definitio nominis.** — Nomen « gratia » significat praecipue 1. amorem benevolentiae erga aliquem: ita dicuntur in Scriptura Noe (Gen. 6. 8), Moyses (Exod. 33. 12), Beata Virgo (Luc. 1. 30), invenisse gratiam apud Deum; 2. donum ex benevolentia profectum; 3. gratitudinem animae ob beneficium ex benevolentia receptum; sic phrases usitatae: « gratias habere », « gratias agere »; 4. proprietatem (elegantiam scilicet oris vel sermonis), qua quis sibi conciliet favorem seu benevolentiam alterius: ita (Prov. 31. 30), « Fallax gratia et vana est pulchritudo ». Cf. S. Thomas, 1. 2, qu. 110, a. 1.

In praesenti autem vox sumitur in secundo sensu, scilicet, *pro dono gratis dato*, seu ex benevolentia profecto. Notant Auctores, ad gratuitatem doni requiri ut sit *a*) ex *benevolentia*, non tantum ex amore concupiscentiae, seu intuitu proprii commodi, aut spe retributionis: *b*) *ex* benevolentia, non tantum cum amore

(1) De gratia agit S. Thomas in Summa Theologica, 1. 2, quaestt. 109-114, et in Summa contra Gentiles, l. 3, capp. 148-164. Praeter theologos dominicanos (Cajetanum, Alvarez, Gonetum, Billuart), celebriores inter S. Thomae commentatores in hac materia sunt Molina, Vasquez, Suarez. Scripserunt quoque specialiter de gratia Bellarminus, Lessius, Ripalda, Tournely; recentiori vero aetate e Societate Jesu, Mazzella, Palmieri, Cercià, Schneemann, Schiffini; ex clero autem saeculari Jungmann, Murray.

benevolentiae: potest enim quis debitum solvere cum amore benevolentiae. Hoc sensu acceptum, nomen « gratia » includit omnia bona etiam *naturalia*, quippe quae gratis a Deo creaturae concessa sunt. « Non enim homo », ait S. Augustinus (serm. 26, de verb. Apost. 11, c. 4), « qui non erat, promeruit ut esset. Si promeruit, jam erat: sed nondum erat. Ergo qui promereretur, non erat; et tamen factus est: nec ut pecora factus est. Nec ut arbor factus est, nec ut saxum factus est; sed factus est ad imaginem Creatoris ».

3. — Tamen ex usu christiano vox « gratia » significat proprie dona gratuita *supernaturalia* tantum, eodem fere modo quo alia verba (v. g. paradisus, sacramentum, baptisma, etc.), quae ex sua etymologia et usu primitivo latius paterent ad significandum genus, determinata sunt ad designandam tantum speciem aliquam.

Hunc esse solum genuinum et proprium sensum christianum vocis « gratia » patet ex eo quod, cum Pelagius eam fraudulenter bonis naturalibus imponendo, confiteretur gratiam esse necessariam, a quibusdam episcopis ne suspectus quidem erat de heterodoxia, ab aliis autem, fraude detecta, dicebatur « inimicus gratiae ». Idem patet ex S. Augustino scribente inter alia (epist. 194, ad Sixt., c. 3, n. 8), « non istam gratiam commendat Apostolus qua creati sumus ut homines essemus, sed qua justificati cum mali homines essemus ». « Et ratio reddi potest », dicit Suarez (Prol. 3, c. 2, n. 3), « nam gratia dicta est quia *gratis* datur *naturae jam existenti;* sed sola supernaturalia dona omnino gratis a Deo conferuntur comparatione *naturae;* nam quae naturalia sunt, illi aliquo modo sunt debita; ergo gratia proprie supernaturale donum significat ».

4. — **II. Definitio Rei.** — Gratia in hac specifica significatione communiter definitur, « Donum supernaturale creaturae intellectuali gratis a Deo concessum in ordine ad vitam aeternam, seu pertinens aliquo modo ad vitam aeternam ».

Explicatur definitio. — Dicitur 1. « Donum »: quae vox dilectionis divinae erga creaturas rationales effectum significat et ponitur in loco generis.

2. « Supernaturale », idest supra vires et exigentias *totius* naturae creatae. Hoc vocabulum, cujus intellectio dicitur a Murray (d. 1, n. 1) « quodammodo primum totius hujus tractationis fundamentum », jam explicatum est in comment. de Deo Creatore, nn. 122, sqq.

3. « Gratis concessum », quibus verbis expressius excluditur omne *debitum* vel morale vel physicum naturae et personae *naturaliter agentis;* non tamen debitum *naturae ut elevatae* et per-

sonae ex et cum gratia agentis : homo enim ex operibus in gratia factis jus habet ad gratiam aliam et visionem beatificam. — Tamen etiam in his deveniendum tandem est ad aliquam gratiam primam, quae sit prorsus indebita.

4. « In ordine ad vitam aeternam », seu « pertinens aliquo modo ad vitam aeternam » : causa enim finalis gratiae hic assignata non est finis tantum ultimus seu ipsa vita aeterna, sed et intermedius et proximus, nempe opus salutare, meritum de congruo aut de condigno, justificatio, augmentum gratiae, etc., quae de se et ex natura sua disponunt ad felicitatem supernaturalem.

5. — **Obs.** Definitio jam tradita est communior. Cum vero juxta plures theologos (ut postea videbitur) gratia quae infidelibus v. g. conceditur ut opera moraliter tantum bona efficiant, non sit absolute seu ontologice supernaturalis, etsi indebita : aptior forsan ad tractatus scopum esset definitio hujusmodi : « Donum aliquo modo (scilicet vel absolute vel secundum quid) supernaturale, creaturae rationali a Deo concessum, in ordine ad bonum vel moraliter honestum tantum, vel etiam supernaturale ». Cf. Cercià, pp. 12, 13.

6. — **Divisiones Gratiae.** — Dividitur Gratia 1. ratione modi existendi in *increatam* et *creatam*, prout donum concipitur esse Deus ipse, vel aliquis ejus potentiae effectus. Omissa distinctione gratiae creatae in gratiam *patriae* quae includit lumen gloriae et alia beatorum dona, de quibus agitur in tract. de Deo Consummatore, hic inquiritur tantum de gratia *viae*, quae in statu probationis conceditur.

7. — Dividitur 2. in gratiam *Dei* et gratiam *Christi : Gratia Dei* est donum supernaturale, quod a Deo procedit independenter ab interventione meritorum Christi : *gratia Christi* est Dei donum quod confertur homini non sine habitudine ad merita Christi. — Si autem de facto quaeratur, nempe an reipsa omnis gratia, quae adhuc concessa est ac in posterum concedetur, sit gratia per Christum ; solutio quaestionis pendet ex alia, nempe an Adamo non peccante Dei Filius in carne venturus esset : qui enim affirmant (scilicet Scotus, S. Franciscus Sales., Suarez, etc. : cf. de Verbo Inc., n. 266), consequenter aiunt etiam gratias decretas ante praevisum Adami peccatum, ut quae Angelis et primis nostris parentibus ante lapsum concessae fuerunt, ob Christi merita decretas et concessas fuisse, adeoque Christi (non vero *Redemptoris*) gratias esse : qui vero inficiantur (S. Thomas, S. Bonaventura, etc.), consequenter negant.

8. — Dividitur 3. in gratiam *gratis datam* et *gratum facien-*

tem: Gratis data est donum supernaturale indebitum, non in propriam recipientis sed in aliorum salutem per se et primario ordinatum: v. g. dona prophetiae, miraculorum, etc. — « Est enim quaedam gratia (ait Suarez, l. c., c. 4, n. 1, post S. Thomam, 1. 2, qu. 111, a. 1, ad 3), quae hanc solam proprietatem gratiae habet, quod *gratis* detur..... Alia vero est gratia, quae ita gratis datur, ut *hominem Deo gratum* et amabilem aliquo modo *reddat* ». Itaque gratia gratum faciens non in hoc distinguitur a gratia gratis data, quod gratis non donetur, sed in eo quod praeter rationem doni gratuiti quae omni gratiae essentialis est, aliam quoque obtineat rationem gratiae (ut notat Bigeon, « De Auxil. Gratiae », d. 1, q. 2, a. 5: inter Opera Becani); et proinde nomen gratiae gratis datae appropriatum fuit speciei *infimae*, sicut nomen generis « animal » tribui solet speciei infimae nempe brutis.

9. — *Gratia gratum faciens* (de qua praecipue tractandum) est donum supernaturale, ad propriam recipientis salutem per se et primario ordinatum; per hanc enim homo efficitur Deo acceptus vel dispositive vel formaliter. Sub nomine videlicet gratiae gratum facientis comprehenditur non solum gratia quae *formaliter* hominem amabilem reddit, sed ea etiam quae *dispositive*, vel removendo obstacula vel effective, ad gratiam formaliter justificantem pertinet. Et hoc requiritur ut divisio sit adaequata, quia v. g. « fides et spes mortuae sunt quaedam gratiae, et non sunt gratis datae..... nec etiam sunt gratum facientes [ex hypothesi], quia sunt in peccatoribus; ergo..... ». Suarez, « Prol. 3 », c. 4, nn. 13, sqq.

10. — Gratiam gratum faciens praecipue dividitur *a*) In gratiam *externam et internam*. Gratia externa est illa quae directe et immediate hominem interne non afficit, sed externe, uti e. g. praedicatio Evangelii. Gratia interna est ea, quae hominem interne afficit sive inhaerendo ut gratia sanctificans, sive illustrando et movendo interius, ut gratia actualis. « Proxime videntur ad internas gratias accedere immutationes aliquae supernaturales, quae in sensibus internis, vel in appetitu sentiente possunt et solent fieri, ut infusio vel excitatio phantasmatum, vel specialis aliqua operatio ipsiusmet phantasiae, seu cogitativae potentiae, aut affectio aliqua, vel delectatio sensibilis..... magis tamen ad externas pertinent..... et licet, ut nobis inhaerent, aliquem modum internae gratiae participare videantur, simpliciter sub gratia externa continentur, quia et in se materiales res sunt et sensibiles, et a sensibus ac externis causis et objectis proxime procedunt ». Suarez, l. c., c. 3, n. 13.

11. — Distinguitur *b*) gratia gratum faciens interna in gratiam *actualem* et *habitualem*. Gratia actualis est ea quam Deus

homini concedit *per modum actus* et motionis transeuntis ad operandum in ordine ad suam sanctificationem. Habitualis gratia ea est quae a Deo animae infunditur *per modum habitus* seu qualitatis permanentis. Huic annexae sunt virtutes infusae et dona Spiritus sancti.

Ex hac ultima divisione gratiae gratum facientis, oritur *partitio totius tractatus* in partes duas, quarum prima est de Gratia Actuali, secunda de Gratia Habituali et de Merito in hac gratia fundato.

PARS PRIMA

DE GRATIA ACTUALI

12. — Prius declaratis aliquatenus gratiae actualis divisionibus et natura, inquirendum est triplici quaestione 1. de ejus *necessitate* ad opera tum salutaria (seu ad beatitudinem supernaturalem ordinata) tum naturalia, 2. de ejus *sufficientia* et *efficacia* hujusque efficaciae concordia cum libertate humana, 3. de illius *distributione* seu dispensatione.

Praenotiones

13. — Dividitur gratia actualis, quae nonnunquam (uti distinguitur a gratia habituali) vocatur quoque *auxilians* vel *auxilium gratiae*, 1. in *medicinalem* et *elevantem*, 2. in *sufficientem* et *efficacem*, 3. in *excitantem* et *adjuvantem*.

14. — Primam distinctionem quod attinet : dicitur gratia *medicinalis* vel *elevans* pro duplici illius munere quo vel *sanat vulnera*, ignorantiam scilicet et concupiscentiam, per peccatum originale et donorum gratuitorum amissionem inflicta ; vel *elevat facultates* animae ad eliciendos actus *supernaturales*. Gratia *pure medicinalis* est ordinis mere naturalis ; in re autem eadem gratia potest esse simul et elevans et medicinalis, cujusmodi est ea qua homo justus tentationi contra legem naturalem meritorie resistit. — De secunda distinctione in sufficientem et efficacem postea (tota Quaestione Secunda) distinctius agetur ; et hic proinde explicanda est divisio tertia in *excitantem* et *adjuvantem*.

15. — *Excitans* aut *adjuvans* dicitur gratia actualis pro diverso respectu ad liberum hominis consensum. Hunc scilicet *consensum praecedit gratia excitans* quae hominem quasi e somno et torpore excitat : appellatur etiam vocans, praeveniens, operans. Adjuvans est gratia quae *hominem consentientem juvat* in opere exsequendo : vocatur etiam cooperans, concomitans.

Haec distinctio traditur in *Scriptura*, v. g. Apoc. 3. 20, « Ecce sto ad ostium et pulso : si quis audierit vocem meam et aperuerit

mihi januam, intrabo ad illum »; etiam a *Sanctis Patribus*, v. g. a S. Augustino (de peccat. merit. et remiss., l. 2, c. 18, n. 31), « Quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus »; et a S. Bernardo (lib. de grat. et libero arbitr., c. 13, n. 42), « Conatus [liberi arbitrii] ad bonum et cassi sunt, si a gratia non adjuventur; et nulli, si non excitentur »; necnon a *Conciliis*, v. g. ab Arausicano II, can. 20, « Multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo; nulla vero facit homo bona, quae non praestet Deus, ut faciat homo » (Denz. 163); et a Tridentino, sess. 6, c. 6, « Disponuntur ad ipsam justitiam [adulti], dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes » (Denz. 680); et in ecclesiae oratione, « Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere ». Cf. Bellarminus, l. 1, c. 2.

16. — **Gratiam excitantem** quod spectat: *active* seu efficienter spectata, idest *ex parte Dei* concedentis, consistit juxta communiorem theologorum sententiam in influxu supernaturali quo Deus intellectum illustrat et voluntatem movet: quam illustrationem vel inspirationem potest Deus causare vel *mediate*, idest per alias causas, v. g. praedicationem, objecta externa visa, et (quoad inspirationem voluntatis) per bonas cogitationes; vel *immediate*, seu divina actione directa. — Illustratio immediata intellectus agnoscenda est contra Pelagianos qui, ut postea dicetur, mediatam tantum admittebant: inspiratio etiam voluntatis immediata admittenda est juxta communem sententiam, et proinde rejicienda est (quamvis non sit expresse damnata) sententia quorumdam (Petavii, v. g. et Vasquez) dicentium, sufficere mediatam tantum voluntatis inspirationem, idest eam quae ex illustratione (immediata sane) mentis sponte sua oritur. Cf. Murray, d. 3, nn. 109-112.

17. — Gratia excitans *passive* seu effective considerata, idest *ex parte hominis* eam recipientis, complectitur juxta plurium theologorum sententiam, **vitales et indeliberatos intellectus et voluntatis actus vel motus, et etiam** (saltem in homine nondum justificato) **illarum facultatum elevationem transeuntem.** Cf. Murray, l. c., nn. 2, 3; Mazzella, nn. 144, sqq.

Explicatur, praecipue ex Bigeon (op. cit.). — *a*) « Intellectus actus », scilicet tum simplices *apprehensiones* (quae scilicet proponunt convenientiam objecti quin de eo judicetur: puta, splendorem ecclesiae catholicae in antiquitate aut unitate ejus manifestatum), tum *judicia* vel *theoretica* (« ecclesia catholica est divinitus instituta ») vel *practica* (« mihi ingrediendum est in ecclesiam catholicam »). Ratio autem est, quia munus gratiae auxi-

liantis est, voluntatem ad bonum prosequendum, et ad malum fugiendum supernaturaliter impellere, quod munus obire non potest sine praevia cogitatione seu repraesentatione boni vel mali. Dicit S. Augustinus (in epist. Jo., tr. 3, n. 13), « Sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est..... Quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus adjutoria quaedam sunt et admonitiones; cathedram in coelo habet qui corda docet ». Et alibi (ad Simplic., l. 1, qu. 2, n. 22), « Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat non est in hominis potestate ».

b) « Voluntatis motus », quia homo ad bene operandum inducitur non modo per sanctas cogitationes, sed per actus terroris, tristitiae, delectationis, et similes indeliberatos motus in ea repente subortos. Ita S. Prosper, aut alius auctor librorum de Vocatione Gentium (l. 2, c. 26), « Gratia Dei illa in omni justificatione principaliter praeeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illustrando, et fidei affectionibus imbuendo ». Ideoque gratia auxilians vocatur *inspiratio* et *tactus cordis*.

c) « Vitales », idest physice in homine et ab homine *vivente* elicitos (cogitare enim et desiderare sunt actus mentis et voluntatis); sed « indeliberatos »: quia in eos *humano modo* non influimus, hoc est per influxum liberum et a nostro libero arbitrio dependentem. Illos videlicet actus Dei providentia et misericordia in nobis excitat independenter a nostro libero consensu, « in nobis, sine nobis ». Hoc (quod forsan aliquo modo illustrare liceret per oppositum ex possessione diabolica, in qua daemones voce et membris corporeis hominis possessi praeter ejus consensum utuntur: cf. Luc. 8. 27, sqq.) colligitur ex ipso nomine « gratia *excitans* », qua scilicet Deus hominem spirituali somno torpentem clamet, et vocet ad boni operis exercitium: vox autem expergefacientis non subest libero dormientis arbitrio, sed auribus ex improviso illabitur. Idem patet ex Apoc. 3. 20, « Sto ad ostium et pulso »: qui enim pulsando januam ingressum quaerit, solus pulsat, nec priusquam pulset, intra existentis consensum requirit. Hoc etiam infertur ex nomine « gratia operans », qua scilicet Deus operatur ut velimus, et ex nomine « *praeveniens* », quia praecedit consensum nostrum liberum. Hinc S. Augustinus (de grat. et lib. arb., c. 17, n. 33), « Ut ergo velimus, sine nobis operatur [Deus]; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante

cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus ». Postea S. Bernardus (de grat. et lib. arb., c. 14, n. 46), « Deus tria haec, hoc est bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis : primum profecto sine nobis ; secundum nobiscum ; tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos praevenit ». « In talibus igitur motibus indeliberatis (ait Pesch, n. 27) dicimus gratiam Dei imprimis consistere ».

d) « Elevationem ». « Elevatio », dicit Ripalda (d. 24, s. 1), « est auxilium superioris agentis, rei indebitum, quo munus exsequitur, quod concursu sibi debito, propriaque virtute exsequi non potest ». Cum autem intellectus et voluntas in statu suo naturali actui cuivis supernaturali etiam indeliberato ponendo omnino imparia sint, hinc, saltem in homine nondum justificato nec habitibus supernaturalibus dotato, quaedam elevatio requiritur, tum ut istos actus indeliberatos, qui supernaturales sunt, ponat : tum ut ad actus sequentes liberos quos gratia suggerit, sit roboratus et proxime dispositus. Ita Mazzella, n. 143, sqq., Jungmann, n. 32 et annot. ; Kilber, n. 269 : qui tenent elevationem non intrinsecam seu mediante dono physico creato nobis inhaerente, ut gratuito volunt plures thomistae (v. g. Billuart, d. 4, a. 2), sed *extrinsecam*, qua Deus seu Spiritus sanctus, per suam virtutem immediate in nobis et nobiscum operatur. Hoc declarat Mazzella exemplo matris dirigentis manum pueruli scribere nescientis, et illustrari etiam potest ex eo quod traditur de S. Gregorio VII (Brev. Rom., 25 Maii), « Cum parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis illa davidici elementa oraculi, Dominabitur a mari usque ad mare, casu formasse narratur, *manum pueri ductante Numine*, quo significaretur fore amplissimam in mundo auctoritatem ».

18. — **Gratia adjuvans** est « concursus supernaturalis Dei, quo nobiscum, per gratiam excitantem illustratis ac motis, concurrit ad omnes et singulos actus supernaturales et liberos ». Haec gratia vocatur etiam *cooperans* et *subsequens*. Posita enim gratia pure excitante, et positis potentiis animae exinde elevatis, roboratis et motis ad actum salutarem liberum ponendum, adhuc homini necessarium est auxilium *quo adjuvetur* in consentiendo et actu salutari libero ponendo (ut postea ostendetur) : et hoc auxilium est gratia adjuvans.

Quatenus est *adjuvans*, haec gratia supponit hominem libere agentem quem adjuvet, et ita (*sensu* quidem *composito*, ut aiunt) nunquam ei resistitur, seu est semper efficax : si enim rejiceretur ea gratia, actus salutaris non poneretur, relate ad quem gratia di-

cenda esset gratia «*adjuvans* seu *cooperans*». Ita multi Theologi cum Suarez: cf. Perrone, nn. 243, sqq. Murray quidem (d. 3, n. 6) vocat *adjuvantem* gratiam omnem post primam excitantem datam homini *ut adjuvetur*, sive ei assentiatur sive non. Verum hic modus loquendi « ut adjuvetur » supponit hominem nondum consensum aut praebuisse aut negasse: gratia porro quae praecedit liberum consensum aut dissensum est gratia *praeveniens* seu *excitans*. — Ipse quoque Murray alibi (d. 8, n. 94) dicit, « Qui..... gratiae excitanti cedit et convertitur jam habet gratiam adjuvantem....., quam ille qui gratiae excitanti resistit non habet ».

19. — *Naturam gratiae adjuvantis* quod attinet: *a*) Censent plures theologi praesertim ex Societate Jesu, eandem actionem divinam eandemque ipsam gratiam, quae quatenus praevenit nostram voluntatem vocatur excitans, esse adjuvantem quatenus novo influxu et continuata actione nostro arbitrio libere consentienti cooperatur, quin nova requiratur gratiae species ad opus salutare ponendum; et ita in hac sententia gratiae istae non differunt *entitative* et quoad naturam, sed tantum quoad effectus et diversum habitum ad nostram voluntatem. Ita videtur docuisse ipse S. Thomas dicendo (1. 2, qu. 111, a. 2, ad 4), « gratia operans et cooperans est eadem gratia: sed distinguitur secundum diversos effectus ». Cf. Mazzella, nn. 175, sqq.

b) Thomistae vero perplures, negato actus hominis vitales esse de ratione gratiae actualis, docent eam consistere in *duplici entitate seu qualitate non-vitali*, quarum *prima* constituit potentiam in actu primo completam, est principium actuum indeliberatorum, et ad gratiam etiam mere sufficientem pertinet; *altera* supponit potentiam in actu primo constitutam, determinat consensum voluntatis, et pertinet ad gratiam efficacem: haec est ea, quam vocant, *physica praedeterminatio*. — Utrum in ista physica praedeterminatione consistat gratiae efficacia, postea distincte inquiretur.

QUAESTIO PRIMA

DE NECESSITATE GRATIAE ACTUALIS

Necessitas gratiae actualis spectari potest relate ad opus vel *supernaturaliter* vel *naturaliter* tantum bonum : unde duplex caput.

CAPUT PRIMUM

De Necessitate Gratiae Elevantis, seu ad Opera Salutaria efficienda

Hanc necessitatem praecipue negaverunt ex Christianis, Pelagiani quoad omnia opera salutaria, ac Semipelagiani quoad initium operis salutaris et perseverantiam. Unde triplex articulus.

ART. 1. — DE NECESSITATE GRATIAE AD OPERA SALUTARIA UNIVERSIM

20. — **Praenotanda.** — I. Nomine operis salutaris intelligitur, ut ait Murray (d. 3, n. 27), « opus quod positive disponit et ducit ad sanctitatem et vitam aeternam ». Dicitur *positive;* si enim negative tantum removendo obicem disponit, non vocatur salutare, aut saltem non vocatur nisi negative salutare : ita v. g. restitutio boni alieni facta a peccatore aut infidele.

21. — II. Pelagius monachus, juxta S. Hieronymum (praef. in Jerem., l. 1, et 3), in Hibernia natus, zelo ductus ut videtur contra Manichaeorum et Gnosticorum errores, hominum peccata non malae voluntati sed malae naturae tribuentium, in contrarium incidit errorem, et in scriptis diversis, quae comperta sunt praecipue ex fragmentis apud S. Augustinum, S. Hieronymum aliosque, vires humanae naturae et liberi arbitrii ita (saec. V ineunte) asseruit, ut necessitatem gratiae divinae ad opus quodcumque bonum efficiendum et ad ipsam salutem aeternam adipiscendam excluderet, dicendo v. g. (apud S. Augustinum, de gratia Christi, cc. 3, 4), *possibilitatem* quidem (qua potest homo esse justus) dari a naturae Creatore ; *voluntatem* autem (qua homo vult esse justus), ac *actionem* (qua justus est) nonnisi ab ipso homine esse.

In hac doctrina, quae est naturalismus quidam quamque aliqui dicunt a Theodoro Mopsuestensi haustam, logice continebatur veritatum plurium fundamentalium christianae religionis negatio, v. g. elevationis et lapsûs humani generis, ac verae redemptionis illius : imo et doctrinarum rationalium de praescientia et concursu Dei circa opera libera creaturarum. Dogma vero peccati originalis (cf. de Deo Creat., n. 173) praecipue impugnavit Pelagii discipulus Coelestius (quem et aliqui dicunt Hibernum); dum impeteret ipse Pelagius necessitatem gratiae, sed callide et sub diversis formis.

In *primo* videlicet haeresis suae *stadio* nullam omnino admisit Pelagius necessitatem gratiae. Deinde in *secundo* erroris *statu*, ad vitandam orthodoxorum offensionem, necessitatem admisit gratiae sed nomine tenus, subdole videlicet intelligendo per gratiam liberum arbitrium utpote gratuitum Dei beneficium. Postea in *tertio stadio* praeter dona pure naturalia admisit gratiam externam, nempe legem et doctrinam ac Christi exempla, non quidem ut absolute necessariam sed ad facilius obtinendam salutem. *Quarto* demum *stadio*, gratiam aliquam etiam internam admiserunt Pelagiani, nempe illustrationem divinam intellectûs quae daret majorem facilitatem quin tamen esset absolute necessaria, quaeque operibus mere naturalibus obtineri posset : gratiam autem quae immediate afficeret voluntatem omnino rejecerunt. — Ex recentioribus, similes errores docent Sociniani, Arminiani, protestantes liberales, rationalistae.

22. — III. Contra hos tenendum est, ad omne opus salutare gratiam proprie dictam, idest supernaturalem, eamque internam, non tantum ad facilitatem sed absolute et physice esse necessariam : quam doctrinam contra Pelagianos defendit praecipue S. Augustinus, et definierunt Romani Pontifices Innocentius I et Zosimus, pluraque concilia saec. V, praesertim Carthaginense I et II. levitanum, Ephesinum. Eandem doctrinam iterum asseruit Concilium Tridentinum, sess. 6, cann. 1-3, de justificatione (1). — Documenta praecipua ad Pelagianismi historiam spectantia exstant in parte secunda Appendicis ad opera S. Augustini (Migne, P. L., t. 45, col. 1679, sqq.). Cf. Kilber (Wirceb.), nn. 176, sqq.; Palmieri, pp. 127, sqq.

(1) Can. 1, « S. q. d., hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires vel per legis doctrinam fiant absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari, a. s. » — Can. 2, « S. q. d., ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit, a. s. » — Can. 3, « S. q. d., sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, a. s. ». Denz. 693, seqq.

23. — **Propositio. Nullus homo lapsus in praesenti statu potest sine gratia eaque interiori efficere aliquod opus salutare.** — De fide est juxta dicta, saltem quoad nondum justificatos: utrum, et qua certitudine, dicenda sit gratia *actualis* necessaria *in justis* ad singula opera salutaria, postea inquiretur.

(1) Argumenta ex Scriptura sacra. — Triplex ordo testimoniorum ex sacris litteris habetur, ut notant Cercià, Jungmann, Hurter. *Primus* eorum est quibus omnimoda hominis per se inspecti impotentia seu nullitas in ordine salutari ex Adae peccato contracta declaratur. *Secundus* ea complectitur quibus ex adverso omnis operum salutarium sufficientia in Deum rejicitur. *Tertius* illis continetur, quibus hic atque ille in specie actus qui salutaris est Deo adjutori tribuitur.

24. — **I.** In divinis litteris homines sibi relicti in ordine salutis exhibentur ut *mortui* (Ephes. 2. 1, 5), ut *caeci*, (Ibid. 5. 8), ut *animales* seu incapaces percipiendi ea, quae sunt Dei (1 Cor. 2. 14); atqui mortui nisi resuscitentur, vivere, caeci nisi illuminentur, videre nequeunt; ergo citra Dei auxilium non poterit homo operari aliquid ad salutem spectans.

25. — **II.** Ex Philipp. 2. 12, 13, « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur (ὁ ἐνέργων) in vobis et velle et perficere (ἐνεργεῖν) pro bona voluntate ». — Interna operatio Dei in anima in ordine ad salutem, ex definitione jam tradita, est gratia actualis interna; atqui Apostolus hoc loco attribuit tali Dei operationi internae in homine tum voluntatem faciendi tum exsecutionem earum rerum quae ad salutem pertinent; ergo ad opus salutare necessaria est gratia interna.

Prob. Min. per partes. — 1. Apostolum loqui de iis quae ad salutem pertinent, ex ipsis verbis « operamini vestram salutem » patet.

2. Haec salutaria attribui Dei operationi, saltem ut *concausae* aut *conprincipio*, patet ex voce « operatur », quae in originali eadem omnino est cum voce quae redditur « perficere ».

3. Hanc operationem esse *internam*, patet ex phrasi « in vobis », ut notat Beelen.

4. Demum, quod praecipuum est, hanc Dei internam operationem ad opera ista salutaria esse *necessariam*, patet ex scopo Apostoli qui est, ut convincat Philippenses non posse ullo jure sibi de bonis operibus placere, sed potius timere debere, cum ista omnia bona necessario habenda sint a Deo ex ejus gratuito amore: « pro bona voluntate ».

26. — **III.** Ex Jo. 15. 4, 5, « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me

manseritis..... sine me nihil potestis facere ». — Dominus noster in parabola de vite et palmitibus docet, suum in nos influxum omnino necessarium esse ut fructum feramus; atqui per istum influxum significatur gratia, et per fructus opera salutaria; ergo ad opera saltem aliqua salutaria necessaria est gratia.

Major, scilicet, parabolam dicere *necessitatem absolutam* non meram difficultatem, patet ex comparatione facta: palmes enim nec fructum maturum, imo nec ipsum fructûs germen et initium, sine vitis suco facere potest: quod et confirmant verba subsequentia, « sine me nihil potestis facere ».

Prob. Min. per partes. — 1. Per istum influxum significatur gratia. Iste influxus est is quem Christus exercet ut mediator (Deus-Homo) inter Deum et hominem, « Pater meus agricola..... ego vitis..... vos palmites..... »; atqui influxus quem Christus exercet ut mediator inter Deum et homines est in ordine ad finem supernaturalem; ergo per istum influxum intelligitur gratia.

2. Per istos fructus intelliguntur opera salutaria. Loquitur Christus de iis hominis actibus qui pertinent ad ordinem in quo Deus conjungitur cum homine per gratiam, ut jam dictum est; atqui ordo in quo Deus conjungitur homini per gratiam est ordo supernaturalis; ergo sermo est de operibus quae pertinent ad finem supernaturalem seu de operibus salutaribus.

27. — **Obs.** Ex hoc textu nude sumpto non videtur conclusio certo probari. Dici enim potest sermo esse *a*) non de omnibus hominibus sed de solis *justis; b*) non de omnibus operibus salutaribus sed de solis *meritoriis;* proinde *c*) juxta aliquorum sententiam, non de actuali sed *de habituali gratia.* — Dicit Corluy (in loc.), « Quod autem praeter gratiae habitualis influxum, animae jugiter praesentem, requiritur insuper gratiae actualis auxilium transitorium ad actum salutarem eliciendum, eodem nostro textu revelatur: hoc tamen nonnisi Patrum traditionali expositione certum factum esse opinamur ». Ita hunc textum exponit S. Augustinus (in Jo., tr. 81), ubi inter alia dicit (n. 3), « Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset: Hic fert fructum multum, non ait, quia sine me parum potestis facere, sed: Nihil potestis facere. Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest..... Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit ».

Huc spectant etiam 2 Cor. 3. 5, « Non quod sufficientes simus cogitare *aliquid* a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est »; Philipp. 1. 6, « Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu »; etc.

28. — **IV.** Nominatim *ad fidem salutarem* necessariam esse gratiam, ostenditur ex Jo. 6. 36-44, « Sed dixi vobis, quia et vidistis me et non creditis. (37) Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum qui venit ad me non ejiciam foras..... (40) Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die..... (44) Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum ». — His verbis asseritur, ad habendam fidem salutarem, cuivis absolute necessarium esse ut a Patre trahatur; atqui illud « trahi a Patre » significat gratiam interiorem actualem; ergo ad fidem salutarem necessaria est gratia interna actualis.

Prob. Maj. per partes. — 1. « Venire » hoc loco idem esse ac accedere per fidem, patet ex parallelismo in contextu, v. g. *a*) ex versibus 36, 37 collatis cum versu 40; *b*) in uno versu 35, « qui *venit* ad me non esuriet; et qui *credit* in me non sitiet unquam ».

2. Hanc esse fidem salutarem, patet ex eodem contextu, « non esuriet; non sitiet unquam; habeat vitam aeternam; ego resuscitabo eum in novissimo die ».

3. Cuivis homini necessarium esse, ad fidem, ut trahatur a Patre, patet ex voce « nemo », idque 4. absolute, ut patet ex vocibus, « nemo potest ».

Prob. Min. principalis. Illud « trahi » Christus ipse (v. 45) explicat idem significare ac doceri a Deo (« Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me»); atqui ex ipso textu « doceri a Deo » significat illustrationem intellectus et inspirationem voluntatis. Duo enim includit illud « doceri », scilicet *a*) audire a Patre, *b*) discere; atqui *a*) « *audire* a Patre » esse interiorem mentis illustrationem non externam per sensum patet ex versu 46, « Non quia Patrem vidit quisquam »; et ex prophetis ad quos Dominus alludit, v. g. praeter Is. 54. 13, Jer. 31. 33, 34, «Dabo legem meam in visceribus eorum, et super cor eorum scribam eam » (cf. Ezech. 11. 19; Hebr. 8. 10, 11); *b*) «*discere*» vero significat, «auditis assensum praebere» (Toletus). Ergo doceri a Deo includit illustrationem intellectus et inspirationem voluntatis, seu gratiam interiorem actualem.

Necessitatem gratiae ad *orationem salutarem* ostendit Rom. 8. 26, « Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet nescimus »; ad *caritatem* Rom. 5. 5, « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum ».

29. — **(2) Argumentum ex Traditione.** — 1. Doctrinam nostram manifeste docent *concilia* perplurima, scilicet, praeter Ephe-

sinum oecumenicum, usque ad viginti quatuor particularia, contra Pelagium habita, atque *Patrum scripta* contra ipsum edita. Imo sufficeret testimonium unius *S. Augustini*, gratiae defensoris ac doctoris, cui consensit tota ecclesia occidentalis et orientalis, ut ostendit Cercià (sect. 2, lect. 3).

2. Ex Patribus *praecedentibus*, ad quos appellavit S. Augustinus, sequentes citasse sufficiet. Dicit *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 50. 2), « Quis est idoneus ut in ipsa [caritate] inveniatur, praeter eos, quos Deus dignos esse voluerit? Oremus igitur et petamus ab illius misericordia, ut inveniamur sine propensione aliqua humana, inculpati ». Item *S. Justinus* (apol. 2, n. 10), « Christo non philosophi solum et litterati homines crediderunt, sed operarii etiam et omnino imperiti, qui et gloriam et metum et mortem contempserunt; quandoquidem haec virtus inenarrabilis Patris efficit, non humanae rationis instrumenta ». Ac *S. Irenaeus* (l. 3, c. 17, n. 2), « Sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, sic et nos lignum aridum existentes primum nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia ». Et *S. Ambrosius* (in Luc., l. 10, c. 22, n. 89), « Bonae lacrymae quae lavant culpam. Denique quos Jesus respicit, plorant. Negavit primo Petrus, et non flevit; quia non respexerat Dominus. Negavit secundo, non flevit; quia non respexerat Dominus. Negavit et tertio; respexit Jesus, et ille amarissime flevit. Respice, Domine Jesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum ». Necnon *S. Joannes Chrys.* (hom. 12 in 1 Cor., c. 4, n. 2), « Non enim haec tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit: si remissionem peccatorum, si charismata, si doctrinae verbum, si virtutes: omnia inde accepisti. Quid ergo habes, quaeso te, quod non acceperis? » Postea *S. Cyrillus Alex.* (in Jo., l. 12: M. 74, 711), « Nihil gratum Deo facere, neque peccati laqueis sese expedire possint Apostoli, nisi virtute ex alto prius induti [Luc. 26. 49], et in aliud quiddam quam quod erant transformati ».

3. Nostram doctrinam esse antiquam ecclesiae fidem, liquet vel ex ipsa Pelagianismi historia, cum (ut scribit Cercià) « priusquam etiam concilia haberi inciperent, totus orbis adversus Pelagium tanquam contra manifestum haereticum commotus sit, semel ac prava ejus dogmata coeperunt innotescere. Adde denique ipsius Pelagii agendi rationem, qui catholicis formulis suae haereseos initio propriam doctrinam obtegere adnisus est ».

30. — (3) Argumentum ex ratione theologica. — Ut opus aliquod sit salutare, seu positive conducens ad finem beatificae visionis (quam ex alibi probatis supponimus esse absolute super-

naturalem), debet esse huic fini proportionatum et ejusdem ordinis : media enim habere debent proportionem cum fine; atqui vires naturales sine gratia non possunt opus hujusmodi, quod vi vocis vires naturales superat, ponere; ergo ad opus salutare requiritur gratia.

31. — **Dices.** Obedientia, temperantia, eleemosyna, etc. sunt opera salutaria; atqui haec praestare homo potest absque gratia; ergo gratia non est necessaria ad quodvis opus salutare.

Resp. *Dist. Maj.* Obedientia, eleemosyna, etc. « prout oportet », idest spectato modo supernaturali quo fiant, sunt opera salutaria, *conc.;* spectata tantum substantia seu materialitate operum, *nego.*

Contradist. Min. Potest homo sine gratia praestare, aliquando saltem, opera ista materialiter spectata, saltem faciliora, *conc.;* supernaturaliter et salutariter, *nego.*

Inst. Potest homo sine gratia doctrinae alicui revelatae assensum praebere propter Dei revelantis auctoritatem; atqui omnis assensus hujusmodi est fides salutaris; ergo potest homo sine gratia efficere opus salutare.

Resp. *Dist. Maj.* Potest praebere assensum imperfectum et infirmum, *conc.;* assensum firmissimum et constantem, *nego*, juxta communiorem theologorum sententiam, cui propter auctoritatis pondus cedit Murray (d. 3, n. 32). — Dicit tamen Kilber (de Gratia, n. 301), « Nulla videtur esse causa, cur intellectus sibi relictus [veritatibus supernaturalibus, posita revelatione] assentire nequeat... ; praesertim cum haeretici aliqua fidei mysteria negantes, aliis assentiantur quin fundamentum sit dicendi illis praeter gratiam revelationis aliud auxilium gratiae concedi ».

Neg. Min. Nam actus supernaturales distinguuntur a naturalibus si non objecto materiali, tamen (probabilius) obiecto formali seu motivo, aut saltem juxta omnes *principio eliciente*, nempe gratia. Cf. Lugo, de Fide, d. 9, s. 1, nn. 18, 25.

32. — **Obs. 1.** Licet agnoscant Catholici omnes necessitatem ad opera salutaria efficienda *alicujus* gratiae supernaturalis, vel actualis vel habitualis, disputant tamen theologi, utrum *in casu hominis jam justificati* admittenda sit necessitas ad *singula* opera salutaria gratiae *actualis* elevantis. Thomassinus et quidam alii docuerunt sufficere, saltem aliquando et in operibus facilioribus, gratiam habitualem citra actuale voluntatis adjutorium. Communis vero sententia, quam Suarez (l. 10, c. 2, n. 12), putat aliquo modo ad fidem pertinere, docet praeter habitualem gratiam, quae *vitam*

et esse supernaturale dat animae, requiri concursum Dei supernaturalem actualem ad *singulas actiones salutares*, sicut et concursus ipsius naturalis requiritur ad singulas actiones naturales hominis viventis. Et revera textus plures Scripturae qui necessitatem gratiae probant (uti Philipp. 2. 12, 13), de ipsis quoque justis intelligi debent. Expresse dicit S. Augustinus (de nat. et grat., c. 26, n. 29), « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere ».

33. — **Obs. 2.** De quaestione, utrum gratia interna non solum illustrationis immediatae intellectus (quam fatentur omnes Catholici) sed etiam *inspirationis immediatae voluntatis* tanquam necessaria admittenda sit, vel an sufficiat admittere gratiam quae agat immediate in intellectum et mediate in voluntatem, nihil videtur expresse definitum (cf. Murray, d. 3, n. 112). Negaverunt aliqui theologi: sed communis sententia immediatam voluntatis inspirationem necessariam esse affirmat.

Art. 2. — De necessitate gratiae ad initium fidei et salutis

34. — **Praenotanda.** — I. Semipelagiani ita dicti quia Pelagii errores quasi dimidiarunt, vocati sunt etiam « reliquiae Pelagianorum », necnon « Massilienses » ab urbe Massilia in Gallia in qua frequentiores existebant. Imo Joannes Cassianus, dictus « Collator », fautor praecipuus erroris (nominatim in Collatione 13, de Providentia Dei: M. 49. 914, sqq.), abbas fuit monasterii S. Victoris in ista urbe.

Cum Catholicis admittebant Semipelagiani peccati originalis existentiam, ac necessitatem gratiae ad incipiendum et perficiendum opus salutare, juxta professionem orthodoxam contra Pelagianos (« omnium... operum... quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum esse auctorem »: in epist. S. Coelestini P. ad Galliae episcopos, c. 12, n. 14). Attamen inter opera salutaria non computabant *initium fidei et salutis:* quemadmodum in aegro voluntas adhibendi medicum vel certa de ejus peritia et remedii efficacia concepta fiducia non censetur pars esse aliqua curationis. Cum ergo natura humana non adeo per peccatum originale depravata et infirmata ipsis videretur, ut non posset a seipsa, tanquam homo aeger, velle et desiderare sanitatem, ideo Semipelagiani cum Pelagianis consentiebant in neganda *necessitate gratiae* interioris *ad initium fidei et salutis*, quamvis admiserint quandoque, ut in S. Matthaeo et S. Paulo, bonam voluntatem naturalem a gratia

fuisse de facto praeventam. — Obiter hîc notandum est, propositionem quartam inter quinque famosas Jansenii (infra, n. 120) damnatam esse ut *falsam* quatenus affirmat Semipelagianos necessitatem gratiae interioris ad fidei initium admisisse. Cf. Palmieri, thes. 38.

35. — II. Per « initium fidei » non intelligebant Semipelagiani fidem formalem, quam gratiae tribuebant sed *fidem inchoatam*. Haec includit *actum intellectus* quo, perpensis motivis per gratias externas revelationis et praedicationis propositis, homo judicat credendum esse, et *actum voluntatis* imperantis fidem formalem. Quoad actum intellectus admittebant cum Pelagianis (aliquando saltem) illustrationis internae gratiam ad majorem facilitatem: voluntatem autem credendi seu *pium* quem vocabant *credulitatis affectum* naturae solius esse docebant. Huic initio fidei succedunt et connectuntur, juxta ipsos, 1. simplex voluntas vel complacentia in sanitate per Christum acquirenda, 2. desiderium sanitatis, 3. conatus inefficaces surgendi, 4. actus quo voluntas exclamat, pulsat et dexteram sibi porrigi postulat. Deinde propter haec opera *naturalia*, quae censebant esse *meritoria de congruo*, gratia ad opus bonum salutare incipiendum et perficiendum tanquam *merces* a Deo conceditur. Cf. Kilber, nn. 188, sqq.

36. — III. Adversus haeresim Semipelagianam scripsit praecipue S. Augustinus (qui, de praedest. sanct., c. 3, fatetur se in eodem errore de necessitate gratiae ad fidei initium ante episcopatum versatum esse); item ipso mortuo, S. Prosper Aquitanus. Instante autem S. Prospero cum S. Hilario Arelatensi, scripsit S. Coelestinus P., circa an. 431, epistolam (21) ad episcopos Galliae (M. 45, 1755) ad S. Augustini doctrinam comprobandam: sed controversia adhuc per fere saeculum agitata fuit, donec auctoritate S. Sedis (an. 529) a S. Caesario Arelatensi convocata est Synodus Araüsicana II (Orange: Denz. 114, sqq.), cujus canones contra errores Semipelagianorum a Bonifacio II anno insequenti approbati sunt, et Semipelagiani se subjecerunt. Acta hujus synodi et responsio Bonifacii exhibentur apud Migne, P. L., 45, col. 785, sqq. — Postea Concilium Tridentinum Semipelagianorum errores iterum reprobavit (sess. 6, cann. 2, 3, de justif.: jam cit, n. 22, annot).

37. — Propositio. Ad initium fidei et salutis necessaria est gratia interna.

Prob. I. Verba Jo. 6. 44, « Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum » tribuunt simpliciter gratiae divinae fidem salutarem; atqui in doctrina Semipelagianorum fides

non tribuitur simpliciter gratiae, sed homo ex seipso, naturali conatu ac desiderio, solis naturae viribus eam mereri dicitur; ergo doctrina ista rejicienda est.

38. — **II.** Ex Apostolo, Deus est, qui ita operatur in nobis velle et perficere (Philipp. 2. 12), ut in negotio salutis ne una quidem bona cogitatione possimus potiri (2 Cor. 3. 5); atqui id in Semipelagiana hypothesi foret falsissimum, cum fides inchoata non unam sed plures cogitationes necessario involvat; ergo.

39. — **III.** Ex Ephes. 2. 8-10, « Gratia enim estis salvati per fidem et hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Non ex operibus ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu ». — His verbis docet Apostolus justificationem et inchoatam nostram salutem per fidem 1. (negative) non esse a nobis ipsis, nec ab operibus nostris naturalibus, adeo ut nullus relinquatur glorificationis propriae locus : sed 2. (positive) esse absolute donum Dei et ex ejus gratia, ac veluti creationem ex nihilo; atqui haec doctrina falsa esset, si initium fidei et salutis haberi possit absque gratia, vel si opera naturalia mereri possent fidem salutarem; ergo ad initium fidei et salutis necessaria est gratia.

40. — **IV.** Ex aliis S. Pauli verbis, 1 Cor. 7. 25, « Misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis », contra Semipelagianos argumentatur S. Augustinus (de praedest. sanct., c. 2, n. 4), « Sciebat [Apostolus] non se initium fidei suae priorem dedisse Deo, et retributum sibi ab illo ejus augmentum; sed ab eo se factum fidelem, a quo et Apostolus factus est. Nam scripta sunt etiam fidei ejus initia..... Aversus quippe a fide quam vastabat, eique vehementer adversus, repente est ad illam gratia potentiore conversus... Donatum quippe illi erat a Christo, non solum ut crederet in eum, verum etiam ut pateretur pro eo (Philipp. 1. 29) ».

41. — **V.** Ex Patribus antiquioribus citari potest *S. Clemens Rom.* (1 Cor. 32. 3, 4), « Ii ergo omnes gloriam et amplitudinem consecuti sunt non per seipsos aut opera sua aut justas actiones, quas fecerunt, sed per voluntatem ejus. Et nos igitur, ex voluntate ejus in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justificamur neque per sapientiam nostram aut intelligentiam aut pietatem aut opera, quae in cordis sanctitate operati sumus, sed per fidem, per quam omnipotens Deus ab initio omnes justificavit ». Et *S. Ignatius M.* (ad Smyrn., 11. 1), « Dei voluntas me dignata est, non juxta conscientiam meam, sed ex gratia Dei, quam perfectam mihi dari opto, ut per orationem vestram Deum consequar ». Item *S. Irenaeus* (l. 3, c. 20, n. 3), « Paulus infirmitatem hominis annuntians ait : Scio enim quoniam non habitat in carne mea bonum (Rom. 7. 18), significans, quoniam non a nobis, sed a Deo est bonum salutis

nostrae ». *Tertullianus* quoque (de anima, c. 22), « Non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non inseratur; et bona malos dabit, si non colatur..... Haec erit vis divinae gratiae, potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem ». Ac *S. Gregorius Naz.* (hom. 37, n. 13), « His verbis [Rom. 9. 16, « Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei »] docet Paulus, quod ipsum etiam recte velle, divino auxilio indigeat; imo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa et electio eorum, quae recte et cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Quod enim salvamur, id et a nobis et a Deo esse oportet ».

Nominatim *S. Joannes Chrysostomus*, quem Calvinus et Jansenius Semipelagianismi accusant, dicit (hom. 12 in 1 Cor. nn. 1, 2), « Nihil ex te habes, sed a Deo accepisti..... Ergo cum acceperis habes, non hoc vel illud, sed omnia quae habes. Non enim..... », etc., ut supra (n. 29). Et alibi (hom. 69 in Matth., n. 2), « Vocatio et purgatio ex gratia sunt; vocatum autem et puris indutum vestibus manere, et haec servare, id ex vocatorum cura et studio proficiscitur. Vocamur autem non ex merito, sed ex gratia ». Etiam (hom. 4 in Ephes., n. 2), « Ne fides quidem, inquit, est ex nobis: nam si non venisset, si non vocasset, quomodo potuissemus credere?..... Hoc ipsum est Dei donum, ne quis glorietur, ut nos gratos efficiat circa gratiam ». Eodem aevo *S. Leo M.* catholicam doctrinam lucide tradit (serm. 11, c. 1), « Ad quam [imaginem sui] utique quotidie nos reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo erigitur in secundo. Causa autem reparationis nostrae non est nisi misericordia Dei: quem non diligeremus, nisi nos prior ipse diligeret, et tenebras ignorantiae nostrae suae veritatis luce discuteret..... Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem nos reparat, et ut in nobis formam suae bonitatis inveniat, dat unde ipsi quoque quod operatur operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suae caritatis inflammans; ut non solum ipsum sed etiam quidquid diligit diligamus ». — Petavius (de Deo, l. 9., cc. 4, 5) Patres Graecos a Semipelagianismo vindicat.

42. — **VI.** Ratione theologica. — 1. Ad quodlibet opus salutare gratia necessaria est; atqui inter opera salutaria maxime computandum est initium fidei, seu « pius credulitatis affectus »: cum enim fides totius salutis basis et fundamentum sit, ab inchoatione ejus bonorum operum series ac salus omnino dependent; ergo ad initium fidei gratia requiritur. — 2. Ex dictis (n. 24), homo absque gratia se habet in ordine salutari velut mortuum, qui renasci ac veluti creari indiget, quique proinde sine gratia nihil est; atqui

qui ita se habet, nullius motûs supernaturalis est capax, nec potest salutare opus vel perficere, vel etiam inchoare; ergo. — 3. Argumentatur S. Coelestinus P. (epist. 12, ad episcopos Galliae, c. 11) ex orationibus publicis ecclesiae pro conversione infidelium, Judaeorum, haereticorum, schismaticorum, et peccatorum universim, uti hodie fit in officio Parasceves: etenim, cum « legem credendi lex statuat supplicandi » (quae sunt verba ipsius Pontificis), preces istae fidem ecclesiae de necessitate gratiae ad initium fidei et salutis ostendunt.

Solvuntur Objectiones

43. — Obj. 1. Scriptura dicit (Prov. 16. 1), « Hominis est animam praeparare »: (Zach. 1. 3), « Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et ego convertar ad vos »: necnon (Jac. 4. 8), « Appropinquate Deo et appropinquabit vobis »: (Jo. 16. 24), « Petite et accipietis »: denique (Matth. 25. 15) homo peregre proficiscens dedit servis talenta « unicuique secundum propriam virtutem »; atqui hi textus et multi alii, qui confirmantur exemplis Zachaei (Luc. 19. 2), Cornelii (Act. 10), etc., tribuunt homini primas partes in negotio salutis; ergo gratia non est necessaria ad initium fidei et salutis.

Resp. *Dist. Min.* Isti textus tribuunt primas partes homini gratia praeveniente excitato, seu tum homini tum gratiae, *conc.;* tribuunt primas partes soli homini ad exclusionem gratiae, *nego.* — Scriptores scilicet sacri, qui sibi invicem contradicere nequeunt, ex duabus causis rei, unam prae alia pro diverso scopo ob finem particularem sibi intentum commemorant, nec ideo negant aliam causam. Aliquando scilicet extollunt gratiam ne homines nimis sibi fidant, aliquando actionem hominum, ne desides fiant. « Unde, ut monet Concilium Tridentinum (sess. 6, cap. 5: Denz. 679), in sacris litteris, quum dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, *libertatis nostrae* admonemur; quum respondemus: Converte nos Domine, ad te, et convertemur, Dei nos *gratia praeveniri* confitemur ».

44. — Obj. 2. Si homo ex se nihil potest etiam ad desiderandam salutem, infideles sunt excusabiles; atqui ex Apostolo (Rom. 1. 20) hoc falsum est; ergo.

Resp. *Nego Maj. Positivi* enim infideles rejiciunt gratiam: culpabiles sunt autem *negativi* non quidem ob defectum fidei, sed ob peccata actualia, quae impedimento sunt ad gratiam fidei; aut certe ob peccatum originale excluduntur a facie Dei in gloria.

Ita S. Thomas (2. 2, qu. 10, a. 1)), « Damnantur quidem propter alia peccata, quae sine fide remitti non possunt; non autem damnantur propter infidelitatis peccatum ». Et (Ib., ad 1), « Habere fidem non est in natura humana: sed in natura humana est, ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, et exteriori veritatis praedicationi ».

45. — Obj. 3. Si prima gratia confertur sine respectu ad conatus naturales voluntatis, Deus est acceptor personarum; atqui hoc repugnat doctrinae Scripturarum (v. g. 2 Paralip. 19. 7; Act. 10. 34; Rom. 2. 11; Galat. 2. 6; Ephes. 6. 9; Coloss. 3. 25); ergo.

Resp. *Nego Maj.* Ibi enim tantum habetur acceptio personarum, ubi in distributione bonorum, excluditur ille qui *jus* habet: nemo autem jus ex se habet ad bonum supernaturale.

46. — Obj. 4. Deus homines libero instruxit arbitrio; atqui hoc intelligi nequit, nisi homines ex se possent saltèm optare sanitatem; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Deus instruxit homines libero arbitrio ad ea quae sunt ordinis naturalis et intra quosdam limites, *conc.;* ad ea quae sunt ordinis supernaturalis, *subd.:* ut libere gratiae praevenienti consentiant, *conc.;* ut praeveniant gratiam, *nego.*

47. — Obj. 5. Est axioma receptum, « Facienti quod in se est (naturae scilicet viribus) Deus non denegat gratiam »; atqui axioma ita intellectum significat hominem sine gratia se disponere posse ad gratiam; ergo ad initium fidei et salutis non est necessaria gratia.

Resp. *Dist. Maj.* Ita interpretantur axioma plures (v. g. ex recentioribus, Perrone, Schouppe, Jungmann, Hurter, Pesch, etc.: imo, juxta Lessium, antiquiores scholastici uno alterove excepto), *conc.;* ita omnes, *nego:* aliqui enim sic explicant: « Facienti quod in se est *gratiae auxilio*, Deus non denegat gratiam ulteriorem ». Cf. Palmieri, thes. 34.

Dist. Min. Axioma priori modo intellectum significat hominem sine gratia se disponere posse ad gratiam negative, *conc.;* positive, ut voluerunt Semipelagiani, *nego.* Quod ut explicetur, sit

48. — **Scholion de sensu axiomatis: « Facienti quod in se est... etc. ».** — Sic explicat illud Cercià (lect. 3, p. 336): « Facienti quod in se est per vires tantum naturae in facilioribus, et viribus naturae per gratiam medicinalem, seu auxilia ordinis naturalis adjutae in difficilioribus, et ubi gravis aliqua tentatio obveniat; Deus *non denegat gratiam:* nimirum proprie dictam ac *supernaturalem*, per quam salutem possint assequi. — Advertunt autem [theologi] ideo non dici eo axiomate: Facienti quod in se

est, *Deus dat gratiam;* quod ista phrasis aliquam meriti rationem, proportionem, aut positivam dispositionem importare videretur, ac sensum redderet semipelagianum: sed ea formula efferri: *non denegat gratiam*, nempe neque ex merito, neque ex positiva dispositione, aut ex ulla proportione inter opera et gratiam, ast *ex suo gratuito beneplacito;* et quidem non statim, sed serius ocius, aut etiam in extrema vitae periodo, quandocumque Deo visum fuerit: unde indefinite dicitur: *non denegat*, quovis demum tempore id contingat ». — Rem illustrat Schouppe (n. 113) hoc exemplo. « Suppono..... Principem, qui gratuito velit quemdam hominem sibi in famulum assumere, ideoque jubeat illum ad se venire: si veniat ille bene lotus et mundatus, admittetur in famulum; sin sordidus, non admittetur. In primo tamen casu, id quod movet Principem ad hominem admittendum, non est ullo modo ejus mundities; sed alia causa, puta ipse filius Principis, qui pro tali homine admittendo patrem enixe rogavit ».

Inst. Ex S. Thoma (de Verit., qu. 14, a. 11, ad 1) certissime tenendum est, quod Deus homini silvestri legem naturalem servanti fidem et salutem etiam per miraculum procuraret; atqui hoc supponit talem hominem se disponere; ergo non est necessaria gratia ad initium salutis.

Resp. *Dist. Maj.* Et hoc, ut dicit S. Doctor, « pertinet ad Dei *providentiam* » et liberam voluntatem, *conc.;* hoc exigitur ex aliquo *merito operum naturalium*, quasi essent positivae dispositiones, *nego:* subjungit enim S. Thomas, « dummodo ex parte ejus [hominis] non impediatur ».

Dist. Min. Hoc supponit hominem se disponere negative, *conc.;* positive, *nego.* Alibi dicit S. Doctor (contra gent., l. 3, c. 160), « Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat..... Illi soli gratia privantur qui in seipsis gratiae *impedimentum* praestant; sicut, sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit nisi lumine solis praeveniatur ».

49. — Obj. 6. Ex plurium theologorum sententia, Angeli gratiam majorem vel minorem juxta proportionem naturalem receperunt; atqui idem rationabiliter infertur quoad homines; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Tanquam ex merito *operum naturalium*, *nego* (creduntur enim Angeli *creati* in gratia: cf. de Deo Creatore, n. 62); propter naturam singulorum Angelorum quam a Deo sortiti sunt, *subd.:* Deus ex liberrimo sapientiae suae consilio majores iis gratias contulit, qui ad sublimiora munera destinati sunt et praestantiores naturas receperunt, *conc.;* id, tanquam *jus*, ex-

cellentia aliqua naturalis unius Angeli prae alio exigebat, *nego*. — Sed hoc omisso,

Nego Min. et Consequentiam. Etenim in praesenti statu humanae naturae revelante ipso Deo, ex cujus voluntate positiva pendet distributio gratiarum, initium omnis operis salutaris habetur a gratia, Cf. Murray, nn. 87, sqq.

50. — **Obs.** Ad loca aliqua Patrum antiquiorum, praesertim Orientalium (v. g. S. Joannis Chrys., hom. 12 in epist. ad Hebr., n. 3, «Nostrum quidem est, praeeligere et velle, Dei autem perficere..... »): 1. Fatendum est aliquos *minus caute* in hac re nonnunquam locutos fuisse, tum quia *a*) nondum excitatâ contra Pelagianos controversiâ, technologia accurata adhuc constituta non fuit; tum quia *b*) in scriptis polemicis toti erant in humana libertate adversus manichaeos aliosque tunc temporis haereticos vindicanda; tum demum *c*) quia in sermonibus moralibus, supposita in praesenti oeconomia collatione abundanti gratiarum, hortabantur praecipue fideles subditos ad ipsorum partes explendas et ad segnitiem deponendam. — 2. Hos vero Patres nostrae doctrinae reipsa non adversari, liquet tum *a*) ex eorum declarationibus explicitis (vid. verba S. Joannis Chrysostomi in probat.), tum *b*) ex eo quod in ipso Oriente doctrina Pelagianorum *novitatis* statim damnata sit.

51. — **Scholion de gratuitate gratiae actualis.** — I. Asserentes Jansenistae post Lutherum et Baium naturae humanae deberi a Conditore dona justitiae originalis, negaverunt gratuitatem gratiae: ita etiam aliquatenus (saltem de gratia actuali), Augustinienses: de quibus dictum est in tract. de Deo Creatore, nn. 157, 164. — Hîc praecipue agitur de Semipelagianis, qui cum docuerint in praesenti ordine opera mere naturalia gratiam, saltem primam, mereri posse saltem de congruo, gratuitatem gratiae rejecerunt (licet diversimode: vid. Perrone, nn. 212, sqq.), et ideo ab ecclesia damnati sunt, v. g. in Concilio Arausicano II profitente (Denz. 171): «quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis praecedentibus bonis meritis et fidem et amorem sui prius inspirat»; et can. 18, « Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur praecedit, ut fiant ».

II. Manifeste autem constat haec doctrina: 1. ex Scriptura sacra v. g. ex 1 Jo. 4. 19, « Deus prior dilexit nos »; ex 1 Cor. 4. 7, «Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?»; ex Rom. 11. 6, «Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia non est gratia»: imo ex tota hujus epistolae parte

dogmatica cujus argumentum est gratuitas gratiae: cf. Eph. 2. 8, « Gratia enim estis salvati..... »; etc. — 2. Constat etiam doctrina ex traditione ac praecipue ex S. Augustino, qui dicit v. g. (enarr. 2. in Ps. 30, serm. 1, n. 6), « Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non praecesserunt, sed beneficia Dei te praevenerunt ». — 3. Imo sequitur ex ipsa notione gratiae, et ex improportione absoluta et physica inter opera naturalia et finem supernaturalem.

III. Attamen licet ex hac doctrina homo *naturae viribus* gratiam salutarem scilicet primam actualem neque de condigno neque de congruo *mereri* aut impetrare possit, nec *positive* se ad eam *disponere* valeat: minime inde sequitur (ut ex citato axiomate « Facienti quod in se est... », liquet), hominem non posse 1. vel per opera *supernaturalia* ampliorem gratiam mereri (ut postea dicetur), vel 2. per opera etiam *naturalia* sese disponere *negative* ad gratiam supernaturalem, idque (ut ait Kilber, n. 287), « vel *removendo prohibens*, scilicet peccatum, seu potius evitando majorem indignitatem ex peccato orituram..... vel *ponendo aliquod facilitans exercitium salutarium operum*, nempe actus et opera virtutum naturalium, a quibus vel excluduntur habitus vitiosi, vel nascuntur habitus virtutum acquisiti ».

Art. 3. — De necessitate gratiae ad perseverandum

52. — **Praenotanda.** — I. Perseverantiae nomine hîc intelligitur, duratio seu continuatio in acceptae fidei et gratiae sanctificantis statu: Est vel *secundum quid* (imperfecta, seu alicujus temporis: de qua cf. S. Augustinus, « de dono persev. », c. 1), qua scilicet gratia sanctificans ad aliquod tantum tempus retinetur; vel *simpliciter dicta* (perfecta, finalis), per quam usque ad vitae finem in gratiae sanctificantis statu persistitur, a quantocumque demum tempore hic status inceperit: de hac sola hic agitur.

53. — II. Perseverantia *simpliciter dicta* distinguitur in *activam* et *passivam*, quam distinctionem explicat Murray, d. 5, n. 50. *Activa* est constantia adulti in justitia accepta conservanda (bona vita) (1). Vocatur autem activa: quia justus in ea habenda non tenet se mere passive, sed etiam active, cooperando gratiae. — Perseverantia *passiva* est conjunctio mortis cum statu gratiae, et ita vocatur quia purum opus est Dei clementis et miserantis. Con-

(1) *Pure* activa, quam distinguit Murray, non est *perfecta*. Est enim per ipsum (n. 51) perseverantia eorum, « qui diu in bono firmiter perstiterunt et tamen postea ceciderunt et damnati sunt ».

sistit in opportunitate mortis eo momento, quo quis in statu gratiae reperitur. Hanc perseverantiam passivam esse magnum et *speciale* donum (de quo loquitur Scriptura, Sap. 4. 11, sqq., « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus ») dubitari nequit.

Huic dono perseverantiae passivae affine est, imo ex Suarez (l. 10, c. 8, n. 29) nonnisi accidentaliter et secundum gradum ab eo differt, privilegium *confirmationis in gratia*, quod nonnullis, ad singulare aliquod munus supernaturale (uti apostolatûs, aut maternitatis divinae) destinatis, tribuitur. Haec autem confirmatio, ex doctrina S. Thomae (de veritate, qu. 24, a. 9: quaest. disp.: edit. Lethielleux, t. 3, p. 441), praeter seriem gratiarum efficacium quae electis ordinariis conferuntur, importat *custodiam specialem* providentiae divinae, ac *virtutes speciales infusas* quibus intellectus ita illuminatur et voluntas in Dei amorem tam forte inclinatur, ut homo, quin amittat libertatem, aut possibilitate absolutâ peccandi careat, efficaciter a peccato mortali retrahatur.

54. — III. Quaestio est ergo tantum de perseverantia *activa*: nec tamen de hac spectata *quoad factum*, sed *quoad posse*: perseverantia enim activa *de facto*, seu « cum effectu », quae nonnisi in idea sejungitur a perseverantia passiva, pertinet ad « magnum donum » et est certe gratuita. Hominem justum *non posse sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare*, definivit Concilium Tridentinum, sess. 6, can. 22 (Denz. 714), idque ut notat Tournely (qu. 4, a. 10, post obj. 4), ut vindicaret « fidem ecclesiae ab errore Semipelagianorum, quem ipsi exprobabant Novatores ». Per istud « *speciale* auxilium » quo possit justus perseverare, non intelligunt theologi (saltem communiter) auxilium singulare distinctum a gratiis ordinariis, sed *gratias omnes actuales* nedum efficaces sed et mere sufficientes, seu summam, collectionem et jugem subministrationem earum. Haec collectio gratiarum dicitur auxilium *speciale* ut discriminetur tum ab auxilio generali *naturalis concursûs* tum *a gratia habituali* quae per se insufficiens est ut justus perseverare possit (cf. Palmieri, thes. 36, n. 9; Suarez, n. 60). Hoc sensu intellectus canon praefatus Concilii Tridentini eo recidit, ut asserat *necessitatem gratiae actualis* ad perseverantiam activam, et haec necessitas mox probanda est.

55. — IV. Utrum hanc gratiae actualis necessitatem Semipelagiani revera negaverint vel quatenus, non convenit inter auctores. — 1. Mediate quidem et *indirecte* adscribunt Semipelagiani perseverantiam activam viribus naturae, eo scilicet quod initium salutis a naturali merito congruo derivent; sed indirecte tantum, cum distincte doceant, ad omnia et singula opera salutaria requiri *auxilium* gratiae adjuvantis (cf. Palmieri, thes. 38).

2. Gratiae actualis *praevenientis* necessitatem ad perseverandi potestatem, videntur aliquibus auctoribus negasse Semipelagiani. Videlicet, cum in eorum systemate homo nondum justificatus naturae viribus fidem formalem et gratiam ad bonum opus incipiendum et perficiendum mereri possit, cumque non minus homini justificato adscribendum esse videatur (alioquin enim naturalia in justificatione amitterentur): ideo juxta eos, homo justus *per naturae vires* potest de momento in momentum mereri fidem et gratiam ad bene operandum et sic sine speciali auxilio gratiae *praevenientis* potest perseverare in finem (cf. Murray, n. 54, et Suarez ab eo cit.).

3. Alii tamen putant Massilienses necessitatem gratiae non tantum adjuvantis sed et praevenientis admisisse ad omnia et singula opera salutaria post initium ac proinde ad perseverantiam activam. Ita Palmieri, pp. 334, sqq., qui, inspectis scriptis S. Augustini contra Semipelagianos, censet eorum de perseverantia errorem fuisse, quod voluerint, « homines justificatos et gratia Dei adjutos ita posse perseverare ut *citra ullam specialem auxiliorum praedestinationem Dei*, actu perseverantiam consequerentur qui vellent, non consequerentur qui nollent ». Ita Kilber, n. 193, « sicut Adamo datum fuit adjutorium, quo poterat perseverare, si vellet, ipsaque perseverantia fuit arbitrio ipsius relicta [ut docet S. Augustinus, de corrept. et grat., c. 11, n. 32]; ita et nunc nobiscum agi putabant [Semipelagiani], ut omnibus hominibus, qui fidem *naturae conatu* amplecti et Dei medentis auxilium implorare vellent, huic merito gratia retribueretur, qua perseverare possent, ipsâ interim perseverantiâ ipsorum arbitrio relictâ ». Haec vero doctrina videretur respicere perseverantiam non *quoad posse* sed *quoad factum*, et esset potius negatio gratuitatis *doni* perseverantiae ac praedestinationis divinae: hoc autem donum gratuitum esse ita ut merito condigno non subjaceat, postea dicetur.

56. — Propositio. Homo justus in praesenti statu sine speciali divinae gratiae praevenientis auxilio non potest in accepta justitia perseverare usque ad finem vitae.

Prob. I. Ad activam perseverantiam necesse est in praesenti ordine, ut quis plures tentationes graves superet: Scriptura enim sacra diversis locis exhibet homines ut « certantes » (1 Tim. 6. 12; Hebr. 10. 32), « colluctantes » (Ephes. 6. 12), « pugnantes » (1 Cor. 9. 26), « militantes » (Job. 7. 1; Ephes. 6. 13-17); atqui nemo (ut postea ostendetur) potest sine auxilio gratiae praevenientis graves tentationes superare; ergo ad perseverantiam activam requiritur gratia.

57. — **II.** Ex necessitate orationis *continuae*, quam docet Scripturae (v. g. Matth. 26. 41; Jo. 16. 24; 1 Thess. 5. 17) et inculcat ecclesia, argumentatur S. Augustinus (de dono persev. c. 2, n. 3), « Cur autem perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur, non ipsum dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate? » — Item ad verba Apostoli Rom. 8. 14, « Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei », observat S. Joannes Chrysost. (hom. 14 in Rom., n. 2), Apostolum non dixisse « quicumque Spiritum Dei *acceperunt* », sed « quicumque Spiritu Dei *aguntur* », quia nempe ad obtinendam per perseverantiam finalem filiorum Dei haereditatem prius illud non sufficiet. « Ne lavacri dono confisi, subsequens vitae institutum negligerent, dicit, te, etiamsi baptismum acceperis, neque postea Spiritu ducaris, collatam dignitatem et adoptionis praerogativam perdidisse ».

58. — **III.** Ex Patribus, adhuc citari possunt haec testimonia. Scribit *S. Hilarius* (in Ps. 118. 77: litt. 10, n. 15), « Naturae corporalis infirmitas eget miserationibus Dei. Neque enim beatae illius vitae aeternitatem consequi merito suo poterit, nisi miserationibus ejus, qui pater misericordiarum est, provehatur ». Item *S. Basilius* (hom. 20, de humil., n. 3), « Nihil unde gloriari queas, relictum est tibi, o homo, cujus videlicet gloriatio ac spes sita in eo sit, ut mortifices tua omnia, quaerasque futuram in Christo vitam: cujus cum habeamus primitias, jam in his sumus, omnino in gratia ac dono Dei viventes. Et Deus quidem est, qui operatur in nobis et velle et efficere, pro bona voluntate ». Ac *S. Gregorius Naz.* (hom. 37, n. 13), « Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo, qui det coronam..... Dei est, victoriam afferre, et incolumem scapham in portum perducere ».

59. — **IV.** Nequit justus in accepta justitia diu perseverare quin aliqua supernaturalia opera efficiat, nempe ea saltem quae legibus positivis praescribuntur omnibus; atqui nullum supernaturale opus efficere quis potest absque gratia actuali praeveniente; ergo ut possit diu in accepta justitia perseverare indiget aliquo auxilio distincto ab habituali gratia, qua instructus est. — Imo, si ad quemcumque actum, vel minimum, ordinis salutaris gratia Dei indiget homo, quanto magis ad seriem eorum qui usque ad finem vitae peragendi sunt?

Solvuntur Objectiones

60. — Obj. 1. Justus habet jus ad gloriam; atqui si speciali auxilio indiget ut ista gloria potiatur, jus irrisorium est; ergo non requiritur speciale auxilium.

Resp. *Dist. Maj.* Habet justus jus ad gloriam, actu tantum ac de praesenti, seu mobile et *conditionatum*, si nempe moriatur in gratia, *conc.;* jus etiam in futurum seu immobile et *absolutum*, *nego*. — Proinde *nego Min.*

Inst. 1. Gratia habitualis sufficiens est ad opera bona praestanda et peccata vitanda; atqui si ad perseverantiam requiritur speciale auxilium, gratia habitualis non est ita sufficiens; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Gratia habitualis est sufficiens ad bona opera facienda et peccata vitanda: in genere principii habitualis: idest non requiritur alia gratia habitualis, et haec dat pronitatem seu facilitatem ad actus, estque praeterea conditio necessaria, ut homo tanquam membrum vivum sub capite Christo, et tanquam palmes in vite opera meritoria producat, *conc.;* in genere principii actualis et relative ad infirmitatem hominis lapsi, praesertim ad tempus diuturnum, *nego.*

Inst. 2. Juxta effatum S. Augustini (de nat. et grat., c. 26), Deus suâ gratiâ semel justificatos «non deserit, si non deseratur» (quod mutuatur Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 11 : Denz. 686), homo dum justus est a Deo non deseritur; atqui qui a Deo non deseritur, habet omnem gratiam ad salutem necessariam; ergo omnis justus eo quod justus sit, habet semper gratiam sufficientem ad salutem, nec requiritur auxilium speciale.

Resp. *Dist. Maj.* Homo dum justus est Deum non deserit peccando graviter, nec ipse proinde *Dei amicitia* privatur, *conc.* (et hic est verus effati sensus: vid. Cercià, pp. 183-184); homo dum justus est nunquam privatur, idque juste ob negligentiam, superbiam, etc., gratiis *actualibus*, saltem abundantioribus et proxime sufficientibus, *nego.*

Contradist. Min. Qui a Deo non deseritur habet gratiam omnem requisitam ad salutem in genere principii habitualis et pro praesenti tempore, ita ut si moritur antequam Dei amicitia et gratia habituali privetur, certissime sit salvandus, *conc.;* habet omnem gratiam requisitam in genere principii actualis, et ad diu perseverandum active, *nego.* Hocque clarissime exponit S. Augustinus in contextu loci objecti: « Non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic et homo *etiam perfecte justificatus*, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut praestet etiam ne peccemus ».

61. — Obj. 2. Docent theologi catholici omnem hominem justum posse de momento in momentum mereri de condigno gra-

tias omnes necessarias ad vitanda peccata mortalia, seu ad perseverandum in accepta justitia; atqui haec est ipsa Semipelagianorum doctrina; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Docent Catholici, omnem justum posse mereri de condigno gratias efficaces seu cum effectu certe conjungendas, *nego;* docent eum posse mereri gratias sufficientes, *subdist.:* et hoc propter divina promissa et donum gratuitum gratiae habitualis, *conc.* (ex damnatione prop. 1 Jansenii, infra, n. 193); propter merita aliqua naturalia, *nego.*

Nego Min. juxta exposita. Semipelagiani enim docebant, 1. justitiam et salutem universam fundatam esse in merito naturali (saltem de congruo), et 2. hominem justificatum, si vellet (idest sine respectu ad praedestinationem Dei), mereri posse gratias *efficaces*, seu quae effectum consequentur. Negabant ergo Semipelagiani gratuitatem perseverantiae tum quoad auxilium (saltem indirecte), tum quoad donum, atque gratuitatem praedestinationis.

62. — Obj. 3. Frustra laborat quis ad obtinendum id quod non est in ejus potestate; atqui ex doctrina asserta perseverantia activa non est in hominis potestate; ergo ex ista doctrina, vanus est labor, ad perseverantiam activam seu ad bonam vitam aspirare: quod repugnat.

Resp. *Dist. Maj.* Frustra laborat quis ad illud obtinendum, quod nullatenus est in ejus potestate, vel proxima vel remota, *conc.;* ad illud obtinendum, quod est in potestate ejus saltem remota, licet non sit in proxima, v. g. ad abstrusam aliquam scientiam addiscendam, *nego.*

Contradist. Min. Perseverantia activa, eo ipso quod quis sit justus, non est in *proxima* ejus potestate, *conc.;* non est in potestate ejus *remota*, *nego:* de fide enim est, ut postea dicetur, omnem justum habere saltem mediate, seu orationis usu obtinendas, gratias vere et relative sufficientes ad justitiam conservandam: imo potest omnis justus gratiam perseverantiae finalis per opera eximia continua, et per orationem suppliciter emereri.

63. — Scholion de necessitate specialis auxilii ad perseverandum, pro diverso statu humanae naturae. — Praecipue propter infirmitatem et concupiscentiam corruptae nostrae naturae, in malum et peccatum semper pronae (Gen. 8. 21), jam justificatis necessarium est in praesenti statu ad potestatem diu in justitia perseverandi praeter gratiam habitualem, auxilium speciale gratiae *medicinalis.*

In statu vero *innocentiae* haec eadem necessitas non fuisset, licet et in illo quoque agnoscenda fuisset ut speciale donum Dei

ipsa perseverantia cum effectu, seu *quoad factum*, uti fuit in angelis bonis. Praeterea, in isto, non aliter quam in praesenti statu, ad opera *salutaria* efficienda absolute necessaria fuisset intellectui et voluntati humanis gratia *elevans*, quam S. Augustinus (de corrept. et grat., c. 12, n. 34: cf. de Gest. Pelag., c. 1, n. 3) « adjutorium *sine quo non* » vocat, et videtur constituere in gratia completa tum habituali tum actuali sufficiente. Ex S. Doctore, ipsi Adamo praeter « adjutorium *sine quo non* » datum non fuit aliud illud quod vocat « adjutorium *quo* », atque ab ipsius protoparentis arbitrio prorsus pendebat perseverantia sua activa. « Dederat [Deus Adamo] adjutorium, sine quo in ea [bona voluntate] non posset permanere, si vellet; ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio » (op. cit., c. 11, n. 32).

Utrum autem, si status innocentiae permansisset, hominibus datum fuisset praeter « adjutorium *sine quo non* », etiam « adjutorium *quo* », videtur resolvendum ex posterioris hujus nominis significatione. Si videlicet significat « adjutorium *quo* » gratiam *medicinalem*, ejus necessitas videtur neganda: si vero dicitur significare *collectionem omnium gratiarum actualium*, quibus sub praedestinatione divina electi ad aeternam gloriam perducantur, ejus necessitas spectatâ mutabilitate intrinsecâ voluntatis in omnibus viatoribus, necnon vitae diuturnitate cum obligatione plurima opera supernaturalia frequenter eliciendi, debet omnino admitti. — Cf. Palmieri, thes. 46, ubi falsam interpretationem duplicis istius adjutorii a Jansenistis invectam convellit.

CAPUT SECUNDUM

De Necessitate Gratiae Medicinalis, seu ad Opera moraliter bona efficienda

64. — Praenotiones. — I. Hactenus de necessitate gratiae ad opera *salutaria* efficienda dictum est: jam de ejusdem necessitate ad efficienda *opera moraliter tantum bona* agetur. — In omni autem opere moraliter bono duo, juxta S. Augustinum (l. 4, contra Julian., c. 3, n. 21) spectari possunt, *officium* scilicet et *finis*. *Officium* seu materia operis juxta eundem est id quod est faciendum, v. g. collatio pecuniae: quae utique fieri potest pauperi, aut a debitore, aut a misericordi, aut etiam a fure complici. *Finis* est id propter quod faciendum est. Ipse vero est duplex, nempe vel finis *operis* (proximus seu intrinsecus) ad quem actio ex sese, seu

ex natura sua ordinatur, qualis in eleemosyna est sublevatio pauperis : vel finis *operantis* (ultimus seu extrinsecus) quem agens pro suo *arbitrio* sibi proponit, v. g. gloriam Dei.

Relatio autem operis ad Deum, finem supremum operis boni triplex distingui potest, nempe formalis, virtualis, naturalis. *Formalis* aut actualis habetur cum quis actu refert opus quod facit ad Deum ultimum finem. *Virtualis* cum ex intentione ante habita, nunc in aliquo permanente (v. g. in habitu caritatis) et adhuc influente in actum, actus ipse in finem ultimum refertur. *Naturalis* habetur cum actus ponitur *ex objecto et omnibus circumstantiis honestus*, qui pondere veluti suo, absque ulla explicita intentione agentis neque actuali seu formali, neque virtuali, ad finem ultimum Deum refertur. — Jamvero (ait Suarez, lib. 1, c. 8, n. 4), « plus est bene moraliter operari, quam *actum moralem de se bonum facere:* hoc enim posterius fit per actum ex genere suo, ut aiunt, seu ex objecto bonum, etiamsi non recta intentione fiat, et ideo nemo unquam dubitavit, quin talis actus possit viribus naturae fieri, nam a pessimis hominibus fieri potest. Atvero ut quis bene moraliter operetur, necessarium est, ut actum faciat *undique honestum* ex fine, seu motivo [saltem implicito operantis], et omnibus circumstantiis : et de hoc actu procedit quaestio ».

65. — II. Circa potestatem naturalem hominis lapsi opera moraliter bona efficiendi, alii per defectum erraverunt vires naturales nimium deprimendo, alii per excessum nimis eas extollendo : inquirendum proinde est 1. (positive) quid homo lapsus citra auxilium gratiae efficere *possit*, 2. (negative) quid efficere *non possit*. Deinde propter controversias speciales tradenda sunt corollaria duo de Dei amore ac tentationum victoria.

Art. 1. — Quid homo lapsus citra gratiam efficere possit

66. — **Praenotanda.** — I. Vires naturae lapsae nimis deprimendo plures tum haeretici tum Catholici, sed non omnes in eodem gradu, docuerunt directe vel indirecte hominem lapsum non posse citra auxilium gratiae opus moraliter bonum efficere.

Novatoribus scilicet et Jansenistis, licet ex diversis principiis, videtur humana natura adeo per lapsum depravata, ut ad bonum morale praestandum nullatenus propria virtute sufficiat. — 1. Novatores nempe aiunt peccatum originale ita influere et vitiare singulas actiones hominis lapsi, tum justi tum peccatoris, ut ea fiant peccata, et ad poenam imputentur, justis quidem ut peccata venialia, peccatoribus autem et infidelibus ut mortalia. Ita Lutherus

(prop. 32 a Leone X damnata : Denz. 656), « Opus bonum optime factum est veniale peccatum ». — 2. Jansenistae vero, post Baium (propp. 35, 40 : Denz. 915, sqq.), docent omnem hominem lapsum agi in singulis actionibus amore seu delectatione dominante, vel coelesti (caritatis), vel terrestri (cupiditatis) : et cum teneant istam caritatem non esse nisi in iis qui jam crediderint, necessario inferunt actiones omnes peccatorum aut saltem infidelium amore cupiditatis regi et ideo peccata esse. Ipse quidem Jansenius videtur ad opus bonum praestandum seu ad evitandum opus malum, requirere caritatem proprie quidem dictam sed imperfectam : perfectam autem et habitualem exigit Quesnellus. Cf. Kilber (Wirceb.), de Virt. theol., n. 292.

67. — II. Catholici autem aliqui non eo quidem usque sunt progressi, minus tamen quam juxta communiorem theologorum sententiam decet viribus naturae attribuunt. — Scilicet 1. Augustinienses quidam (uti Norisius et Berti quos praecesserat Gregorius Ariminensis) ad quodlibet opus moraliter bonum efficiendum requirunt gratiam *actualem;* et in hoc differunt ab iis qui cum Quesnello caritatem et gratiam exigunt habitualem. — 2. Vasquez item ad omne opus moraliter bonum exigit *ex parte intellectus* cogitationem bonam, quam licet in se naturalem et ortam ex sensibus aut phantasia, *gratiam* vocat propter specialem ejus congruitatem et efficaciam sub providentia divina ad actum bonum voluntatis obtinendum : et notat se a Baio, docente (prop. 27 : Denz. 907) « liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere », differre, eo quod admittat voluntatem ad actus in individuo *indifferentes* valere. — 3. Ripalda demum docet nullum opus moraliter bonum fieri *de facto* in praesenti ordine sine gratia actuali, hoc tamen esse tantum consequenter ad legem Dei positivam, cum tale opus de jure fieri possit sine gratia. Cf. Mazzella, d. 2, a. 9.

68. — Propositio I. Fides non est necessaria ad omne opus moraliter bonum, nec omnia opera infidelium sunt peccata. — Propositio non est de fide, ad doctrinam tamen spectat Catholicam ex damnatione prop. 25 Baii (Denz. 905), « Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia » : cf. prop. 48 Quesnelli (Denz. 1263) ; Murray tamen (d. 6, n. 37) post Suarez (l. 1, c. 6, n. 9), censet possibilitatem bene moraliter operandi citra fidem, non adeo certe constare de idololatris et de atheis quam de aliis infidelibus (v. g. Mahumetanis), qui licet Christianam revelationem rejiciant, credunt tamen in unum verum Deum.

Prob. I. Scriptura nonnulla ethnicorum opera commendat, praemio aliquo digna exhibet, imo et consulit; atqui si totidem peccata essent, Deus remuneraturus esset peccata, Scriptura peccata celebrasset, peccata consuluisset, quod repugnat; ergo omnia infidelium opera non sunt peccata.

Major ostenditur ab auctoribus ex diversis Scripturae locis, ac praecipue ex Dan. 4. 24, « Peccata tua eleemosynis redime », quae verba ad regem infidelem Nabuchodonosor dicta sunt. — Argumentum ex Exod. 1. 20, 21, « Bene ergo fecit Deus obstetricibus..... et quia timuerunt... Deum, aedificavit eis domos », videtur Murray (d. 6, n. 27) esse nullum, cum ex ipso contextu viderentur istae mulieres in verum Deum Hebraeorum credidisse. Illud ex Ezech. 29. 20, « Dedi ei [Nabuchodonosori] terram Aegypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus », quod Murray (n. 30) putat argumentum valde probabile, quamvis difficultatibus non careat, videtur Jungmann (n. 133) esse infirmum: et revera Nabuchodonosor, ut advertit S. Thomas (1. 2, qu. 114, a. 10), non apparet expugnasse Tyrum « quasi volens Deo servire, sed potius ut sibi dominium usurparet », licet Deus consequenter victoriâ ejus ad bonos fines usus sit. Cercià (p. 95) argumentum sumit ex Gen. 20, ubi narratur infidelis rex Abimelech restituendo Saram Abrahae, non solum non peccasse, sed et meruisse ut ab ejus domo flagellum sterilitatis et mors ipsa averterentur.

Ad quaestionem, cur tam parum in Scriptura laudentur *opera bona naturalia* infidelium, respondet Murray (d. 6, n. 31) ejusmodi opera, utpote *sterilia*, non magis quam bonum cantum aut bonum saltatum ad scopum Scripturae plane supernaturalem pertinere.

69. — **II.** Ex Patribus (quos citat Bellarminus, de grat. et lib. arb., l. 5, c. 9) dicit S. Hieronymus (in cap. 1. epist. ad Galat.), « Multi absque fide et Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant ». Nec aliter S. Augustinus (v. g. Serm. 349, c. 2), « Licitam ergo caritatem habete; humana est; sed ut dixi, licita est..... Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros..... Sed videtis istam caritatem esse posse et impiorum, idest paganorum, Judaeorum, haereticorum ».

70. — **III.** Qui secundum conscientiae dictamen, dummodo non sit culpabiliter erroneum, agit, non peccat; atqui etiam infideles secundum conscientiae dictamen agere possunt (alioquin nec peccarent): neque eorum conscientiae dictamen semper est culpabiliter erroneum; ergo non omnium infidelium opera necessario sunt peccata.

71. — Propositio II. Gratia sanctificans non est necessaria ad omne opus bonum, nec omnia opera nondum justificatorum peccata sunt. — De fide contra Hussitas, Wickleffitas, Lutheranos et Calvinistas, ex Concilio Tridentino (sess. 6, can. 7 : Denz. 699), « S. q. d., opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, a. s. » : item contra Baium dicentem (prop. damnata 35 : Denz. 915), « Omne quod agit peccator vel servus peccati peccatum est ».

Prob. I. Ea opera nequeunt censeri mala, ad quae Deus in Scripturis peccatores hortatur; atqui Deus peccatores gratia sanctificante adhuc destitutos ad plura hortatur opera, ut fidei, poenitentiae, eleemosynae, etc.; ergo gratia sanctificans non est necessaria ad omne opus bonum.

Minor patet ex Scriptura, v. g. ex Ezech. 18. 30, ubi propheta in nomine Dei dicit peccatoribus, « Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris » ; item ex verbis Danielis ad Nabuchodonosor, « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum » ; ex Luc. 11. 41, « Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis », quae verba ad Pharisaeos (peccatores sane) dicta sunt ; necnon ex Act. 8. 22, ubi S. Petrus hortatur Simonem Magum ut peteret a Deo remissionem peccati.

II. Scripturae passim, textibus jam citatis et aliis (v. g. Ps. 50. 19; Zach. 1. 3), suadent, invitant et alliciunt peccatores ad poenitentiam spe veniae ; atqui in systemate Novatorum haec essent impossibilia, imo conatus peccatorum ad poenitentiam essent nova peccata, et redderent eos Deo magis odibiles ; ergo.

72. — III. Ex S. Augustino quem patronum sibi adversarii arrogant, haec citasse juvabit. Dicit (tr. 44 in Jo., n. 13), « Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram dimittens et pectus suum percutiens diceret : Domine, propitius esto mihi peccatori ». Ac (de spir. et litt., c. 28), « Ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur ». Item (tr. 83 in Jo., n. 3), « Ubi ergo caritas est, quid est quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse?..... Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam, qui non diligit ».

73. — Propositio III. Potest homo lapsus in uno vel alio actu bene moraliter operari sine auxilio gratiae. — Gratia hic intelligi

potest, vel supernaturalis quoad substantiam, et conclusio tunc, saltem quoad infideles, est communis et certa; vel de auxilio indebito sed entitative naturali, quo sensu quoad infideles est communior. Cf. Suarez, l. 1, c. 8. Huc spectant propositiones damnatae, Baii 37 (« Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit »: Denz. 917); Quesnelli 2 (« Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest »: Denz. 1217), et 39 (« Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se praecipitandum: virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali et incapax ad omne bonum »: Denz. 1254).

Prob. Sola ratio dicendi talem actum aliquando fieri non posse, esset, vel quia actus esset *per se* supra naturae vires, vel quia semper *ob extrinseca impedimenta* esset cuique homini nimis difficilis; atqui neutrum dici potest; ergo actus moraliter bonus aliquando sine auxilio gratiae fieri potest.

Prob. Min. per partes. — 1. Actus hujusmodi non est per se supra naturae vires. — Genus humanum etiam post lapsum, in naturalibus illaesum permansit; atqui naturale est homini, actum moraliter bonum facere: hoc enim nihil aliud est quam agere secundum rationem, seu id appetere quod lumen naturale intellectus monstrat; ergo non superat per se naturae vires.

2. Actum hujusmodi non esse semper ob extrinseca impedimenta nimis difficilem, patet ex experientia, v. g. quoad levem eleemosynam, vel reverentiam erga parentes. Cf. Bellarminus, l. 5, c. 9; Suarez, c. 9, n. 48.

Solvuntur Objectiones

74. — Obj. 1. (de infidelibus). Ex Apostolo, *a*) « Omne quod non est ex fide peccatum est » (Rom. 14. 23), item *b*) « Coinquinatis et infidelibus nihil est mundum » (Tit. 1. 15), ac *c*) « Sine fide impossibile est placere Deo » (Hebr. 11. 6); atqui nulla infidelium opera sunt ex fide; ergo omnia infidelium opera sunt mala.

Resp. *Dist. Maj.* — Ad *a*) Omne quod non est ex fide morali, seu ex persuasione practica conscientiae, est peccatum, *conc.;* quod non est ex fide theologica, *nego.* Agit videlicet Apostolus in isto loco de cibis prohibitis, quorum manducatio illos solos peccato

inquinat, qui distinctionem illam legalem ciborum mundorum et immundorum ex conscientiae dictamine agnoscunt. Nam dicit Apostolus immediate ante verba objecta, « Qui autem discernit [cibum a cibo], si manducaverit damnatus est : quia non ex fide. Omne autem quod », etc.

Ad *b*) Ex Apostolo, infidelibus improprie dictis (qui scilicet secundum leges abrogatas judaismi rem ex falsa fide ac persuasione superstitiosâ dijudicant), nullus cibus ex natura sua et in se (tanquam creatura Dei : 1 Tim. 4.), bonus est, *conc.;* nullus actus eorum moraliter bonus et honestus est, *nego.* Intellecta autem de infidelibus proprie dictis verba objecta contra adversarios retorquet Bellarminus (de grat. et lib. arb., l. 5, c. 10) : si enim *omnia* opera eorum qui carent fide, eo ipso sunt mala, e contra ex oppositione quam instituit Apostolus, opera « mundorum » qui fidem habent sunt bona *omnia,* quod admitti nequit.

Ad *c*) Sine fide theologica impossibile est placere Deo per bona supernaturalia, *conc.;* per opera moraliter honesta *nego.*

75. — Obj. 2. Verba Domini (Matth. 7. 18), « Non potest..... arbor mala bonos fructus facere », sunt omnino generalia ; atqui in sensu generali sumpta docent infideles et peccatores non posse ullum opus bonum efficere ; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* 1. Verba sunt omnino generalia quoad formam verborum, *conc.;* quoad sensum, *nego.* Similitudo enim ab ordine physico et necessario ad ordinem moralem et liberum translata non potest per omnia urgeri : aliter enim dicendum esset pari ratione, justos non posse unquam peccare, propter verba, « Non potest arbor bona malos fructus facere ». Proinde Christus hoc loco non certum indicium, sed *probabile* tantum *signum* tradere voluit (« non dicit, quid aliquando, sed quid *plerumque* » : Maldonatus), et docet, non posse falsos prophetas *diu* se ita sanctitatis simulatione tegere, quin aliquando, qui sub ovina pelle latet, lupus appareat.

Dist. Maj. 2. Non potest arbor mala bonos fructus facere, si nullum in se contineat elementum boni, et juxta elementum malum operetur, *conc.;* secus, *nego.* Infidelis vero aut peccator est arbor mala quatenus caret fide et gratia sanctificante, sed bona est arbor inspecta integritate essentiali quam retinet suae naturae, et juxta hanc poterit aliquid boni agere.

Dist. Min. Si per fructus bonos intelligantur opera meritoria vitae aeternae, infideles et peccatores non possunt ea efficere, *conc.;* si intelligantur opera moraliter bona, *nego.*

76. — Obj. 3. Ex Conc. Arausicano II can. 22 (Denz. 165), « Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum » ; atqui qui

sine auxilio gratiae efficeret opus moraliter bonum, haberet de suo aliquid praeter peccatum et mendacium; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* In ordine supernaturali, *conc.;* in ordine moralis honestatis, et in iis quae faciliora sunt, *nego.* Concilii enim scopus fuit damnare Semipelagianos, qui a propriis viribus fidei initium repetebant.

77. — Obj. 4. Dicit S. Augustinus (de spir. et litt., c. 3, n. 5), « Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via »: item (Ib. c. 14, n. 26), « Non enim fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit »; atqui haec dicta et alia similia, praesertim in opere contra Julianum (uti l. 4, c. 3, n. 22, « nullo modo igitur homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali »), manifeste supponunt omnia infidelium opera esse peccata; ergo.

Resp. — I. Difficultas haec est *hermeneutica*, ut scilicet dicta quaedam obscura cum aliis S. Augustini dictis et principiis, et cum Catholica, quam professus est, doctrina conciliantur. Praeter locum jam citatum in probatione (n. 69), hunc ex S. Doctoris epistola 138 (c. 3, n. 17) citasse sufficiet. « Primi Romani [rempublicam] constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quae illos etiam in aeternam civitatem posset *salubri religione* perducere; custodientes tamen quamdam sui generis probitatem, quae posset terrenae civitati constituendae, augendae, conservandaeque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo et praeclaro imperio Romanorum quantum valerent *civiles* etiam *sine vera religione virtutes*, ut intelligeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cujus res veritas, cujus lex caritas, cujus modus aeternitas ».

II. Multiplici autem sensu dicere potuit S. Augustinus, omnia infidelium opera esse peccata. — 1. Eo sensu quod sint *materialia peccata.* Omnis enim actio discrepans a norma debita, cujus obligatio ignoratur, dici potest peccatum *materiale.* Norma autem debita praesentis dispensationis est, ut opera omnia *ad finem supernaturalem dirigantur* per fidem. Proinde qui fidem non habent, istam normam ignorant et ab ea discrepant etiam in actionibus moraliter honestis. Hic sensus illustrari potest ex S. Doctoris enarratione in Ps. 31 (n. 4), « Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem; ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit ». Assimilatque deinde S. Augustinus hominem sine fide agentem navarcho qui nescit quo eat, et cursori currenti optime sed praeter viam. Cf. tract. 45 in Jo., n. 2 (brev. rom., hom. fer. 3 infra oct. Pentec.).

2. Etiam vocari possunt peccata actiones moraliter bonae

propter *defectum perfectae* illius *justitiae* et rectitudinis, quae fuit in statu innocentiae eritque in gloria coelesti, quae scilicet excludit vel *indeliberatam oppositionem* contra legem divinam. Hoc sensu « peccatum » vocat S. Paulus (Rom. 7. 8, sqq.) concupiscentiam. De qua quoque dicit S. Augustinus (de perf. just., c. 8, n. 18), « Non frenari, sed omnino *esse non debet*, nec erit in illa perfectione justitiae, ubi *nullum erit omnino peccatum* ».

3. Dici possunt opera infidelium etiam *formalia* peccata, non quidem semper et necessario, sed *plerumque* propter finem scilicet imperfectum operantis. Ita sese diserte explicat S. Augustinus (de spir. et litt., c. 27, n. 48), « Quaedam [« impiorum nec Deum verum veraciter justeque colentium »] facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus : quamquam, si discutiatur, *quo fine fiant*, *vix* invenientur, quae justitiae debitam laudem defensionemve mereantur ». Similiter (de civ. Dei, l. 19, c. 25) dicit virtutes paganorum non esse veras, tum quia ad Deum verum non referuntur, tum quia saepe vitio superbiae corrumpuntur.

4. Peccata etiam formalia sunt opera infidelium omnia *sensu reduplicativo*, ea scilicet opera quae operantur infideles quatenus sunt infideles, seu ex spiritu infidelitatis. Ita contra Julianum objicientem, « Si gentilis nudum operuerit, numquid, quia non est ex fide, peccatum est? », respondet S. Augustinus, « Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est ; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est : sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum » (l. 4, c. 3, n. 36).

III. Locorum ex opere contra Julianum explicationem hujusmodi proponit Perrone (nn. 151, sqq.) : Julianus ex principio pelagiano unum tantum ordinem eumque naturalem agnoscebat, et dicebat omnem hominem posse mereri vitam aeternam per naturalia opera honesta, dummodo intentione operantis ad aeterna dirigantur : directa enim ad temporalia, sterilia forent, licet bona ex objecto (quae Julianus « honesta » vocabat). Inferebat deinde S. Augustinus contra Julianum (per « reductionem ad absurdum »), omne opus ex omni parte bonum et honestum, esse debere ex Juliani hypothesi meritorium quoque et *salutare ;* reliqua autem opera, eo quod ex sola operantis culpa in sententia pelagiana carebant summa perfectione, esse proprio nomine *peccata*, nullaque dare in sententia Juliani opera mere sterilia. — Hinc concludit Perrone (n. 153), « alium prorsus sensum fuisse S. Augustino disputanti adversus Julianum, quum adhibuit voces *peccati* et *operis naturaliter honesti*, ab eo, quo easdem voces usurpat in aliis libris suis ». Videlicet, in libris contra Julianum propter rationes in-

dicatas, « nullos admittit actus [mere] bonos morales in infidelibus; sed, cum eos vocat *actus morales*, loquitur in sensu Juliani, et designat reipsa *actus supernaturales* ».

Inst. Ex S. Augustino, falsae sunt infidelium virtutes, v. g. pudicitia: ita in libro 1 de nupt. et concup. (c. 3, n. 4); ergo.

Resp. *Dist. Anteced.* Ex S. Augustino, virtutes infidelium sunt falsae, idest non conducentes ad vitam aeternam, utpote naturales, *conc.;* non sunt verae virtutes in ordine naturali, *subd.:* ut plurimum propter pravum finem operantis, *conc.;* semper, *nego.* Vid. Mazzella, nn. 450, sqq., qui plures alias difficultates ex S. Augustino solvit.

78. — Obj. 5. Omnes, ac proinde etiam infideles, juxta generale praeceptum (Marc. 12. 30, « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo »; 1 Cor. 10. 31 (« Sive manducatis... ») tenentur cunctas actiones suas referre in Deum ut bonae esse possint; atqui infideles, praesertim qui Deum non noverunt, neque ex caritate neque propter Deum tanquam finem ultimum agunt; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Tenentur actu infideles omnes actiones suas referre in Deum tanquam in auctorem gratiae, *nego;* tanquam in auctorem naturae, *subd.:* sive explicite sive implicite, *conc.;* explicite ac semper, *nego.* Imo plures negant esse praeceptum positivum hujusmodi etiam pro fidelibus.

Contradist. Min. Non agunt infideles propter Deum explicite, *conc.*, implicite, *nego:* si enim actio sit bona ex officio et fine proximo hoc ipso subordinatur amori Dei naturali.

ART. 2. — QUID HOMO LAPSUS CITRA GRATIAM EFFICERE NEQUEAT

79. — Asserta, praesertim contra Novatores et Jansenistas, potestate homini lapso relicta, qua solis naturae viribus sine gratia aut actuali aut habituali et sine fide valeat quaedam legis naturalis opera ex objecto et fine honesta aliquando praestare: jam contra Pelagianos ejusdem potestatis limites describendi sunt, et videndum est, utrum homo lapsus possit citra gratiam totam legem naturalem servare.

Pelagiani cohaerenter cum suis principiis de humana natura etiam post Adae peccatum perfecte integra, docuerunt hominem in praesenti statu posse sine gratia totam legem naturalem servare et omne peccatum vitare. Dixerunt videlicet teste S. Augustino (contra duas epist. Pelag., l. 4, c. 11, n. 31), « justos in hac vita vel esse vel fuisse qui sine ullo peccato vixerint, in tantum ut vita futura, quae in praemio speranda est, provectior et perfectior esse non possit ». Imo nedum *impeccantiam* dicebant esse

in potestate hominis naturali, si vellet, sed etiam *apathiam* seu immunitatem a concupiscentia, ut refert S. Hieronymus (epist. 133, ad Ctesiph., n. 1). Contra hos errores tenent Catholici, 1. hominem lapsum non posse sine gratiae auxilio totam legem servare, ita ut vitetur peccatum mortale, 2. nec posse sine speciali privilegio peccata omnia venialia vitare : quae duo capita distincte exponenda sunt.

§ 1. *De necessitate gratiae ad totam legem naturalem servandam*

80. — **Praenotanda.** — I. Servari possunt leges et praecepta vel *quoad substantiam* vel *quoad modum*. « *Quoad substantiam* », ait Bigeon (qu. 4, a. 1), « servatur praeceptum affirmativum quando exercetur actus praeceptus : negativum quando non exercetur actus prohibitus. *Quoad modum* vero utrumque servatur, quando in ejus observatione intervenit aliquis actus de condigno vel de congruo gratiae et gloriae meritorius, aut ad gratiam per se disponens ». Haec distinctio traditur a theologis communiter cum S. Thoma (1. 2, qu. 109, a. 4), ac Baii propositiones (61, 62) eam ut commentitiam rejicientes a S. Sede damnatae sunt (Denz. 941, 942).

81. — II. Ex jam probatis, certum est, nullum praeceptum legis naturalis quoad modum impleri posse sine gratia supernaturali. Certum pariter est, aliqua legis praecepta quoad substantiam operis observari posse sine gratia. Quaestio igitur est, an homo *totam legem naturalem* quoad substantiam operis sine gratia possit implere. Inquiritur autem (ut notat Sardagna, n. 313), de lege *pure naturali*, in quantum nimirum obligat ad actus naturales tantum : nam lex naturalis obligare potest ad actus etiam supernaturales, v. g. fidei, spei ac caritatis theologicae, qui certo fieri non possunt sine gratia. — Totius legis pure naturalis observantiam quoad substantiam impossibilem esse sine gratia aliqua, saltem medicinali et entitative naturali, theologi catholici, paucis aliquibus antiquioribus forsan dissidentibus, docent communiter. Ita S. Thomas (l. c.), « In statu naturae corruptae non potest homo implere omnia mandata divina sine gratia sanante ». Imo haec sententia dicitur a Suarez (l. 1, c. 26, n. 12) adeo certa, ut contraria jam non solum temeraria sit, sed etiam errori proxima : juxta Perrone (n. 43) « spectat ad fidem catholicam ».

82. — III. Observantiam totius legis naturalis homini lapso *physice impossibilem* esse citra gratiam, docent aliqui theologi : sed communior sententia denegat homini gratia privato potentiam tantum *moralem*, idque non quoad *singula mandata distributive* sumpta (nisi forsan gravis interveniat tentatio), sed quoad *omnia colle-*

ctive sumpta. Auctores qui physicam quique moralem tantum impotentiam asserunt, enumerat Murray (d. 4, nn. 17, sqq.), sed res videtur obscura. Argumenta quae probant hominem gaudere naturaliter potestate *physica* legem naturalem servandi, tradit Palmieri, thes. 20.

Ut intelligantur theologorum sententiae, notandum est eum laborare *impotentia physica*, qui caret vel principio vel virtute vel conditione physice praerequisita ad agendum : eum vero qui haec omnia habet, gaudere potentia physica. Ita v. g. homo ligatus laborat physica impotentia ambulandi, homo gratia privatus laborat impotentia physica actus supernaturalis eliciendi. *Impotentia* autem *morali* laborat ille, qui ob impedimentum extrinsecum praepeditur ne physicam potentiam quam habet reducat ad actum, qui vero hujusmodi impedimentis non laborat, gaudet potentia morali. Rem illustrat Suarez (l. c., c. 24, n. 32) ex potentia physica quae manui inest circulum perfectum delineandi, quae tamen potentia ex multis impedimentis nunquam ad actum, scilicet ad perfectam circuli delineationem, perventurus sit. « Quandoque vero », ait Perrone, n. 45, annot., « eo pervenit talis moralis impotentia aut difficultas, ut physicae seu absolutae aequivaleat ; cujusmodi ex. gr. esset homini sanae mentis nudum per vias incedere, se ex alta turri in terram dejicere, etc. ».

Plurimi auctores (v. g. Perrone mox citatus ; Franzelin, « de Habitud. Fidei et Rat. », pp. 617, 618 ; Jungmann, n. 132, ex eodem Franzelin ; Mazzella, « de Revel. », nn. 122, sqq. ; Hurter, n. 48) per difficultates extrinsecas intelligunt impedimenta *ordinis moralis*, seu ea quae intellectum et voluntatem respiciunt, actionemque *difficillimam* reddunt. Dicit autem Palmieri (p. 89), usu inductum esse « ut dicatur impossibile moraliter id quod nimis difficile est, ita ut nunquam aut fere nunquam contingat, sive ex moribus hominum sive ex aliis adjunctis id pendeat ».

His positis, quod rem praesentem attinet *potentia physica* (seu, ut quidam loquuntur, antecedens aut in sensu diviso) *legis servandi*, est ea (ait Murray n. 14) quae respicit ex una parte legem ipsam cum difficultate sua intrinseca, ex altera parte vires nostras naturales, quibus sola difficultas ista intrinseca superari potest : praescindit vero a difficultatibus extrinsecis, ortis v. g. ex statu peccati, aversione a bono, tentatione daemonum. Ita physice possibile est ut homo graviter offensus signa amicitiae adversario ostendat ; moraliter vero hoc persaepe difficillimum invenitur propter offensi superbiam et iram et alias circumstantias : pariter dicendum de obligatione rei alienae restituendae, etc. *Moralis* est *potentia*, cum hae circumstantiae considerantur.

83. — Propositio. Sine gratia homo lapsus non potest potentia morali totam legem naturalem diu servare, ita ut vitetur peccatum mortale.

Prob. I. Ex Rom. 7. 22, sqq., « Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum ». — His verbis docet Apostolus, veterem hominem lapsum, citra gratiam (« Quis me liberabit?..... Gratia Dei..... »), propter concupiscentiae rebellionem (legem quae est in membris) summa et miseranda difficultate laborare faciendi bonum quod ratio seu lex naturalis (lex mentis) dictat, peccatumque contrarium vitandi juxta dictum poetae (Ovidii, M. 7. 21), « Video meliora proboque, deteriora sequor ». Atqui difficultas illa et molestia quae ab homine lapso percipitur, quaeque, utpote ex concupiscentia orta, *moralis* est, opus bonum respicit non quatenus est *salutare* (supernaturalitas enim operis non percipitur naturaliter), sed quatenus est *moraliter bonum* et honestum. Ergo homo lapsus citra gratiam non potest potentia morali legem naturalem servare.

Obs. Etsi versiculus 25 secundum lectiones magis receptas (Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, « gratias ago Deo » ; vel χάρις τῷ θεῷ, « Deo gratias ») non *directe* asserat liberationem a concupiscentiae captivitate a sola Dei gratia sperandam esse (qui est sensus Vulgatae, « Gratia Dei per Jesum Christum ») : tamen aperte significat causam gratiarum actionis, in eo qui liberatur, per Jesum Christum ac proinde per ejus meritum et gratiam haberi. Cf. Beelen in loc. — Et ita explicant Apostolum SS. Patres, uti S. Joannes Chrys. (hom. 13 in Rom., n. 3), « Unde igitur spes salutis? Gratias ago Deo, inquit, per Jesum Christum Dominum nostrum. Viden' quomodo ostenderit necessarium esse gratiae adventum, communiaque esse Patris et Filii beneficia? Etiamsi enim Patri gratias agat, gratiarum tamen actionis causa est Filius ». Ac S. Augustinus (de grat. et lib. arb., c. 7, n. 16), « Et quis dat victoriam, nisi ille dequo dicit ipse S. Paulus : Gratias Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum? »

84. — II. In eadem ad Rom. epistola saepe docet Apostolus legem scriptam Judaeorum esse prae lege evangelica legem mortis et peccati; atqui hoc minime verum esset, si homines per proprias vires totam legem naturalem observare potuissent; ergo homines per proprias vires totam legem naturalem observare non possunt.

Major patet ex multis epistolae locis, v. g. 4. 15, « Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec praevaricatio » ; 5. 20,

« Nunc autem soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur ». Patet etiam ex Apostoli scopo, qui fuit convincere neophytos Judaeos non ex lege mosaica ab ipsis et patribus servata sibi justificationem meritos fuisse, sed prorsus ex Dei gratuito dono eam accepisse, proinde nec ipsis licere seipsos super gentiles conversos extollere.

Prob. Min. Apostolus dicit legem mosaicam non quidem in se objective malam, nec veram causam peccati respectu hominum esse, quippe quae a Deo est, peccati vero *occasionem* esse, eo scilicet quod, juxta effatum Ovidii (Am. 3. 4, 17), « Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata », *irritat concupiscentiam.* « Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces » (7. 7). Atqui si homo per proprias vires totam legem naturalem *potentia morali* servare potuisset, lex scripta quantumvis concupiscentiam irritaret aut esset occasio peccati, non foret ei lex peccati et mortis : potentia enim, juxta dicta, vocatur *moralis* relate ad concupiscentiam et *impedimenta moralia* quaelibet. Ergo si homo sine gratia haberet universim potestatem moralem legem servandi, illa lex non posset dici « lex mortis ». Proinde lex mosaica dicta fuit lex peccati, quia irritabat concupiscentiam hominum, quibus potentia moralis deerat totam legem naturalem *propria virtute* servandi, nec ullas vires novas eis praebebat. Ergo. — Cercià, Prolog. V, pp. 240, sqq. : Bellarm., l. 5, c. 5.

85. — **III.** Ex Sap. 8. 21, « Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum ; adii Dominum, et deprecatus sum illum ». — Inter praecepta legis naturalis est mandatum continentiae ; atqui ex verbis citatis, continentia est donum Dei, et ab ipso per orationem habenda est ; ergo ad totam legem naturalem servandam non sufficiunt vires naturae.

86. — **IV.** Ex Patribus antiquioribus, dicit S. Clemens Rom. (1 Cor. 38. 2), « Qui carne castus est, ne glorietur, cum sciat alium esse, qui continentiae donum ipsi tribuat ». Saepissime vero doctrinam nostram asserit S. Augustinus contra Pelagianos, de quibus dicit (de haeresibus, 88), « Hi Dei gratiae..... tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata » ; item (serm. 148, c. 5), « Haec decem praecepta nemo implet viribus suis, nisi adjuvetur gratia Dei ». Ex auctore operis « de vocatione gentium » (l. 1, c. 6), inter scripta S. Prosperi, hominis lapsi « voluntas vaga, incerta, mutabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus caeca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriae quam virtutum avidior,

famae quam conscientiae diligentior, et per omnem suam experientiam miserior fruendo his quae concupiverit, quam carendo, nihil in suis habet viribus nisi periculi facilitatem, quoniam voluntas mutabilis, quae non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni ». — Pariter ex epistola Synodi Carthaginensis (an. 416) ad S. Innocentium P. (M. 45. 1712), « Quicumque dogmatizat et affirmat, humanam sibi ad vitanda peccata et Dei mandata facienda sufficere posse naturam, et eo modo gratiae Dei, quae sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur..... anathema sit ». Vid. et canones 3, 4, 5, Concilii Milevitani II (Denz. 67, sqq.).

87. — **V.** Rationem theologicam suasoriam desumit Cercià (p. 63) ab *experientia*. Nam si vel posita gratia sanctificante et actuali, ac tot aliis subsidiis christianae religionis, tam pauci sunt qui se gravis culpae expertes tota vita custodiant; quid fiet in homine necesse est quem supponamus omnibus auxiliis ejusmodi destitutum, et solis naturae viribus relictum?

Solvuntur Objectiones

88. — Obj. 1. Ex Apostolo (Rom. 2. 14), « Gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt »; atqui naturaliter facere ea quae legis sunt, est totam legem naturalem sine gratia servare; ergo.

Resp. *Nego Min.* Etenim 1. verba « quae legis sunt » non significant *universam legem*, sed tantum quaedam eorum quae in lege continentur, et 2. vox « naturaliter » non significat « naturae viribus » sed « absque lege scripta », juxta Toletum, Bern. a Piconio, Beelen, Rosenmüller, etc.

Inst. S. Joannes Chrys. (hom. 5 in Rom., n. 5) dicit gentiles admiratione dignos esse « quia lege opus non habuere, et quae legis sunt omnia exhibuere »; ergo.

Resp. *Ad Anteced.* Dici possunt gentes infideles totam legem servasse, vel 1. implendo omnia quae ad unam aliquam legem (v. g. pietatis filialis) pertinent, ita ut in ea lege servanda nihil peccaverint, quin tamen servarent omnes leges, praesertim longo tempore (Bellarminus, l. 5, c. 6); vel 2. distributive, ita ut in tota gentilium collectione variae leges naturae observatae fuerint, non quidem omnes a singulis, sed a singulis aliquae (Tournely, t. 2, p. 202: quem sequuntur Charmes et Sardagna). — 3. Billuart autem (d. 3, a. 5) censet S. Chrysostomum de solis gentibus *fidelibus*, ac nominatim de Melchisedech, Job, Ninivitis, Cornelio, loqui: in qua explicatione nulla est difficultas. De cetero alibi

(loc. cit. supra, n. 83) declarat S. Joannes Chrys. necessitatem gratiae ad legem divinam servandam.

89. — Obj. 2. De lege divina dicitur Deut. 30. 11, « Mandatum hoc quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum »: item, Scriptura docet totius legis moralis observationem ab hominis voluntate pendere (ita Gen. 4. 7, « sub te erit appetitus ejus [peccati] et tu dominaberis illius »; Eccli. 15. 16, « si volueris mandata servare, conservabunt te »); atqui lex divina esset supra hominem, nec penderet ex ejus voluntate, si non posset eam naturaliter observare; ergo tota lex, saltem quatenus est naturalis, servari potest absque gratia.

Resp. *Dist. Maj* « Non supra te est », idest non est difficilis *cognitu* (ut dicitur in contextu, « nec in coelo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad coelum ascendere ut deferat illud ad nos..... Sed juxta te est sermo valde..... »), *conc.;* non est difficilis *quoad executionem*, *nego*, vel *subd.:* ope gratiae, *conc.;* solis naturae viribus, *nego.*

90. — Obj. 3. Dicitur de Cyro (Is. 44. 28), « omnem voluntatem meam complebis »; atqui qui omnem voluntatem Dei complet, totam legem custodit; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Dicitur Cyrus implere omnem voluntatem et consilium Dei de liberando populo a captivitate et de templo reaedificando, *conc.;* de lege naturali implenda, *nego.* Cyrus enim, quamvis Jehova veneraret, coluit simul idola, unde dixit Deus ad eum (Is. 45. 4), « non cognovisti me ».

91. — Obj. 4. Quod est necessarium non est liberum; atqui ex doctrina nostra necesse est ut homo sine gratia contra legem naturalem aliquando peccet mortaliter; ergo istud peccatum non esset liberum, seu non esset peccatum.

Resp. 1. *Dist. Maj.* Quod est necessarium necessitate physica, non est liberum, *conc.;* quod est necessarium necessitate morali, *subd.:* si necessitas haec ipsum actum determinatum afficiat, *trans.;* si non ipsum determinate afficiat, sed solum aliquem actum indeterminate, *nego.* — *Contradist. Min.*, juxta dicta. Cf. Palmieri, p. 241.

Resp. 2. *Dist. Maj.* Quod est necessarium absolute et in quacumque hypothesi non est liberum, *conc.;* quod est necessarium tantum *conditionate*, non est liberum, *subd.:* si conditionis positio nullo modo ex homine pendet, *conc.;* si ex homine pendet saltem remote, *nego.* — *Contradist. Min.* — Murray (d. 4, n. 26), post Antoine, Struggl, Gonet et alios, putat hanc responsionem meliorem esse saltem de fidelibus, qui semper possunt *orando* gratiam *proxime sufficientem* ad praecepti impletionem acquirere.

Inst. Homo lapsus sine gratia habet in singulis momentis potentiam *moralem* ad omnia praecepta legis naturalis distributive sumpta; atqui qui habet potentiam moralem ad singula habet etiam potentiam moralem ad omnia collective sumpta; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Habet potentiam ad faciliora, *conc.;* ad difficiliora, *trans.:* aliqui negant.

Nego Min. Ex ipsa enim *collectione* oritur difficultas, seu moralis impossibilitas: non quod facultas amittatur, sed quod ob hominis infirmitatem naturalem, minus probabile evadat debitum legis exercitium. Etenim, ut ait Bellarminus (l. 5, c. 6), « occurrunt aliquando *plura simul*..... Praeterea..... cum in opere laboratur, *vires paulatim deficiunt*, et facilius est brevi tempore, quam longo in opere perdurare. Itaque sicut non recte colliges, si dicas, potest homo aegrotus ambulare suis viribus mille passus, igitur poterit etiam duo millia; sic etiam non recte ratiocinantur, qui dicunt, Potest homo in statu naturae corruptae, in quo requiritur perpetua vigilantia et praemeditatio ad bene agendum, parvo tempore observare omnia mandata, poterit igitur et longo tempore ».

92. — Obj. 5. Lex naturae *intra limites naturae* ipso nomine continetur; atqui non esset intra limites naturae, si ad ejus impletionem homo potentiam moralem non haberet; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Eo sensu quod nihil continet, quod lumen rationis naturalis non *dictet*, *conc.* (ita tamen ut, citra revelationem divinam, juxta definitionem Concilii Vaticani, et probata in tract. de Religione revelata, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore, cognosci non possit); eo sensu quod nihil continet nisi quod *naturae viribus* impleri possit, *subd.:* si praecepta seorsum et ad breve tempus etc. spectentur, *conc.;* vel *trans.;* si collective, *nego*, saltem de potentia morali in praesenti statu.

Dist. Min. Non esset intra limites naturae, nisi ad impletionem *singulorum* praeceptorum legis homo potentiam non tantum physicam, sed et moralem saltem remote haberet, *conc.;* nisi potentiam haberet ad omnia collective, *nego.*

Inst. Status praesens humani generis, juxta communiorem sententiam non differt quoad naturalia a statu naturae purae; atqui in statu isto certe servari potuisset tota lex naturalis naturae viribus citra gratiam; ergo et in praesenti.

Resp. *Dist. Min.* Servari potuisset semper tota lex naturalis citra auxilium supernaturale, *conc.;* citra auxilium naturale (naturae scilicet debitum, etsi relate ad *singulos naturae individuos gratuitum*), *nego.* In statu ergo naturae purae fuissent, ut in praesenti, aliquo saltem gradu, difficultates et tentationes, et indi-

guisset homo auxilio aliquo quod quidem debitum fuisset *naturae toti* nec ad finem supernaturalem conducens, sed tamen respectu individuorum indebitum et *ideo per orationem impetrandum.* Cf. Franzelin, de Habitud. Fidei et Rat., pp. 620, sqq.; Murray, d. 2, nn. 92, sqq.

§ 2. *De Peccatis Venialibus vitandis.*

93. — **Praenotanda.** — I. « Posse hominem esse sine peccato, si vellet » consueta fuit formula apud Pelagianos, testibus S. Hieronymo (epist. 133, ad Ctesiph., n. 2) et S. Augustino: ac, praeter errores de peccato originali et de necessitate gratiae, id in Pelagianis exhorrebant omnes Christiani quod contenderint (ut ait S. Augustinus, contra duas epist. Pelag., l. 4, c. 10, n. 27), « esse in hac vita vel fuisse justos, nullum habentes omnino peccatum ». Contra hanc proinde impeccantiam pelagianam docuerunt Patres, nullum hominem in hac vita, excepto aliquo speciali privilegio, omnibus concupiscentiae motibus et tentationibus ita resistere ut nunquam vel venialiter peccet: quam doctrinam declaravit Concilium Carthaginense (Milevitanum II) cann. 6, 7, 8, anathematizando eos qui dicerent Christianos, dum sese juxta consilium Apostoli (1 Jo. 1. 8) peccatores fatentur, aut precantur, « Dimitte nobis debita nostra », actum tantum humilitatis, non veritatis declarationem agere (Denz. 70, sqq.). Cf. Palmieri, pp. 214, sqq.

94. — II. Hanc doctrinam iteravit Concilium Tridentinum definiendo sess. 6, can. 23 (cf. capp. 11, 12), « Si quis hominem semel justificatum dixerit..... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet ecclesia: anathema sit » (Denz. 715). — Ut innotescat sensus hujus canonis, qui (ut notat Mazzella, n. 344), *omnes* homines speciali privilegio carentes respicit, justos quidem primario et nominatim, reliquos autem a fortiori: proponit Cercià (p. 198) quinque quaestiunculas, 1. quid hoc loco veniat nomine peccatorum venialium; 2. cur dictum sit « peccata omnia etiam venialia »; 3. quantum tempus importet ea particula « tota vita »; 4. quanam impotentiâ citra speciale privilegium homo laborare dicendus sit, physicâne an morali; 5. quid sit illud speciale privilegium. Ad singula breviter respondendum est.

1. Concilium loquitur indiscriminatim de venialibus deliberatis ac semideliberatis seu subreptitiis, nec adest obligatio ex canone citato fide tenendi, hominem non posse citra privilegium vitare omnia peccata venialia *deliberata;* ac revera creduntur plures Sancti per auxilia ordinaria gratiae omnia peccata deliberata

per longum tempus vitasse (idque asserit Lancisius de Bellarmino ac, ab ingressu Societatis, de S. Joanne Berchmans).

2. Versatur definitio circa « peccata *omnia* venialia », idest *collective* sumpta : potest enim justus ope ordinariae gratiae vitare singula *distributive* sumpta.

3. « Tota vita » intelligenda est « de toto tempore quod *post primam justificationem* decurrit » usque ad mortem : et ille qui contenderet, non quidem totam vitam sed *longum tempus* posse citra peccatum transigi, non foret haereticus sed contradiceret sensui Concilii, quod per « totam vitam » voluit *longum tempus* significare. Ita Palmieri (pp. 229, 239), qui hanc interpretationem confirmat ex cap. 11 (Denz. 686), ubi Concilium commemorat levia et *quotidiana* peccata, in quae cadunt homines « quantumvis sancti et justi ».

4. « Non posse » de *impotentia morali* tantum intelligendum est, non de physica : est tamen impotentia simplex et antecedens, ita ut *nunquam* contingat (ait Palmieri, p. 237), « quod aliquis justus sine privilegio speciali evitet omnia peccata », alioquin definitio Concilii esset simpliciter falsa. Oritur haec impotentia (ut notat Murray, d. 5, n. 14) : *a*) radicaliter ex fomite peccati, *b*) ex defectu clarae intelligentiae, *c*) ex infirmitate voluntatis ad resistendum, *d*) ex ejusdem inconstantia ad perseverandum, *e*) ex tentatione daemonum ; sed ex dictis, non afficit aliquem *determinatum* actum.

5. *Privilegium* universim est exceptio aut exemptio a lege generali et odiosa : ac *speciale* dicitur, quando rarissime conceditur, ut immaculata conceptio vel sanctificatio in utero. Dantur quidem dona gratiae specialia *secundum legem*, uti perseverantia finalis, aut *supra legem*, uti confirmatio in gratia : privilegium autem est donum gratiae datum *contra legem*, quo fit (quod attinet praesentem quaestionem) ut privilegio donatus ab omni quocumque peccato eximatur. Lex enim generalis divinitus constituta est, non quidem ut homines peccent, sed ut non praeveniantur communiter loquendo donis aut auxiliis quibusdam extraordinariis, et ita permittantur ex humana fragilitate cadere in peccata plura venialia, quae singillatim auxiliis ordinariis vitare possint. Cf. Suarez, l. 9, c. 8, nn. 10, sqq. — Privilegium ergo hoc vitandi peccata venialia in hoc consistit, ait Cercià (p. 202), « ut restituatur homini naturae integritas sive *ab intrinseco*, restituta homini subjectione appetitus et hujusmodi aliis [per *exstinctionem* scilicet aut *ligationem fomitis*], sive saltem ab *extrinseco*, coërcitis adversis motibus, vel statim praeoccupatis », per auxiliorum efficacium ministrationem continuam. Cf. Palmieri, p. 241. — Manet ergo sensus verus ca-

nonis (ait Murray, n. 14), nempe: « Homo justus, sine speciali privilegio non potest pro longo tempore vivere, quin per illud tempus in aliquod vel aliqua peccata venialia, aut perfecte aut imperfecte deliberata inciderit ».

95. — III. Hactenus de *possibilitate* peccati omnis etiam venialis vitandi: si autem de *facto* inquiritur, censet Palmieri (p. 235), certo contineri in revelationis deposito, justos *generatim* peccata omnia etiam venialia nec per totam vitam nec per longum vitae spatium vitare, ac proinde non habere privilegium praedictum; imo dicit hanc doctrinam esse de fide definitam, non quidem directe in Concilio Tridentino, quod de sola potestate agit, sed in Concilio Carthaginensi cujus canones ab Apostolica Sede in epistola «tractoria» S. Zosimi (M. 45. 1730) confirmati auctoritatem infallibilem habent (1).

Porro praeter Beatam Virginem, quam, ut notat Tridentinum (can. cit.), universalis ecclesia tenet ab omni peccato immunem, negant jam theologi universim ullum merum hominem accepisse privilegium vitandi omnia peccata venialia. Cum enim agitur de privilegio, quod per se est contra legem generalem, et exceptionem importat ab universalibus Scripturae et Traditionis locutionibus: nihil absque Scripturae ipsius, ecclesiae ac Patrum auctoritate admitti potest, quae fere nulla est circa reliquos omnes extra Virginem, ut ait Suarez (l. 9, c. 8, n. 24). Aliqui quidem excipiunt etiam Jeremiam Prophetam et S. Joannem Baptistam, argumentis tamen infirmis juxta Murray (n. 23). Gerson et Segneri (apud Thompson, « Life and Glories of St. Joseph », c. 8) tribuunt S. Josepho immunitatem a concupiscentia et proinde a peccato veniali saltem *in materia castitatis*, id quod Mazzella (n. 352, annot., post Suarez) probabilissimum censet propter decentiam Virginis et alias congruentias.

96. — Propositio. Non potest homo justificatus in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio.

Prob. I. Ex S. Scriptura omnes justi, ordinariis gratiae auxiliis adjuti, saepe in aliqua peccata labuntur; atqui hoc intelligi nequit de peccatis mortalibus, in quae justi non saepe labuntur; ergo secundum legem communem et citra speciale gratiae donum nemo vivit immunis a peccato veniali.

Major ostenditur ex Eccles. 7. 21, « Non est enim homo justus

(1) Scribit S. Prosper (contra Collat., c. 21), « Africanorum conciliorum decretis beatae recordationis papa Zosimus sententiae suae robur annexuit, et ad impiorum destructionem gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum ».

in terra qui faciat bonum et non peccet »; ex Jac. 3. 2, « In multis enim offendimus omnes »; ex 1 Jo. 1. 8, « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est ». — *Obs.* Locum Prov. 24. 16, « Septies cadet justus et resurget », plures Patres inter quos S. Augustinus, ac propter rationes grammaticas, multi interpretes, non de lapsu frequenti justi in *peccatum* aliquod, sed in *calamitates temporales* agere putant. Cf. Cercià, p. 203.

97. — **II.** Ex Patribus, doctrinam nostram praecipue urget S. Augustinus, uti (de nat. et grat., c. 36), « Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem..... hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus?..... Nonne una voce clamassent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus et veritas in nobis non est? » Ac S. Hieronymus (dial. contr. Pelag., l. 2, n. 30) dicit, « Quamdiu ille finis adveniat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione et immortalitate mutetur, necesse est nos subjacere peccato, non naturae et conditionis, ut tu calumniaris, vitio; sed fragilitate et commutatione voluntatis humanae, quae per momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis ». Saepe confirmant Concilia et Patres doctrinam nostram ex Oratione Dominica in qua omnes Christiani quotidie dicunt, « dimitte nobis debita nostra »; item ex ignorantia et concupiscentia quibus laborat natura lapsa. Cf. Palmieri, p. 218.

98. — **III.** Rationem theologicam tradit S. Thomas (1. 2, qu. 109, a. 8), « Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis: cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii; non autem omnes; quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos ».

Solvuntur Objectiones

99. — Obj. 1. Hortatur Christus discipulos (Matth. 5. 48), « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est », et Psalmista ait de justis aliquibus (Ps. 118. 1), « Beati immaculati in via »; atqui non essent homines perfecti sicut Deus, nec immaculati, nisi immunes essent a peccato etiam veniali; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* 1. In priori textu hortatur Christus discipulos

ut ad perfectam Dei imitationem absolute et actu attingant, *nego:* ut eum pro viribus imitari conentur, *conc.*, vel *subd.:* in speciali virtute misericordiae, *conc.;* in omni perfectione, *nego.* — 2. In altero vero textu dicuntur aliqui immaculati a peccato omni plene deliberato, *conc.;* a peccato omni etiam imperfecte deliberato, *nego.*

Inst. Dicitur 1 Jo. 3. 9, « Omnis qui natus est ex Deo [i. e. omnis justus], peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est »; atqui haec verba falsa essent, si justus peccata omnia etiam venialia vitare non potuisset; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Justus quatenus gratiam adoptionis habet et caritatem ejusque ductum sequitur, non peccat nec peccare potest, *conc.;* non potest deliberate aut indeliberate agere secundum pravas naturae dispositiones, *nego.* — Ipse Apostolus jam scripserat (2. 1), « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est ».

100. — Obj. 2. Qui singula in aliqua serie efficere potest distributive, ille cuncta collective efficere potest; atqui posita serie tentationum ad peccata venialia (v. g. per totam hebdomadam), singulas distributive sumptas vincere possum; ergo et totam seriem collective.

Resp. *Dist. Maj.* Qui singula in aliqua serie efficere potest, ille cuncta collective efficere potest, *si eadem est potentia ad cuncta collective*, quae est *ad singula* eorum, *conc.;* secus, *nego.* Quamvis enim possit quis v. g. quâlibet totius mensis horâ somnum excutere et vigilare, id praestare nequit per integrum mensem. Ad rem S. Hieronymus (dial. adv. Pelag., l. 3, n. 4), « Hoc et nos dicimus, posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea; quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quod si paululum se remiserit, quomodo qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, et fluentibus aquis, quo non vult ducitur; sic humana conditio, si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, et multa se non posse cognoscit ».

101. — Obj. 3. Quod necessarium est non est liberum; atqui ex nostra doctrina necessarium est, hominem auxiliis tantum ordinariis gratiae adjutum aliquando in peccatum veniale labi; ergo istud peccatum non est liberum, seu non est peccatum omnino.

Resp. *Dist. Maj.* Quod necessarium est necessitate physica, non est liberum, *conc.;* quod necessarium est necessitate morali, *subd.:* si necessitas afficiat actum aliquem determinatum, *transeat;* si actum nullum determinatum, *nego.*

Contradist. Min. Necesse est moraliter loquendo, ut aliquando

in peccatum veniale aliquod *indeterminatum* labatur, *conc.;* ut in particulare aliquod peccatum labatur, *nego.*

Inst. 1. Tentatio (v. g. B.) cui homo cedit, vicenda erat quatenus erat in serie; atqui ex nostra doctrina eatenus praecise invincibilis erat quatenus erat in serie; ergo homo isti tentationi determinatae cedendo non libere egit, seu non peccavit.

Resp. *Dist. Min* Eatenus invincibilis erat quatenus erat *alicubi* in serie, eo quod tota tentationum series vinci non potuit, *conc.;* quatenus erat *haec* praecise tentatio B. determinate, *nego.*

Inst. 2. Si non possit homo tempus absolute longum sine peccato transigere, ille qui a justificatione usque ad temporis illius absolute longi *momentum penultimum* sine peccato vixisset, peccatum in *sequenti momento* nullatenus vitare posset; atqui impotentia hujusmodi quae *momentum determinatum* afficit, libertatem et ipsam potentiam peccandi destruit; ergo absurda est doctrina nostra.

Resp. *Dist. Maj.* Nisi habeat privilegium, *conc.;* si privilegium habeat, *nego.* Privilegium autem in casu extraordinario qui supponitur, omnino suspicandum esset: cum nec eximie sancti peccata omnia etiam *semi-deliberata* per menses et annos integros vitare videantur.

Dist. Min. Si ista impotentia physica esset, *conc.;* si moralis tantum, *negari potest.* Brevi ergo, vel dicendus esset actus ille ultimus de quo agitur, peccaminosus vel non: si prius, adfuisset deliberatio sufficiens ad culpam; si alterum, agnoscendum esset privilegium.

102. — Obj. 4. Homo justus tentationem A. superando incrementum gratiae recipit, item ex victoria tentationis B. novum aliud gratiae incrementum, et sic porro; atqui his incrementis majorem semper fortitudinem ad tentationes successivas superandas acquirit; ergo potest totam seriem et omnes series vincere.

Resp. *Dist. Maj.* Homo justus recipit incrementum gratiae habitualis et novum meritum, *conc.;* recipit incrementum gratiae actualis, *subd.:* actu semper, *nego;* acquirit jus conditionatum (dummodo scilicet oret debite) ad novum auxilium, *iterum subd.:* quod sit sufficiens ad peccata singula plene deliberata vitanda, *conc.;* ad naturae pravitatem et infirmitatem omnino sanandam, *nego.*

Contradist. Min. Acquirit, si debite petat, novam fortitudinem ad peccata plene deliberata vitanda, *conc.;* ad vitanda peccata omnia venialia, etiam semi-deliberata, *nego.*

Inst. Ex nostra doctrina, propositum peccata omnia venialia vitandi absurdum et impium esset; atqui proposita et vota hujusmodi emiserunt Sancti; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Absurdum esset propositum peccata *deliberata* omnia vitandi, *nego;* absurdum esset propositum peccata etiam indeliberata vitandi, *subd.:* propositum effective efficax et ad longum tempus, *conc.; affective efficax* et ad breve tempus, seu adjecta conditione, « in quantum permittet humana fragilitas », *nego.*

Art. 3. — Praecedentium corollaria

103. — Jam probatum est, hominem sine gratia, 1. nonnulla opera moraliter honesta praestare posse, 2. toti vero legi naturali adimplendae imparem esse. Ex his propositionibus tanquam corollarium fluit, hominem sine gratia posse Deum amore aliquo naturali diligere, item aliquas tentationes vincere: ex alia vero parte, eum non posse morali potentia Deum amore illo qui actualem mandatorum observationem includit, diligere, nec tentationes omnes superare. Quas tamen quaestiones *de amore Dei naturali* et *de victoria tentationum* sine auxilio gratiae distincte tractant theologi.

§ 1. *De Necessitate Gratiae ad Amorem Dei*

104. — **Praenotanda.** — I. Amor Dei alius est *naturalis*, quo Deus lumine naturali cognitus diligitur ut naturae auctor; *supernaturalis* alter, quo Deus lumine supernaturali fidei cognitus, ut gratiae et gloriae auctor diligitur, quam theologorum distinctionem admittendam esse, constat ex propp. 34, 36, damnatis in Baio (1). Uterque porro amor vel est *effectivus*, qui conjunctam habet mandatorum Dei exsecutionem; vel *affectivus*, quo quis transeunter Deo adhaeret, atque ipsi super omnia placere intendit.

Ut hic Dei amor *perfectus* sit, debet esse *summus*, non quidem intensive, sed appretiative, ita ut homo Deum pluris faciat quam alia omnia bona; et *absolutus* seu sine conditione ex parte actus. Potest includere explicitum propositum mandata observandi, vel potest ab hoc proposito praescindere. Amor autem qui propositum illud *excludat*, ex toto vel ex parte, non est jam amor Dei summus vel absolutus.

105. — II. De fide est, amore supernaturali, sive ut loquitur

(1) Baii prop. 34 (Denz. 914), « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata »; prop. ejusdem 36 (Denz. 916), « Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanae, cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus ».

Tridentinum (sess. 6, can. 3 : Denz. 695), « sicut oportet » ad salutem, Deum non posse sine gratia diligi : gratiam enim est principium omnis actus supernaturalis. Nec potest solis naturae viribus Deus diligi amore *effectivo :* quia non possunt sine gratia impleri omnia legis praecepta, ut mox dictum fuit (n. 83) ; superest ergo difficultas de amore affectivo naturali.

De qua quaestione duplex est sententia. — 1. S. Thomas, Estius, Suarez, Vasquez, Bellarminus, Tournely, Collet, negant posse hominem viribus naturae Deum diligere amore naturali super omnia. — 2. Contrarium sentiunt Scotus (cum scholasticis pluribus), Cajetanus, Molina ac plures recentiores, cum quibus statuitur

106. — **Propositio. Potest homo viribus naturae Deum diligere amore affectivo.** — Propositio intellecta de amore affectivo qui propositum etiam *explicitum* mandata servandi includit, vera est *ad aliquod saltem tempus*, scilicet dum homo ad diuturnam et difficilem legis observationem non advertit, nec praesenti tentatione oppugnatur ; a fortiore vera est de amore illo affectivo faciliori qui a tali proposito *praescindit.*

Prob. Illud voluntas amare potest naturaliter, quod intellectus naturaliter potest cognoscere, nisi adsint impedimenta moralia, uti apprehensio difficultatis, urgens tentatio, etc. : natura enim humana licet per lapsum diminutionem virium passa sit, integra tamen, saltem in essentialibus, permansit ; atqui intellectus potest naturaliter cognoscere Deum esse tum Summum Bonum, et propter se amabilem, tum summum nostrum bonum, nec semper adsunt impedimenta ; ergo voluntas potest solis naturae viribus Deum amare tum amore benevolentiae tum amore concupiscentiae.

Prob. Min. per partes. — 1. Deum cognosci posse naturaliter ex creaturis ut supremum bonum in se, et ideo ut bonum nostrum, patet ex Scriptura, v. g. ex Rom. 1. 20, 21 ; Act. 14. 16, et post Concilium Vaticanum (can. 1 de revelat. : Denz. 1653) de fide catholica est, « S. q. d., Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, a. s. ».

2. Non adesse impedimenta moralia semper, singulis momentis, experientiâ ipsâ patet.

107. — **Dices.** Ex Concilio Arausicano II, can. 25 (Denz. 168), « Prorsus Dei donum est diligere Deum », et juxta S. Augustinum (de grat. et lib. arb., c. 18, n. 37), caritas Dei non est « nisi ex ipso Deo » ; atqui quod prorsus Dei donum est, nec est nisi ab ipso Deo, ex sola gratia est ; ergo.

Resp. *Dist. Maj* Dilectio et caritas Dei supernaturalis, *conc.;* naturalis, *nego.* Concilium loqui de caritate supernaturali, liquet ex verbis subsequentibus canonis, «Diffundit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris et Filii, quem cum Patre amamus et Filio » (Denz. 168).

108. — Inst. Humana natura aversa est a Deo et inclinata ad creaturas donec recipiat gratiam; atqui haec aversio desinit in eo qui amat Deum; ergo ad amorem Dei requiritur gratia.

Resp. *Dist. Maj.* Aversa est *privative*, quatenus caret gratia sanctificante, *conc.;* aversa est *positive*, ita ut etiam naturalis illius conversionis ad Deum, quam habuisset homo in statu naturae purae, incapax sit citra gratiam, *nego.* Habitualis scilicet ac privativa aversio a Deo in qua consistit originale peccatum (cf. de Deo Creat., n. 193), non oritur ex propria uniuscujusque voluntate, et bene componi potest cum actuali et positiva voluntatis conversione naturali ad Deum, ut creditur fieri in casu parvulorum sine baptismo morientium.

Contradist. Min. In eo qui amat Deum desinit saltem aversio positiva et actualis, *conc.;* desinit semper habitualis et privativa aversio, *nego:* ad hujus enim desitionem requiritur infusio gratiae sanctificantis. Cf. Cercià, p. 72.

§ 2. *De Necessitate Gratiae ad Tentationum Victoriam*

109. — **Praenotanda.** — I. Tentatio duplex est, alia *seductionis*, seu inducens ad malum vel retrahens a bono; alia *probationis*, quo modo tentatus fuit Abraham a Deo (Gen. 22). De sola priore hic est quaestio: et duplex est, *gravis* et *levis.* Ista distinctio non ex sola gravitate vel levitate *materiae* in qua versatur tentatio desumenda est: potest enim quis graviter tentari in materia levi, et leviter in materia gravi; sed etiam ex *modo* quo urget: quamvis in hac ipsa quaestione de necessitate gratiae ad salutem obtinendam, nomine tentationis gravis soleat praecipue intelligi ea quae talis est ratione tum materiae tum modi. Simpliciter gravis communiter intelligitur esse (ait Kilber, n. 317) tentatio illa quae tum *intensive* ob vehementiam passionis quam in appetitu sensitivo excitat, tum *extensive* ob notabilem moram temporis quo eadem tentatio durat, gravis dicitur: totidem ex adverso modis potest tentatio esse levis seu ad vincendum facilis.

110. — II. Triplex vero potest esse victoria seu ratio superandi tentationes: 1. *Vitiosa*, ubi quis tentationem ad peccatum vincit alio peccato; ut si quis avaritiam vincat ex vana gloria, aut gulam ex avaritia. — 2. *Meritoria* et supernaturalis, ubi quis ex motivo

caritatis salutaris et cum merito respectu vitae aeternae superat tentationem. — 3. *Praecise honesta* et naturaliter moralis, seu propter motivum naturalis honestatis. De prima et secunda victoria hic sermonem non esse, patet ex terminis; et proinde de una tertia agitur.

111. — III. De hac quaestione 1. erraverunt Pelagiani per excessum, docentes hominem tentationes *omnes* superare posse solis naturae viribus absque gratia. Quem errorem rejecit Concilium Carthaginense (Milevitanum II, can. 4; cf. cann. 3, 5: Denz. 67, sqq.) docens gratiam adjuvare homines ad non peccandum, et « per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus »: sic postea et Concilium Arausicanum II, can. 9 (Denz. 152). Docet quoque S. Coelestinus P. (ep. ad episc. Galliae, c. 6: M. 45. 175), « neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit ». Qui in eadem epistola citat in eodem sensu antecessores suos SS. Innocentium et Zosimum (Denz. 90, sqq.).

112. — Propositio I. Homo potest solis naturae viribus aliquas leves tentationes victoria sterili superare. — Est communis; ac contraria propositio (ut notat Perrone, n. 108, annot.) in Baio damnata est non tantum propter acerbitatem, quod vult Vasquez, sed praecipue propter generalitatem.

Prob. Quod naturaliter fieri potest physica potentia, hoc moraliter fieri potest positis tantum levibus impedimentis; atqui homo potest physica potentia quodvis opus lege naturali praescriptum facere, vetitum omittere: ac leves tentationes, ipso nomine, nonnisi levia impedimenta sunt; ergo.

113. — Propositio II. Homo lapsus tentationes universas per longum tempus nequit absque gratiae auxilio vincere etiam victoria sterili. — « Ad fidem catholicam spectat », contra Pelagianos, ait Perrone, n. 43.

Prob. I. Ex 1 Cor. 10. 13, « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere ». — His verbis Apostolus divinae protectioni adscribit, ut fideles vel non tententur supra vires, vel saltem tentatione non superentur; atqui si homo tentationes etiam graves, propriis viribus universim vincere posset, haec falso ab Apostolo divino beneficio adscriberentur; ergo non potest homo solis naturae viribus tentationes vincere universas.

114. — **II.** Idem constat ex Patribus, v. g. ex *S. Cypriano* (tract. de orat. Dom., c. 26), « Quando rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam [in persecutionis tempore] suam ducat ». Ex *S. Ambrosio* (in Ps. 43, n. 71), Deus « patitur justos saepe tentari, quo magis probentur tentationibus eruditi. Quis est autem tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur; nisi Dominus adjutor ei assistat? Denique conturbatus est et ipse propheta David: quia dixit in sua abundantia: Non movebor in aeternum ». Scribit quoque *S. Hieronymus* (dial. adv. Pelag., l. 2, n. 16), « Debuit [Christus] juxta vos dicere: Quid dormitis? surgite et resistite; liberum enim habetis arbitrium, et semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio ». Ex Graecis vero *S. Cyrillus Alex.* (l. 9 in Jo. 14. 18: M. 44. 263), « Arma itaque et munimentum infractum nostris mentibus dedit Pater Christi Spiritum, qui gratiam ejus et praesentiam atque virtutem in nobis implet. Fieri enim nequit ut hominis anima boni quidquam agat, aut suas cupiditates superet, aut acres diaboli laqueas evitet, nisi sancti Spiritus gratia munitus sit ». Saepius autem *S. Augustinus*, uti (de continentia, c. 7, n. 18), « A nobis noster per ejus adjutorium vincendus est morbus ». Et (de bono viduit., c. 17, n. 21), « Si enim nostrae tantummodo potestatis est ne tentatione superemur, ut quid oramus ne intremus vel inferamur in eam?..... Ut quid peto a Domino, quod in mea posuit potestate? Sed absit ut hoc sapiat, qui sanum sapit ». — Hoc totum confirmatur ex fidelium praxi recurrendi tentationis tempore ad orationis praesidium. Vid. Murray, d. 4, nn. 31, sqq.

115. — **III.** Non potest homo propriis viribus totam legem naturalem servare, ut jam ostensum est (n. 83); atqui si posset universim sine gratia, ut dicebant Pelagiani, tentationes graves superare, posset propriis viribus totam legem moralem servare; ergo.

Prob. Min. Impotentia legem moralem sine gratia servandi non est physica sed tantum *propter impedimenta moralia;* atqui impedimenta moralia sunt praecipue tentationes, quae vel a bono avertunt, vel ad malum alliciunt contra legem; ergo.

116. — **Dices.** Nullum gravius est impedimentum moralis ordinis quam metus mortis; atqui homo solis naturae viribus superare potest metum mortis (v. g. ex vana gloria, sicut in duello: vel pertinacia, ut in casu haereticorum, fanaticorum, etc.); ergo

sine gratia ex motivo naturalis honestatis potest quis vincere tentationem gravem.

Resp. *Dist. Maj.* Nullum gravius est impedimentum ordinis moralis quam metus mortis, *in abstracto, conc.;* in concreto, *subd.:* si illius metus vis nullatenus *mitigetur*, v. g. timore alius mali imminentis, motivo lucri, gloriae, etc., *conc.;* si mitigetur et minuatur, *nego.*

Dist. Min. Homo potest naturae viribus superare metum mortis mitigatum (quando scilicet vis illius metus mitigatur, seu quando in casu aliquo cessat esse impedimentum insuperabile), *conc.;* si nullum adsit motivum mitigans metum, *nego.*

Urgetur etiam quod doctrina nostra poneret hominem qui gravi tentatione impugnaretur in *impotentia vitandi peccatum.* Sed respondendum est (ut supra ubi de lege tota servanda, et de peccatis venialibus vitandis), haberi ad summum impotentiam tantum moralem *conditionatam*, quam scilicet homo per orationem removere potest.

117. — Scholia de natura gratiae ad bene moraliter operandum concessae. — Inquiritur praecipue, utrum ad legem naturalem *quoad substantiam* servandam requiratur gratia 1. *interna* (an vero sufficeret externa Dei protectio), 2. *entitative supernaturalis*, 3. *habitualis.*

I. Eo ipso quod, ex dictis, difficultas et moralis impotentia legem naturalem quoad substantiam per vires naturales servandi non tam ex adjunctis externis quam ex interna hominis infirmitate et concupiscentia oriatur: sola externa Dei protectio non sufficeret, sed requiritur auxilium divinum sanans et roborans *voluntatem intrinsece.*

II. Auxilium entitative supernaturale non requiri *ex natura rei* sed sufficere gratiam naturalis ordinis fatentur omnes (cf. Suarez, l. 1, c. 8, n. 2). — *Ordinarie* tamen, ex lege et voluntate Dei positiva, fidelibus et certe justis (quorum opera moraliter bona sunt etiam meritoria), conferri gratias entitative supernaturales, vel ad legem moralem servandam, tenent plures. — Utrum vero ex eadem positiva Dei voluntate omnibus omnino hominibus *etiam infidelibus* ad opera omnia honesta quoad substantiam ponenda detur gratia entitative supernaturalis, disputant theologi. Affirmant Ripalda, Kilber, Sardagna: negant cum communiori sententia Suarez, Bellarminus, alii: et ratio est, quia evitatio peccati non conducit *positive* ad salutem: in qua sententia prima gratia supernaturalis, seu quae ad salutem positive conducat, est ea quae ad *fidei initium* datur.

III. Ad *singulas* tentationes graves superandas, certe non requiritur gratia habitualis, sed sufficit actualis, quae per se satis sanat et roborat voluntatem : et alias (ut notat Murray, d. 4, n. 29), *peccator* gratia habituali destitutus singulas tentationes graves occurrentes superare non posset. — Alia quaestio est, utrum homo gratia habituali privatus possit *diu* graves tentationes superare, seu aliis verbis « diu manere in statu peccati sine novo peccato actuali ». Suarez (l. 1, c. 24, n. 16; c. 27, nn. 13, sqq., quem sequitur Murray, l. c.) docet gratiam habitualem ad hoc requiri ex ordinatione Dei, et hanc sententiam Sardagna (n. 324) citatis aliquibus Patrum dictis, sequenti ratione congrua confirmat : « In peccatore concupiscentia et passiones sunt magis effrenatae, et rationem acrius impugnant. Justum quippe est, ut ratio, quae Deo superiori suo non obtemperat, inferiorem suum, scilicet appetitum sensitivum, sentiat rebellem. Diabolus praeterea majorem potestatem exercet in peccatores, et Deus juste negat inimicis, quae amicis suis liberalissime concedit », uberiores scilicet gratias. Nec tamen gratia *sufficiens* tali peccatori deest. « Sane (ait Murray, l. c.), si supponas peccatorem, quotiescumque graviter tentatur, debito modo petentem a Deo gratiam ad vincendum, sine dubio gratiam illam toties quoties recipiet. Sed de casu illo hoc dicendum esse censeo, nempe, peccator ille, sic orando et legem servando, vel in hoc perseverabit et tempore convenienti a Deo recipiet gratiam conversionis, vel per contritionem, vel per sacramentum (ut sentit Vasquez), vel deseret orationem et tentationi cedet. Et experientia docet eos, qui diu in statu peccati manent et gravibus tentationibus vexantur, in nova peccata constanter incidere ».

QUAESTIO SEXTA

DE GRATIAE SUFFICIENTIA ET EFFICACIA

118. — Ex gratiae actualis jam probata necessitate sequitur, opus omne salutare non solis naturae viribus seu soli libero arbitrio, sed divinae etiam gratiae tribuendum esse; et vocari solet gratia hujusmodi cui homo consentit gratia efficax, cui autem homo resistit sufficiens. Ex Hurter, n. 25, gratia ita, cum relatione ad humanae voluntatis consensum aut dissensum, primo in *sufficientem* et *efficacem* distincta fuit saec. XVI ab Adriano Florentio (postea Romano Pontifice sub nomine Adriani VI) dum Lovanii docebat, juxta Schneemann autem («Controv.», p. 319) ab Henrico Gandavensi, saec. XV: ac de ea plurimae celebresque exagitatae sunt controversiae non solum contra haereticos sed inter Catholicos ipsos. De utroque divisionis membro distincte agendum est.

CAPUT PRIMUM

De Gratia Sufficiente

119. — Praenotanda. — I. Gratia *sufficiens*, quae scilicet dat *veram potentiam salutariter operandi*, spectari potest tripliciter (ut notat Kilber, n. 325): 1. prout hanc potentiam conferre spectatur, sed praescinditur, an reipsa etiam conjungatur cum ipsa operatione, aut haec non sequatur: et sic dicitur *praecise sufficiens*, atque *opponitur gratiae insufficienti;* 2. prout spectatur et hanc potentiam conferre, et simul esse conjuncta cum operatione seu actu: et sic dicitur *positive sufficiens*, atque *eadem est cum gratia efficaci;* 3. prout spectatur quidem ex se et ex parte Dei hanc potentiam conferre, sed simul carere effectu ob voluntatis resistentiam vel neglectum: et sic dicitur *negative* aut *pure* [*vere* et *mere*] *sufficiens*, atque *opponitur gratiae efficaci.* — Potest autem gratia esse *proxime* vel *remote* sufficiens. Prior dicitur ea, quae

potentiam seu facultatem ad agendum *immediate* confert; posterior autem, quae nonnisi *mediante oratione, eleemosyna*, etc. ejusmodi facultatem suppeditat.

120. — II. Haeretici gratias quasdam debiles non tantum inefficaces sed et *insufficientes* agnoscunt. Gratiam autem vere et mere sufficientem sensu Catholico, cui scilicet voluntas humana resistat, rejiciunt Novatores quoad rem et nomen, cum ex eorum doctrina de essentiali corruptione humanae naturae lapsae, liberum arbitrium in rebus salutaribus sit merus titulus et nomen sine re.

Praesertim commemoranda est sententia *Jansenistarum*, qui *nomen* quidem gratiae sufficientis cum Catholicis retinent, *rem* autem rejiciunt. *Dualismus* autem *Jansenianus*, ut loquitur Cercià, p. 215, consistit in *duplici delectatione*, quarum altera est prava seu terrena (cupiditas) altera coelestis (caritas): ac « *delectatione relative superiori* et per gradus victrici », sive terrena sive celesti, *semper* juxta Jansenistas *movetur* et agitur *homo lapsus*, quo modo lances v. g. in libra ponderibus impositis mechanice et necessario hinc vel illinc deprimuntur. Si ergo delectatio coelestis major est delectatione opposita terrena, habetur *gratia efficax* sub qua homo necessario quamvis non coacte bonum agit: si autem est minor, habetur *gratia parva* et homo necessario peccat. Jansenistae quidem, ut Catholice loquerentur et censuras eluderent, gratiam hanc parvam non recusarunt vocare *sufficientem*. Intelligebant autem gratiam sufficientem *non relative* (seu sensu composito) idest habita ratione delectationis terrenae oppositae, sed *absolute tantum* (sensu diviso), quae scilicet sufficeret *ad aliquod opus bonum* praestandum *si non urgeret delectatio major terrena*, non tamen sufficit *hic et nunc* ratione habita delectationis oppositae: quemadmodum, fere secundum exemplum adhibitum ab Arnaldo, insigni Jansenista (cit. apud Schiffini, p. 359, annot.), ignis universim loquendo potest comburere, nequit vero exiguus ignis lignum viride consumere. Ex hoc systemate sponte sua fluunt quinque famosae Jansenii propositiones (1).

(1) Istae propositiones ex Jansenii libro, cui titulus « Augustinus » excerptae, damnatae sunt ab Innocentio X constitutione « Cum occasione » 31 Maii 1653, necnon ab Alexandro VII constitutione « Ad sanctam B. Petri sedem » 16 Oct. 1656, tum constitutione « Regiminis apostolici » 15 Febr. 1664, in qua formularium edidit; denique a Clemente IX constitutione « Vineam Domini Sabaoth » 16 Jul. 1705. — 1. « Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant ». Declarata et damnata uti temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et haeretica. — 2. « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur ». Declarata et damnata uti haeretica. — 3. « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ». Declarata et damnata uti haeretica. — 4. « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent

III. Ad cavendas ergo fraudes Jansenisticas primo statuunt theologi, quid intelligant Catholici nomine gratiae sufficientis: ac deinde contra Novatores ac Jansenistas ostendunt gratiam hujusmodi existere. — De natura intrinseca gratiae sufficientis convenientius dicetur sequenti capite.

121. — Propositio I. Nomine gratiae sufficientis ea intelligitur a Catholicis, quae voluntati ad opus bonum exsequendum confert potentiam completam, expeditam et relativam ad praesentes subjecti circumstantias.

Prob. I. Propositio prima Jansenii (quae docet justis volentibus et conantibus deesse gratiam quâ praecepta aliqua juxtà praesentes circumstantias fiant possibilia) damnata est *in sensu auctoris* ut haeretica; atqui Jansenius, ut constat ex systematis ejus expositione, non negabat in justis conantibus et volentibus gratias parvas seu *absolute sufficientes*, sed eas tantum quae *relativam* potentiam conferant; ergo Catholici per gratiam sufficientem intelligunt eam quae *relative* sufficiens est.

122. — II. Repugnat, ecclesiam damnasse ut falsas, haereticas, etc., in sensu auctoris, propositiones quae in eodem sensu verae et orthodoxae sint; atqui si inefficax gratia conciperetur et diceretur *sufficiens* non relative ad circumstantias, sed absolute tantum, contradictoriae propositionum quinque Jansenii verae essent etiam in sensu Jansenii; ergo ecclesia intelligit gratiam etiàm inefficacem sufficientem esse non absolute tantum sed et relative.

Prob. Min. exponendo (ex Kilber, n. 327) contradictorias singularum istarum propositionum in sensu jansenistico: 1. Nulla Dei praecepta impossibilia sunt absolute, nec gratia deest qua fiant absolute possibilia; 2. In praesenti statu aliquando resistitur gratiae interiori, parvae scilicet seu absolute sufficienti; 3. Ad merendum requiritur libertas a necessitate, videlicet ab absoluta seu immobili necessitate (qua homo per totam vitam necessitaretur exclusive ad bonum tantum vel ad malum tantum), non vero a relativa; 4. Potest humana voluntas potentia absoluta non vero relativa gratiae resistere; 5. Christus pro omnibus mortuus est, eo sensu quod det omnibus gratias absolute sufficientes.

123. — Propositio II. Datur in statu naturae lapsae gratia vere et mere sufficiens, quae inutilis redditur ex humanae vo-

eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare ». Declarata et damnata uti falsa et haeretica. — 5. « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse ». Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et, intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica. — Denz. 966, sqq.

luntatis resistentia. — De fide ex damnatione propositionis secundae Jansenii, « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur ».

Prob. I. Ex Matth. 11. 21, « Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone facta essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent ». — Dominus his verbis docet gratias vere sufficientes internas Galilaeis istis datas fuisse; atqui istae gratiae caruerunt effectu; ergo datur gratia vere et mere sufficiens.

Prob. Maj. per partes. — 1. Agitur de gratiis *vere* sufficientibus: si enim non essent vere sufficientes, Dominus injuste Galilaeos increpasset, et « vae » eis immerito pronuntiasset.

2. Agitur de gratiis *internis:* quamvis enim vox « virtutes » primario significet gratias externas seu miracula, tamen hîc *connotat* saltem gratias internas: virtutes enim istae per se sufficientes erant ad poenitendum; atqui ad poenitendum, quod est opus maxime salutare, requiritur gratia interna. — Ex aliis locis ubi reprehenduntur Judaei ob rejecta beneficia divina, simile argumentum confici potest; uti ex parabola Isaiae (5. 1-7), de vinea sterili in direptionem tradita; ex verbis Christi (Matth. 23. 37), « Jerusalem... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? »; ex objurgatione S. Stephani (Act. 7. 51), « Dura cervice..... vos semper Spiritui sancto resistitis ».

124. — **II.** Ex 1 Cor. 10. 13, « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere ». Ex hoc loco, datur tentatis gratia vere sufficiens relative ad tentationem urgentem; atqui plures qui gratias tales recipiunt, tentationi cedunt, et gratia manet inefficax; ergo in praesenti statu datur gratia vere et mere sufficiens. — Huc referri possunt alii Scripturae textus (Ezech. 33. 11; Rom. 2. 4), quibus postea ostendetur, gratiam sufficientem dari omnibus, non solum justis sed et reliquis adultis.

125. — **III.** Traditionem quod attinet: fatetur Jansenius Patres graecos sibi adversari. Ex latinis pro nostra doctrina citari possunt v. g. S. Hieronymus et S. Augustinus. Prior scilicet dicit (in Ps. 140, v. 4: M. 26. 1235), « O infelicissimum humanum genus, qui peccata excusamus dicentes: Victus sum a natura: cum in potestate nostra sit, et peccare, et Domino adjuvante non peccare ». Et S. Augustinus, quem patronum suum gloriantur Jansenistae, dicit (de spir. et lit., c. 33, n. 58) de infidelibus qui Evangelio non credunt, « Se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus

in donis misericordiam contempserunt »; item (ib., c. 34, n. 60), « consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est »; ac (de 83 quaest., qu. 68, n. 5), « Nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate ».

126. — **IV.** Ratione theologica duplici. — 1. Ex voluntate Dei salvifica universali, quae ostenditur in tract. de Deo Uno (nn. 286, sqq.). Voluntas Dei sincera salvandi omnes homines (1 Tim. 2. 4) exigit ut omnibus dentur gratiae vere et relative sufficientes; atqui non omnes homines actu salvi fiunt, idest gratia sufficiens non semper habet effectum; ergo datur gratia vere et mere sufficiens. — Perrone, n. 337, et Jungmann, n. 186, dicunt hanc probationem esse « rationem theologicam ineluctabilem ». — 2. Ex sequelis impiis et absurdis doctrinae jansenisticae. Sequeretur inter alia, 1. Deum crudeliter et tyrannice praecipere hominibus impossibilia, quorum omissio non bonae voluntatis humanae defectui, sed solum divinae gratiae efficacis privationi tribuenda esset; 2. sollicitudinem de salute prorsus inutilem esse: si enim gratia efficax adest, necessario juxta Jansenistas fit opus, si deest, opus bonum impossibile est; 3. omnes quotquot damnantur, citra culpam suam damnari: gratia enim vere sufficiens eis defuisset. Cf. Sardagna, n. 204.

Solvuntur Objectiones

127. — Obj. 1. Verba Christi (Jo. 6. 45), « Omnis qui audivit a Patre et didicit venit ad me », ostendunt gratiam semper habere effectum; atqui hoc verum non esset, admissa gratia mere sufficiente; ergo non datur gratia mere sufficiens.

Resp. *Dist. Maj.* Haec verba ostendunt gratiam de qua agitur in textu, scilicet gratiam cui homo cedit, habere effectum, *conc.;* omnem quamcumque gratiam, *nego.* Non dicit Christus, « Omnis qui *audivit* a Patre venit ad me », sed, « omnis qui *audivit et didicit* »: porro, ut notat Maldonatus (in loc.), « non omnes qui audiunt discunt ». — Proinde *nego Min.*

Inst. Ex S. Augustino (de praedest. sanct. c. 8, n. 13), « omnis, qui non venit [qui scilicet gratiam efficacem non recipit], non audivit a Patre [idest non recepit gratiam excitantem], nec didicit [idest non consensit], nam si audisset et didicisset, veniret »; atqui ex his verbis nulla confertur a Deo gratia nisi efficax; ergo non datur gratia mere sufficiens.

Resp. *Dist. Maj.* Omnis qui non venit, non audivit a Patre efficaciter et cum fructu, *conc.;* nullo modo, *nego.* Dicit ipse S. Doctor (l. 1 ad Simplic., qu. 2, n. 10), « Nemo credit non vocatus, sed *non omnis credit vocatus:*..... Noluit Esau et non cucurrit: sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, nisi vocatione contempta, reprobus fieret..... Ut velimus enim, et suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solus praestat, idest posse bene agere, et semper beate vivere ».

128. — Obj. 2. Verba ista (Rom. 9. 16), « Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei », ostendunt gratiam esse omnino gratuitam; atqui non esset omnino gratuita, si requireretur ut homo ei consentiret, seu si posset esse mere sufficiens; ergo non datur gratia mere sufficiens.

Resp. *Dist. Maj.* Verba ista ostendunt gratiam (praesertim eam de qua agebat Apostolus, scilicet gratiam vocationis ad fidem) esse gratuitam, seu non pendere ex bonis vel pravis operibus praecedentibus, *conc.;* ostendunt gratiam *habere effectum* sine hominis consensu, *nego.*

129. — Obj. 3. Ex pluribus Scripturae locis patet hominem non posse Dei voluntati resistere (v. g. Ps. 113. 3, « Deus noster in coelo, omnia quaecumque voluit fecit »; Rom. 9. 19, « Voluntati ejus quis resistit? »; Is. 55. 11, « Verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum »); atqui si datur gratia mere sufficiens, homo potest voluntati Dei resistere; ergo non datur gratia mere sufficiens.

Resp. *Dist. Maj.* Ex his locis, nequit homo, ut exponitur in tract. de Deo Uno, Dei voluntati absolutae aut consequenti resistere, *conc.;* voluntati antecedendi aut conditionatae, *nego*, saltem quoad finem proxime intentum.

130. — Obj. 4. Nemo potest se discernere in negotio salutis, juxta Apostolum (1 Cor. 4. 7, « Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? »); atqui admissa gratia mere sufficiente, potest quis se discernere; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Nemo potest se discernere propriis viribus, *conc.;* gratiae viribus, *nego.* — *Contradist. Min.* Verba vero Apostoli primario respiciunt dona externa eloquentiae, etc.

131. — Obj. 5. Inutilis est ea gratia quae nunquam habuit et nunquam habitura est effectum; atqui talis est gratia mere sufficiens; ergo est inutilis nec admittenda.

Resp. *Dist. Maj.* Si id oriatur ex defectu aut imperfectione intrinseca ipsius gratiae, *conc.;* si tantum ex voluntatis resistentia, *nego.*

Dist. Min. Gratia sufficiens nunquam habuit aut habebit effectum : effectum ullum, *nego* (illustrat enim intellectum et movet voluntatem) ; effectum principalem (scilicet positionem ipsius operis salutaris), *subd.* : et hoc ex resistentia voluntatis, *conc.;* ex defectu ipsius gratiae, *nego.*

Inst. Nemo, nec ipsa ecclesia petit a Deo gratiam sufficientem ; atqui si utilis esset, petenda esset ; ergo non est utilis.

Resp. *Dist. Maj.* Nemo petit a Deo gratiam sufficientem reduplicative ut mere sufficientem, *conc.* (hoc enim esset petere a Deo ut permitteret nos deesse gratiae) ; nemo petit a Deo gratiam sufficientem entitative sumptam, *nego :* haec enim gratia, in sententia saltem Molinistarum, non differt entitative a gratia efficaci.

132. — Obj. 6. Illa jure dicitur cum Jansenio *perniciosa*, aut cum Gerberonio *gratia damnationis* (vid. Sardagna, n. 196), quae, si *exclusive* daretur, importaret damnationem ; atqui talis est gratia mere sufficiens ; ergo non est admittenda, sed potius (cum prop. 6 ab Alexandro VIII damnata : Denz. 1163) merito contra eam precari possumus, « A gratia sufficienti libera nos, Domine ».

Resp. *Dist. Maj.* Si id oritur ex ipsa gratiae natura, *conc.;* si ex voluntatis resistentia, *nego :* alioquin enim rejicienda essent omnia dona naturalia et supernaturalia quibus homines abutuntur.

Contradist. Min. Talis est gratia sufficiens ex resistentia hominis, *conc.;* ex ipsius gratiae natura, *nego* (saltem, ut postea dicetur, in systemate Moliniano).

CAPUT SECUNDUM

De Gratia Efficaci

133. — **Praenotiones.** — I. Hactenus de gratia sufficienti, quo nomine specifice intelligitur gratia cui resistitur. Gratia *efficax* e contra, de qua nunc agendum, ea est *cui homo cedit.* Verum quidem est, juxta dicta, cuivis gratiae etiam sufficienti, eam esse efficaciam eamque *physicam*, qua per illustrationem et inspirationem motus excitat intellectûs et voluntatis, hasque facultates elevat (supra n. 17). Haec tamen efficacia non dicit vel consensum vel dissensum voluntatis, sed ab utroque plane praescindit, et vocatur *efficacia virtutis*, efficacia ab intrinseco, efficacia in actu primo late. De hac ergo, quippe quae omni gratiae communis est, non agimus, sed *de efficacia* quae respicit voluntatis consensum et *ex qua revera fit opus bonum.*

134. — II. Jamvero ista efficacia ita specifice dicta potest respicere consensum hominis vel ut praesentem et dicitur efficacia in actu secundo, *efficacia actualis;* vel ut futurum et vocatur efficacia in actu primo stricte, *efficacia connexionis* (necnon efficacia *logica* seu *futuritionis*), quae scilicet certo et infallibiliter est obtentura consensum. Cum autem tota haec quaestio de gratiae efficacia maxime spectetur relate ad humanam libertatem, cumque libertas indifferentiae ista cum efficacia gratiae in actu secundo jam amplius, necessitate consequenti seu logica, componi nequeat: homo enim dum consentit non potest simul dissentire: hinc consideranda est efficacia gratiae *in actu tantum primo* stricte, et de ea duplex proponitur quaestio, prima, quae polemica est, *de facto*, an scilicet ista efficacia destruat humanam libertatem; altera, quae est domestica, *de modo* quo ista efficacia cum humana libertate concilietur.

135. — III. Ad clariorem utriusque quaestionis intelligentiam, recolenda est definitio libertatis. Distinguitur quidem libertas quaedam *moralis*, quae consistit in immunitate a morali vinculo, seu a lege ligante voluntatem ad unum: et hoc sensu liber aliquis dicitur ad aliquid faciendum, vel omittendum, quatenus illud nulla lege prohibetur, aut praecipitur. De hac vero libertate non agitur, sed de *physica* quae duplex est, alia a coactione (seu spontaneitatis), alia a necessitate. Libertas *a coactione* est immunitas ab omni vi extrinsecus illata contra voluntatis propensionem. Libertas *a necessitate* est immunitas ab intrinseca determinatione ad unum, sive haec intrinseca determinatio sit ab ipsa natura, sicut in amore beatitudinis in communi: sive a forma aut principio aliquo adventitio, sicut in amore beatifico Dei intuitive visi.

Libertas a necessitate (quae sola, ut liquet, libertas *voluntatis* est) dicitur quoque libertas indifferentiae, libertas electionis, liberum arbitrium, et simpliciter libertas. Est iterum triplex, 1. libertas *contradictionis* seu exercitii, idest agendi vel non agendi; 2. *contrarietatis*, idest agendi contraria, v. g. amandi vel odiendi; 3. *specificationis*, idest agendi diversa sed non contraria, v. g. orandi vel legendi. Hinc pleniore sensu post veteres theologos (vid. Schneemann, « Controv. », p. 219; et apud ipsum, pp. 453, sqq., Lessius) definitur libertas, « facultas quae positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere vel non agere, aut ita agere unum, ut aliud etiam agere possit ».

ART. I. — UTRUM GRATIA EFFICAX LIBERTATI REPUGNET

136. — Praenotanda. — I. Hominem in praesenti statu libertate non gaudere sub gratiae influxu, docent haeretici tum Novatores tum Jansenistae, illi quidem ex principio de essentiali corruptione naturae humanae lapsae, hi vero ex systemate delectationis relative victricis. Non significant haeretici, hominem externa violentia ad id *exterius* perficiendum compelli quod voluntas interne recusat: Lutherus enim ipse hoc diceret «noluntatem» potius quam voluntatem; sed significant *ipsam voluntatis facultatem* ita sub gratiae influxu flecti et moveri, ut illud unum amplecti possit quod gratia suggerit, nec in sua potestate esse aliquid aliud eligere. In eorum videlicet systemate non significatur v. g. Deus manum furari cupientis a bono alieno exterius cohibere; sed potius ita interius in ipsam voluntatis facultatem agere, ut ei nulla optio relinquatur, sed insuperabiliter a furti desiderio abstineat.

Hinc negant tantum libertatem a necessitate: admittunt libertatem a coactione. Proinde per ipsos, cum homo complacentiam exprimit illius boni, ad quod gratia impellit, *voluntas ponit quidem actum vitalem*, quemadmodum oculus cum videt, ponit actum vitalem: sed etiam voluntati non magis liberum est, aliud eligere, quam liberum sit illuminato oculo lumen non videre. Voluntati ergo humanae competit, juxta haereticos, illa tantum libertas quae appetitui sensitivo brutorum competit, scilicet libertas a coactione: ea autem voluntas, non secus ac brutorum appetitus sensitivus, ad unum necessario determinatur. Mirum proinde non est, haereticos dixisse, liberum arbitrium hominis lapsi in spiritualibus rebus esse titulum sine re, figmentum a Satana invectum, hominem autem ipsum esse similem trunco, lapidi aut statuae vita carenti; opus demum bonum, in quantum bonum et laudabile est, vel etiam humanum soli Deo tribuendum esse, nullomodo hominis cooperationi: quemadmodum non recte diceretur calamus cooperari manui vel juvare manum ad scribendum, sed solum agi ac moveri a manu, quamvis revera ipse litteras pingat. — Vid Bellarminus, l. 6, c. 9, qui citat verba Lutheri et Calvini; et cf. Concilium Tridentinum, sess. 6, cann. 5, 6 (Denz. 697, 698).

137. — II. Novatorum errores damnavit Concilium Tridentinum, sess. cit., praecipue can. 4, « S. q. d., liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti..... neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se

habere, a. s. » (Denz. 696). His verbis damnata etiam in antecessum fuit Jansenii doctrina, quam postea profligaverunt Romani Pontifices in quinque propositionibus famosis. Praecesserat symbolum fidei a Leone IX praescriptum (Denz. 296), « Gratiam Dei praevenire et subsequi hominem, credo et profiteor, ita tamen, ut liberum arbitrium rationali creaturae non denegem ». — Hinc probandum est contra haereticos tum Novatores tum Jansenistas, gratiam efficacem non destruere libertatem, ac deinde contra Jansenistas nominatim, gratiam efficacem non consistere in delectatione relative vitrici.

138. — Propositio I. Gratia efficax non perimit libertatem. — De fide, juxta dicta.

Prob. I. In Scriptura Sacra 1. occurrunt praecepta, monitiones, etc. ad bonum salutare faciendum et malum fugiendum; 2. hominibus a Deo proponitur electio inter bonum et malum; 3. in negotio salutis significatur homo vere agere et operari; idque ita 4. ut possit non agere et operari; atqui haec omnia absurda forent, si gratia necessitatem bene agendi inferret voluntati; ergo gratia non infert necessitatem voluntati bonum agendi.

Prob. Maj. per partes. — 1. Occurrunt praecepta, monitiones, etc.: Zach. 1. 3, « Convertimi ad me, ait Dominus exercituum: et convertar ad vos »; Act. 3. 19, « Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccáta vestra »; 1 Tim. 4. 7, « Exerce teipsum ad pietatem ». — 2. Proponitur electio inter bonum et malum: Eccli. 15. 14, 18, « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui..... Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei dabitur illi »; Amos, 5. 14, « Quaerite bonum et non malum, ut vivatis... Odite malum, et diligite bonum »; Matth. 19. 17, « Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata ». — 3. Significatur homo vere agere et operari: Ps. 118. 112, « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas »; 1 Cor. 3. 8, 9, « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; Dei enim sumus adjutores ». — 4. Significatur homo ita agere ut possit non agere: Eccli. 31. 10, « Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit ». Cf. Murray, d. 17, nn. 16, sqq.

139. — II. Ex Philipp. 2. 12, 13, « Itaque carissimi mei (sicut semper obedistis) non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate ». — Opera bona salutária quae laudat Apostolus in Philippensibus (« sicut semper obedistis »),

et in quibus hortatur ut sollicite perseverent, includunt ac supponunt gratiam efficacem (« Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere ») ; atqui si gratia efficax, (impellendo videlicet homines citra voluntatis cooperationem ad praestanda opera salutaria), libertatem perimeret, inepta esset commendatio praecedentium operum, et inutilis hortatio ad futura ; ergo gratia efficax non destruit libertatem.

140. — **III.** Uno excepto S. Augustino, quem patronum sibi vindicat, concedit Calvinus doctrinam nostram esse antiquam ecclesiae fidem et traditionem. Dicit enim (Inst., lib. 2, c. 3, n. 10), « Voluntatem movet Christus, non qualiter multis retro saeculis traditum et creditum est, ut postea nostrae sit electionis motioni aut obtemperare aut refragari ». — Inter antiquiores citari potest *Origenes* (hom. 20 in Num., n. 3 : M. 12. 733), « Sui namque arbitrii est anima, et in quam voluerit partem est ei liberum declinare : et ideo justum Dei judicium est, quia sponte sua sive bonis sive pessimis monitoribus paret ». Et ex *S. Joanne Chrys.* (hom. in illud : Non enim in homine via ejus, nn. 1, 2), negatâ libertate arbitrii, « actum est de rebus nostris : frustra regni coelorum promissio, frustra minae gehennae, frustra leges, poenae, supplicia, et consilia..... Neque is qui recte se gesserit, dignus est laude..... Si hanc etiam sacram abrumperis ancoram, nonne integra navis submergetur, et omnes penitus fluctibus absorpti peribunt, multaque quotidie fient naufragia? » Similiter *S. Hieronymus* (adv. Jov., l. 2, n. 3), « Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin, ubi necessitas, nec corona est ».

Ex ipso *S. Augustino* haec citasse juvabit : 1. (de spir. et litt., c. 33, n. 58), « Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire ; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicentur » ; et ibidem (c. 34, n. 60), « Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est..... profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos : consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire sicut dixi, propriae voluntatis est ». — 2. (de bono viduit., c. 17, n. 21), « Proinde arbitrium voluntatis humanae nequaquam destruimus, quando Dei gratiam qua ipsum adjuvatur arbitrium, non superbiâ negamus ingratâ, sed gratâ potius pietate praedicamus. Nostrum enim est velle ; sed voluntas ipsa et admonetur ut surgat, et sanatur ut valeat, et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat ». — 3. (epist. 157, c. 2, n. 10), « Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur,

quia juvatur, sed ideo juvatur, quia non tollitur ». — 4. (serm. 169, c. 11, n. 13), « Sine te fecit te Deus. Non enim adhibuisti aliquem consensum, ut te faceret Deus. Quomodo consentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem. Tamen ipse justificat, ne sit justitia tua ». — 5. (Enarr. in Ps. 26, n. 17), « Adjutor meus esto, ne derelinquas me; neque despicias me, Deus salutaris meus. Tu enim adjuvas qui condidisti, tu non deseris qui creasti ». — 6. (de continentia, c. 6, n. 16), « Non autem potestas Deo defuit, talem facere hominem qui peccare non posset: sed maluit eum talem facere, cui adjaceret peccare, si vellet; non peccare, si nollet: hoc prohibens, illud praecipiens: ut prius illi esset bonum meritum non peccare, et postea [scil. in coelis] justum praemium non posse peccare ». — 7. (de nupt. et concup., lib. 2, cap. 3, n. 8), « Liberum in hominibus esse arbitrium,... *utrique* [Catholici scilicet et Pelagiani] dicimus. Non hinc estis Coelestiani et Pelagiani. Liberum autem esse quemquam ad agendum bonum *sine adjutorio Dei*..... hoc vos dicitis; hinc estis Coelestiani et Pelagiani ». — 8. (epist. 215, n. 4), « Neque liberum arbitrium negat [fides sana catholica], sive in vitam malam sive bonam: neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat ».

141. — **IV.** « Absurda demum », ait Perrone, n. 266, post Patres, « quae ex Novatorum hypothesi sequuntur in omnium oculos veniunt. Illa siquidem semel constituta, impune homines in quaevis flagitia proruere possunt sub praetextu, quod ea gratia destituti sint, qua impellantur in bonum. Nulla jam aut virtuti laus aut meritum relinqueretur; nullum incitamentum homini superesset, quo ad bene ac pie agendum excitaretur, aliaque his similia, quae longum esset enumerare ».

Solvuntur Objectiones

142. — Obj. 1. Qui trahitur, non agit libere; atqui juxta verba Christi (Jo. 6. 44, « Nemo potest venire ad me, nisi Pater... traxerit eum ») homo trahitur a gratia; ergo gratia efficax destruit libertatem.

Rep. *Dist. Maj.* Qui trahitur violenter, *conc.;* qui trahitur libere, *nego.* Rem illustrat S. Augustinus (tr. 26 in Jo., n. 5), « Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam. Nuces puero demonstrantur, et trahitur: et quo currit trahitur, amando trahitur. Quoniam verum est: Trahit sua quemque voluptas, non trahit re-

velatus Christus a Patre? Quid enim fortius desiderat anima quam veritatem? ». Vid. contextus in brev. (fer. 4 Quat. Temp. Pentecost.).

Contradist. Min. Ad rem S. Augustinus (l. c., n. 7), « Videte quomodo trahit Pater:..... docendo delectat, non necessitatem imponendo ».

143. — Obj. 2. Ex Scriptura, Deus *a*) per gratiam operatur in nobis et velle et perficere (Philipp. 2. 13), imo *b*) omnia opera nostra operatur nobis (Is. 26. 12), dum *c*) homo respectu Dei est tanquam lutum in manu figuli (Is. 45. 9; Eccli. 33. 13, 14; Rom. 9. 20, 21); atqui haec omnia excludunt activitatem et libertatem hominis, saltem in operibus salutis; ergo gratia efficax destruit libertatem.

Resp. *Dist. Maj. per partes.* — Ad *a*) Operatur Deus velle et perficere ut concausa per gratiam, *conc.;* ut unica causa, *nego:* frustra enim tunc esset Apostoli exhortatio (v. 12), « cum metu et tremore vestram salutem *operamini* ».

Ad *b*) Propheta dicit Deum omnia opera nostra operari nobis, ut sic doceat Dei omnipotentiam et supremum dominium, significetque omnem sufficientiam nostram ab ipso esse, *conc.;* ut significet dominium hoc omnipotens officere nostrae libertati, quam Deus ipse nobis concedit, *nego.*

Ad *c*) Dici potest homo esse ut lutum in manu Dei, eo quod praedestinatio illius, aut electio ad fidem pendeat a Deo solo, *conc.;* eo quod Deus destruat hominis libertatem, *nego.*

144. — Obj. 3. Posita gratia efficaci in actu primo, impossibile est ut non sequatur actus salutaris; atqui impossibilitas seu necessitas destruit libertatem; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Impossibile est impotentia consequenti, *conc.;* antecedenti, *nego*, saltem in systemate Moliniano, ut jam dicetur in art. sequenti. — *Contradist. Min.*

145. — Propositio II. Efficacia gratiae non consistit in delectatione relative victrici. — De fide contra Jansenistas.

Prob. I. Explicari nequit gratiae efficacia principio falso et haeretico; atqui tale est principium Jansenii de relative victrici delectatione; ergo.

Prob. Min. per partes. — 1. Principium est *falsum.* Ex Jansenii enim principio, delectatio est unicum medium quo homo ad salutem perducitur; atqui *a*) ex Scriptura alia sunt media, v. g. timor de quo dicitur (Eccli. 1. 27), « Timor Domini expellit peccatum » (cf. Jer. 32. 40; Matth. 10. 28); *b*) experientia ipsa testatur, saepissime in virtutis exercitio nedum delectationem sed

et magnam difficultatem et animi reluctantiam sentiri, v. g. in venia inimicis danda, in paupertate et doloribus perferendis, etc.

2. Principium istud est *haereticum*. Principium haereticum est illud ex quo sponte profluunt haereticae conclusiones; atqui ex principio delectationis relative victricis profluunt quinque propositiones famosae in Jansenio damnatae: ita v. g. ratio cur juxta Jansenium (prop. 1) praecepta Dei justis volentibus et conantibus aliquando impossibilia sint, haec est quia (ut explicatum est supra, n. 119) coelestis delectatio, seu gratia, minor est delectatione indeliberata opposita terrena.

146. — **II.** Ex Patribus, sufficiant haec S. Augustini loca, quem suum patronum gloriantur Jansenistae: « Non faciebam, quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat » (Confess., l. 8, c. 8, n. 20: cf. ibid., c. 11, n. 25); « Etiam illa peccata juste imputari quae non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandae molestiae alicujus aut doloris aut mortis. Nam et haec dicuntur quadam necessitate committi, cum omnia superanda sint amore et delectatione justitiae » (de pecc. mer. et remiss., l. 2, c. 10, n. 15); « Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes et quod non admisisti » (Serm. 99, c. 6).

Distinctius adhuc (de civit. Dei, l. 12, c. 6), « Si aliqui duo aequaliter affecti animo et corpore videant unius corporis pulchritudinem..... Si eadem tentatione ambo tententur et unus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat, perseveret, quid aliud apparet nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? » Hîc enim S. Augustinus, ex duobus istis hominibus aequaliter affectis et eadem prorsus tentatione allectis, resistentiam unius et lapsum alterius manifeste repetit non ex gradu delectationis relative superiori, sed tantum ex propria utriusque voluntatis determinatione. — Vix opus est notare contra Jansenistarum evasionem, hoc loco agi de *statu praesenti* naturae lapsae, non vero de statu *primitivo* integritatis, in quo de cetero nulla fuit concupiscentia, nec (historice) duo fuerunt adulti, qui modo exposito tentari potuissent. Cf. Palmieri, p. 395.

147. — **Dices.** S. Augustinus (comment. in epist. ad Galat., n. 49, « Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est ») docet voluntatem necessario sequi majorem delectationem; atqui hoc, ad doctrinam de gratia translatum, est ipsum systema Jansenii, juxta quem proinde locus citatus S. Augustini « aureis meretur scribi characteribus »; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Ex S. Augustino, necesse est ut voluntas se-

quatur majorem delectationem indeliberatam (seu objectivam, ut loquitur Perrone, n. 298), in nobis sine nobis, divina operatione productam, *nego*, licet de facto homines eam saepe sequantur, sed non necessario; necesse est ut voluntas sequatur delectationem deliberatam (seu subjectivam), *subd.:* idque ex necessitate consequenti libertatis exercitium *conc.;* ex necessitate antecedenti, *nego:* aliter enim S. Doctor sibi contradiceret, ut constat ex locis in probatione citatis.

Praeterea, si ipse *contextus* spectetur, delectatio de qua loquitur S. Doctor cernitur esse ea quam *immediate consequitur* ipsa *actio externa* (neque enim dicit « secundum hoc *velimus* necesse est », sed « secundum hoc *operemur* necesse est ») : actio vero humana *externa* non immediate sequitur delectationem indeliberatam, sed delectationem *deliberatam* (quae includit consensum voluntatis, et propositum efficax). In hac ergo explicatione potius asseritur voluntatis libertas, nam ut notat Kilber (n. 370, ad Inst. 4), « hae voces *hoc me delectat, hoc mihi placet* in sensu usitato actum voluntatis liberum significant », (anglice, « I prefer, select, or choose this ; I like this »), et S. Augustini effatum docet tantum nos operari secundum id quod magis diligimus, et asseritur sola *necessitas consequens liberam determinationem voluntatis.*

Contra Jansenistas, argumento *ad hominem*, etiam urgebat Fénelon (apud Palmieri, thes. 45), S. Augustinum loco objecto non loqui de delectatione *indeliberata.* Haec enim verba, fatente Jansenio scripsit S. Doctor eo tempore quo adhuc in eo versabatur errore qui fuit postea Semipelagianorum; atqui in hoc praecise juxta Jansenium (prop. 4) Semipelagiani haeretici fuerunt, quod asserebant hominem *posse* gratiae (seu delectationi coelesti *indeliberatae*) resistere; ergo his verbis logice docere non potuit S. Augustinus isto tempore gratiam efficacem esse delectationem indeliberatam seu praevenientem, cui resistere *impossibile sit.*

Obs. — Apud S. Augustinum saepe dicitur gratia « delectatio vincens » (sed semel tantum ipsa appellatione « victrix », qua abutebantur Jansenistae). Delectatio autem haec semper intelligitur deliberata, ac vocatur vincens non respectu *voluntatis*, sed respectu *concupiscentiae.* Cf. Palmieri, p. 394.

148. — Inst. Videtur repugnare ut minor delectatio vincat majorem; atqui hoc dicendum, nisi admittatur systema delectationis relative victricis ; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Hoc repugnat, si comparetur praecise una delectatio ad alteram, *conc.;* si utraque comparetur ad voluntatis libertatem, *nego.* — « Delectatio major (dicit Kilber, n. 370, fin.) magis sollicitat et inclinat voluntatem ad consensum, quam minor,

et in hoc *major vincit minorem; voluntas* nihilominus hinc minus, illinc magis sollicitata et inclinata, nec *necessario*, nec *infallibiliter*, nec *semper* sequitur majorem inclinationem aut a majore ad assensum determinatur: sed sub ipsa etiam inaequalitate *propensionis* retinet *indifferentiam electionis* et activam, seipsam elective determinat, saepiusque adoptat minus delectabile prae majore delectatione ».

ART. 2. — QUOMODO CUM LIBERTATE HUMANA CONCILIETUR GRATIAE EFFICACIA

149. — Status quaestionis. — I. Controversiae dogmaticae contra haereticos succedit controversia domestica inter Catholicos ipsos, quomodo scilicet humana libertas cum gratiae efficacia infallibili sit concilianda. Intricatissima semper habita est haec quaestio, cum ut jam notaverat S. Augustinus (de grat. Christi, c. 47), « quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri », et timendum sit, ut dicit idem S. Doctor (de peccat. merit. et remis., l. 2, c. 18, n. 28), « ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursus, ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiae judicemur ». — Illi quibus gratiae efficacia infallibilis maximae curae est, dicunt hominem gratiae infallibiliter consentire quia gratia *intrinsece ex sua natura* ita efficax est, ut cum ea componi nequeat hominis resistentia; qui vero de humana libertate imprimis solliciti sunt docent gratiam esse infallibiliter efficacem non ab intrinseco sed *ab extrinseco*, eo scilicet quod homo cui conceditur gratia libere ei consensurus est.

Ad statum quaestionis illustrandum, consideremus duos latrones cum Domino crucifixos et per hypothesim (quin scilicet de facto historico judicetur: cf. Murray, d. 5, n. 52; d. 8, n. 129) ponamus utrumque jam morientem habere gratiam excitantem, ad conversionem et salutem sufficientem, ac physice (ratione auxilii) aequalem (1). Gratia ista praeveniens habet efficaciam *virtutis* seu

(1) Eandem entitative seu aequalem gratiam posse esse in uno efficacem in altero inefficacem, « solent aliqui ignoranter dicere », ait Bañez (in 1, qu. 19, a. 8.). Quod tamen confirmant plures, et nominatim S. Franciscus Salesius (de Amore Dei, l. 2, c. 6), *a*) ex ipsius Christi verbis (Matth. 11, 20), « Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent »; *b*) ex loco S. Augustini (de civ. Dei, l. 12, c. 6) de duobus hominibus aequaliter tentatis et aequaliter adjutis (cit. supra, n. 146); *c*) ex doctrina S. Thomae (1, qu. 63, artt. 7, 9) de majore gratia collata Lucifero qui cecidit, quam aliis angelis qui perstiterunt.

ab intrinseco, et in utroque latrone producit aliquos effectus etiam physicos: utriusque enim intellectum illuminat et voluntatem inspirat, hasque facultates roborat et elevat: aliis verbis in utroque latrone eliciuntur actus tum intellectus tum voluntatis, sed hi actus sunt indeliberati. Nunc discrimen notandum est: in latrone enim a dextris exempli causa, divina gratia infallibiliter obtentura est consensum, seu habet efficaciam connexionis, est efficax in actu primo. *Hic oritur quaestio nostra*, nempe, unde fit ut in illo latrone gratia obtentura sit consensum, non autem in altero? Ad hanc quaestionem, 1. alii respondent, latronem a dextris consensum infallibiliter praestiturum esse quia ei decernitur et conceditur *praeter* gratiam sufficientem qualem alter habet, gratia specialis *ab intrinseco efficax*, quae ex divina determinatione antecedente ita includit ipsum consensum, ut illius consensus omissio prorsus repugnet. Alii 2. ex adverso dicunt effectum salutarem in uno latrone certo et infallibiliter secuturum esse, tum quia gratia sub cujus influxu est latro, ad conversionem *vere sufficiens* est, tum quia latro ei *certo* (*ex decreto* scilicet divino *absoluto scientiam mediam subsequente*), sed simul *libere* obtemperaturus est.

150. — II. Gratiae efficaciam intrinsecam et qui tenent et qui negant theologi, utrinque in diversos modos et systemata abierunt Praecipue commemorandum est ex una parte systema *Thomisticum*, quod adstruit, ex alia parte systema *Molinianum* quod negat efficaciam istam intrinsecam. Prius illud systema nomen sortitum est ex theologis Dominicanis qui profitentur se sinceram *S. Thomae* Aquinatis doctrinam tradere: alterum systema, quod jam quoad rem in Academia vetere Parisiensi ac deinde in Societate Jesu ab ipsius exordiis traditum cernitur, nomen habet a Ludovico Molina theologo hispanico ejusdem Societatis qui labente saec. XVI illud plenius explicavit (cf. Schneemann, Controv., pp. 161, sqq.; 277, sqq.). Inter systematum istorum fautores adeo acris devenit controversia ut silentium eis imposuerit Clemens VIII R. P., ac res tota delata sit ad congregationem romanam celebrem dictam « de Auxiliis » ubi per decem fere annos amplius agitata est. Demum a Paulo V (an. 1607) declaratum est, 1. utrique parti licere suum systema propugnare, 2. neutri licere systemati opposito notam vel censuram theologicam affigere. Cf. Kilber, nn. 385, sqq.; Denz. 964.

151. — III. Antequam systemata exponantur, recolenda est doctrina philosophica communis quae rem praesentem maxime respicit, ea scilicet quae docet, a Deo ut causa prima pendere creaturam omnem non tantum in creatione et conservatione sed et in actione, ita ut sine Deo ejusque immediato *concursu* elicere nequeat

actiones vel suae naturae proprias vel ordinis altioris. In hujus tamen dependentiae seu concursûs divini *explicatione* maxime dividuntur Thomistae ac Molinistae, ut mox videbitur. — Singularis commemoranda est sententia Durandi adstruentis concursum divinum *mediatum* tantum, qui nihil aliud esset quam collatio et conservatio virium naturalium. Cf. de Deo Creatore, n. 14.

§ 1. *De Systemate Thomistico*

152. — I. Hujus systematis fundamentum praecipuum est doctrina **concursûs praevii**. Docent scilicet Thomistae, Deum in actiones singulas creaturarum influere influxu et impulsu *intrinseco* transeunte quo eas movet et applicat ad agendum eodem fere modo quo scriptor movendo calamum eum applicat ad scribendum, vel potius eo modo quo species sensibilis in facultatem sensitivam recepta eam determinat ad sentiendum. Hic concursus vocatur *praevius* et dicitur etiam *praedeterminatio*, quia prioritate, non quidem temporis sed naturae et rationis, creaturae actionem necessario antecedit: dignitas enim suprema Dei, primae causae, ejusque supremum dominium ex una parte ac creaturae sibi relictae indifferentia ex altera exigunt, aiunt Thomistae, determinationem praeviam hujusmodi. Sine praemotione non potest creatura agere, praemotione vero posita repugnat creaturam non agere.

De *natura* hujus praedeterminationis, quae a Deo in voluntate creata ponitur et relate ad quam voluntas passive se habet (ait Palmieri, p. 451), « dicitur a quibusdam [Thomistarum] esse aliqua entitas, vel forma sive qualitas, a quibusdam dicitur esse tantum motio: certe est modificatio realis, cujus causa adaequata est Deus et quae vitalis non est », ex parte hominis: praecedit enim ex hypothesi actum vitalem. — Hanc praemotionem et praedeterminationem requiri ad actiones omnes creaturarum non tantum necessarias sed et liberas, asserunt Thomistae esse doctrinam ipsius Doctoris Angelici (v. g. Contra Gentes, l. 3, c. 89, « Deus igitur est causa in nobis non solum voluntatis, sed etiam volendi »: cf. Billuart, de Gratia, d. 5, art. 6). Vocant porro praemotionem et praedeterminationem voluntatis ad volendum *physicam*, 1. ut excludant causalitatem *mere moralem*, qua homo motiva proponendo alterius hominis voluntatem movet, et 2. ut statuant gratiam esse causam efficientem volitionis, quae *ex propria sua natura* et entitate habet quod voluntatem ad actum flectat et praedeterminet.

153. — II. Extensâ et applicatâ *ad ordinem supernaturalem* physicâ hac praemotione: ex una parte sequitur, voluntatem non posse ullum actum salutarem elicere nisi ita physice praemoveatur et determinetur, ex alia autem parte, posita physica praemotione, repugnare essentialiter, implicare contradictionem, et impossibilem esse omissionem actus salutaris (vid. Bañez, apud Palmieri, p. 443). Citat Palmieri (ibid.) theologum thomisticum Lemos, qui ait, « antequam voluntas dicat: Volo, antecedit prioritate naturae auxilium praeveniens divinae gratiae, *faciens* quod ipsa velit et ita faciens ut non stet simul dissentire ». — Hinc obvia *solutio thomistica quaestionis propositae.* Scilicet iste latro a Domini dextris certo et infallibiliter convertetur, quia *praeter gratiam minus perfectam* et minus validam, nempe sufficientem, quae *posse* tantum confert nec unquam attingit effectum principalem, *decernitur ei* etiam altera illa perfectior et *validior gratia quae voluntatem physice determinat* et confert ipsum *operari* et cum qua conciliari nequit actus omissio (cf. Billuart, d. 5, art. 2, § 2: alios citat Pesch, nn. 229, sqq., 243, sqq.). Sic juxta Thomistas *servatur efficacia* infallibilis gratiae; consistit enim in ista physica praedeterminatione; *nec destruitur libertas*, « movet enim Deus non solum ad substantiam actus, sed etiam *ad modum ejus* qui est libertas », ut ait Billuart (de Deo, d. 8, art. 4, § 2. resp. gen.).

154. — III. Hoc systema ut probabilius aut ut probabile tantum defendunt Thomistae quoad actus *naturales.* Quoad actus vero *salutares* dicit Contenson (apud Palmieri, p. 441), « gratiam per se efficacem tenent [Thomistae] ut conclusionem theologicam ab Augustino et Aquinate certissime traditam et post articulos fidei omni exceptione majorem, in proxima et veluti ultima dispositione definibilem ». Similiter Billuart (de Deo, diss. 8, a. 5, sub fin.), « Gratiam per se efficacem, hoc est gratiam infallibiliter efficacem ex omnipotentissima Dei voluntate, independenter a consensu creaturae et scientia media, propugnamus *tanquam dogma theologicum* cum principiis fidei connexum et *proxime definibile* ».

155. — **Praecipua hujus systematis argumenta** haec sunt: 1. Juxta Scripturam, Deus facit ut in praeceptis ejus ambulemus (Ezech. 36. 27), operatur in nobis velle et perficere (Philipp. 2. 13), facit de nolentibus volentes auferendo a nobis cor lapideum et dando cor novum (Ezech. 11. 19; 36. 26), ac conformiter orat Deum ecclesia, ut nostras etiam rebelles compellat voluntates; atqui haec non praestat Deus nisi per gratiam « vi propria effectricem bonae volitionis », idest ab intrinseco efficacem; ergo.

156. — 2. Scripturae docent Dei voluntatem in negotio etiam

nostrae salutis invincibilem esse atque insuperabilem (« Non est qui tuae possit resistere voluntati, si decreveris salvare Israel », Esth. 13. 9; « Voluntati ejus quis resistit? », Rom. 9. 19); atqui non potest dici divina voluntas invincibilis nisi Deus per praemotionem infallibiliter determinet voluntatem humanam; ergo. — Argumentum philosophicum desumptum ex dignitate causae primae summaque creaturae dependentia ab ea, late exponit Billuart, d. 5, art. 6, ubi etiam conficit argumenta ex scriptis S. Augustini et S. Thomae ad quos tamen Doctores aeque confidenter appellant Molinistae.

157. — IV. **Reponunt alii theologi,** textus aliquos a Thomistis citatos non agere de gratia omnino (cf. Murray, d. 8, n. 35): sed, hoc omisso, concedunt Scripturam docere quidem infallibilem efficaciam gratiae, minime vero hanc efficaciam in praedeterminatione physica reponendam esse. Sola enim ratio, inquiunt, cur isti textus ostenderent praedeterminationem physicam, esset quia Deo omnipotenti et infinite sapienti nullum aliud medium superesset, quo hominum voluntates infallibiliter flecteret et moveret. Jamvero Scriptura nedum non docet sed prorsus *excludit* praedeterminationem istam. Ex dictis enim contra haereticos, docet Scriptura 1. hominem esse liberum sub gratiae influxu, item 2. dari gratiam vere et relative sufficientem: doctrina autem praedeterminationis physicae tum libertatem tum sufficientem gratiam destruit, quod paucis ostenditur.

1. Systema thomisticum *destruit libertatem.* Libertas, ex dictis, est facultas, qua positis omnibus ad agendum requisitis, potest homo agere vel non agere; atqui juxta Thomistas, ista praedeterminatio requiritur ad salutariter agendum, et ea posita repugnat omissio actus salutaris; ergo in systemate Thomistico destruitur libertas.

2. Systema Thomisticum *destruit veram gratiae sufficientiam.* — *a*) Gratia vere sufficiens debet *veram* et expeditam *agendi potestatem* conferre; atqui veram et expeditam agendi potestatem non confert etiam remote gratia sufficiens in sensu Thomistico: eâ enim gratiâ suppositâ, altera omnino diversa adhuc requiritur ad agendum. — *b*) Gratia vere sufficiens ita debet esse sufficiens ut *carentia actus soli voluntati imputetur;* atqui si adhuc ad actum ponendum requireretur, ut in systemate Thomistico, altera validior gratia, quae non esset in hominis potestate, carentia actus non posset soli voluntati imputari.

Expenduntur Thomistarum Defensiones

158. — **I.** Primam systematis Thomistici difficultatem *ex impossibilitate resistendi praemotioni et determinationi physicae* deductam sic resolvunt Thomistae:

1. Deus movet non tantum ad substantiam actus sed *ad modum* ejus, juxta naturam uniuscujusque agentis ; atqui modus actus humani est libertas; ergo Deus ita movet voluntatem, ut non destruat libertatem.

Resp. *Concedo totum:* sed nihil probat pro Thomistis. « Quis enim negat Deum ita movere voluntatem, ut eam relinquat liberam, sicut ejus natura postulat? Sed quaestio est, utrum voluntas *mota*, non utcumque, sed *per praedeterminationem physicam*, maneat libera ». Mazzella, n. 624.

159. — 2. Impossibilitas quae est *in sensu composito* tantum non destruit libertatem; atqui talis est impossibilitas resistendi gratiae efficaci in systemate Thomistico; ergo systema Thomisticum non destruit libertatem. — Sicut enim impossibile est, hominem tacentem loqui in sensu composito, nec tamen destruitur libertas ejus: ita liberum arbitrium *quod est motum a Deo*, retinet potestatem *radicalem* dissentiendi, etsi non habeat potestatem ut *dum est motum*, actu dissentiat.

Resp. *Dist. Maj.* Impossibilitas in sensu composito non destruit libertatem, si hypothesis seu forma (sub qua actus dicitur impossibilis) pendeat a libera voluntatis determinatione, *conc.;* si non pendeat a libera voluntatis determinatione, *nego.* — Vel, alia forma (post Antoine): Impossibilitas in sensu composito non destruit libertatem, si sensus divisus sit in potestate voluntatis, *conc.;* aliter, *nego.* — Ad explicationem, notandum est ex Franzelin (de Deo Uno, thes. 44, pp. 440, 441), « necessitatem in sensu composito seu ex hypothesi esse duplicem diversissimam, quarum una quidem libertatem supponit et indicat, altera vero eam plane aufert et negat. *Sensus compositus* in hac materia appellatur, quando subjecto affecto aliqua forma vel constituto sub aliqua hypothesi, *quatenus est sub illa forma aut hypothesi*, convenire posse dicitur actus aliquis enuntiatus in praedicato..... Sit exempli causa propositio: homo vinculis arctissime constrictus potest currere, homo loquens potest tacere. Propositio utraque in sensu composito est falsa, in sensu diviso utraque vera..... Nihilominus tamen in casu priori libertas ad currendum nulla est: in posteriori libertas ad tacendum est plenissima. Ratio discriminis est evidens,

quod scilicet in priori casu *hypothesis vinculorum*, quacum actus currendi *componi* nequit, *non pendet a libera hominis electione*, ut sit vel non sit (ita enim supponimus); contra hypothesis locutionis, quacum silentium repugnat, subest loquentis hominis arbitrio. Parum autem refert, quod constrictus vinculis retineat potestatem *radicalem* currendi, quae vinculis non tollitur : ad libertatem enim currendi requiritur potestas proxime expedita currendi, vel saltem potestas removendi impedimentum ».

160. — *Contradist. Min.* Impossibilitas resistendi praemotioni physicae in sensu composito oritur ex hypothesi quae non pendeat a libera voluntatis electione, *conc.;* quae pendeat a libera voluntatis electione, *nego.* A voluntatis enim electione non pendet ut praemotio physica habeatur, vel ut habita rejiciatur. — Praeterea, quod praesentem quaestionem attinet, ex Concilio Tridentino (sess. 6, cap. 5 et can. 4) propositio « liberum arbitrium a Deo motum et excitatum potest dissentire gratiae » vera est in sensu a Calvino negato, nempe *in sensu composito gratiae praesentis:* ita ut non tantum dici possit « liberum arbitrium *quod est motum* a Deo potest resistere », sed dici debeat, « liberum arbitrium *dum est motum* potest resistere », quod est contra Thomisticam positionem. Cf. Palmieri, pp. 456, sqq.

161. — 3. Tandem dicit Billuart (de Deo, d. 8, a. 4, § 2, p. 329, post Bañez et alios), concordiam libertatis humanae cum concursu divino « *mysterium* esse. Mysteria autem, licet ea esse certo constare possit, tamen quomodo sint, non facile explicatur... ».

Resp. *Dist. Maj. Factum* concordiae gratiae efficacis et libertatis est mysterium, seu doctrina a Deo revelata et difficilis explicatu, licet non aperte repugnans rationi, *conc.; modus* hujus concordiae quem defendunt Thomistae recentiores est mysterium hujusmodi, *nego.* Etenim, ut scripsit Aravius (Episc. Segoviensis O. P.: cit. apud Franzelin, de Deo Uno, p. 424, not.) hujus modi « nec Concilia nec SS. Patres aliquando meminerunt, sed ab eis [Bañesianis] fuit quodam fallaci discursu confictus », imo tot laborat difficultatibus, ut Thomistae « cum ventum fuerit ad objectiones, pie et sapienter a suo systemate recedunt », teste Georgio Albertini O. P. (cit. apud Franzelin, l. c., p. 422, not.). Alios familiae dominicanae theologos qui physicam gratiae praedeterminationem rejiciunt, recenset Schneeman (Controv., pp. 138, sqq.; 214, 215).

162. — **II.** Secundam difficultatem, desumptam *ex defectu potentiae verae in gratia sufficiente Thomistica* resolvunt ita Thomistae :

Sufficiens gratia Thomistarum dat *posse* seu potentiam agendi;

atqui illa gratia sufficiens est in suo ordine auxilii sufficientis, quae dat *posse* seu potentiam agendi, etsi ad *operari* alia requiratur gratia : sicut v. g. 1. ignis ad urendum et panis ad nutriendum sufficiunt, etsi ad effectum requiratur eorum applicatio ; et sicut 2. bonus aedificator sufficiens est ad domum aedificandam in genere causae efficientis, quamvis in genere causae materialis ad actu aedificandum requirantur lapides, calx, etc. ; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Gratia sufficiens Thomistica dat, seu potius relinquit, potentiam puram et radicalem, cujusmodi est ad videndum in eo qui caret lumine, *conc.;* dat potentiam proximam salutariter agendi, *nego:* deest enim absolute elementum quod ex Thomistarum principiis est omnino necessarium. Proinde (ut ait Palmieri, p. 464) gratia sufficiens Thomistica « dat posse *nihil* ».

Dist. Min. Gratia est sufficiens in suo ordine, quae saltem conditionate et mediate, dat potentiam veram et completam ad actum salutarem ponendum, *conc.;* aliter, *nego.* Ex Thomistis vero metaphysice repugnat actum salutarem poni citra praemotionem physicam, nec in humana potestate est, eam habere.

163. — **Exempla** in confirmationem adducta, quod attinet. — 1. Licet potentiam *remotam* habeat panis ad nutriendum et ignis ad comburendum, tamen ut dicantur vere sufficientes ad hos effectus actu producendos, *a*) supponi debet, potentiam completam adesse utrumque applicandi : neque enim panis aut ignis in Hispania existens diceretur sufficiens respective ad nutriendum hominem aut comburendum lignum in Anglia ; ac *b*) debet haberi vis aut quantitas relative proportionata utriusque ad effectum in casu particulari producendum : nam scintilla ignis v. g. non diceretur sufficiens ad truncum ingentem comburendum, nec mica aliqua panis ad hominem robustum nutriendum. Jam vero gratia parva Thomistarum *a*) per se non sufficit ad actum salutarem ponendum, neque *b*) potest homo uti ipsâ citra praemotionem physicam. Ergo dici nequit vere sufficiens gratia ista. Vid. Murray, d. 8, nn. 64, 65.

164. — 2. Similiter, aedificator qui caret lapidibus et calce jure dici nequit habere potestatem completam aedificandi : deest enim ei elementum absolute necessarium ad actum : et certe injuste ageret rex qui talem aedificatorem lapidibus calceque privatum et in carcere inclusum, puniret ob domum non aedificatam, sub praetextu quod potentiam sufficientem ad aedificandum habuerit : et tamen ita fere, in systemate Thomistico, ageret Deus erga omnes qui gratias sufficientes tantum habent. In isto enim systemate, qui gratiam mere sufficientem habet, *a*) caret adhuc medio absolute necessario ad opus praescriptum ponendum, estque *b*) in impos-

sibilitate absoluta medium illud sibi comparandi. Cf. Palmieri, pp. 462, 463.

165. — **III.** Tertium Molinistarum argumentum, quod scilicet in systemate Thomistico gratia efficax non ita sit in hominis potestate, ut *carentia actûs soli voluntati imputari* possit, ita resolvunt Thomistae :

Gratia efficax *offertur* in gratia sufficiente et negatur tantum ei qui resistit gratiae sufficienti ; atqui in systemate thomistico haec resistentia soli voluntati imputanda est ; ergo gratia efficax est in hominis potestate. Ita Lemos, Alvarez, etc. : vid. Palmieri, pp. 448, sqq. — Hanc responsionem illustrant Thomistae exemplis 1. pueri imperiti qui magistro manum ejus ad scribendum dirigenti resistit, 2. illius qui alas a Deo ad implendum praeceptum volandi oblatas recusaret : imperfecta enim scriptura in uno casu et transgressio praecepti in altero, malae voluntati juste imputantur.

Resp. *Nego Min.* Etenim ut resistentia imputari possit ad culpam, non-resistentia debet esse in potestate voluntatis ; cum vero 1. non-resistentia nihil aliud sit quam consensus (neque enim datur medium), et cum 2. consensus iste impossibilis sit juxta Thomistas citra praemotionem physicam *quae est naturâ prior*, nequit defectus hujus praemotionis et consensûs (qui est praemotione naturâ posterior), juste in voluntatem humanam refundi, sed tantum in ipsum Deum (cf. Mazzella, nn. 551, 552).

166. — Rem aliquatenus illustrat Murray, n. 62, hoc exemplo : « Si ope perspicilli boni et pellucidi facile legere possim, et loco talis perspicilli aliud traditur mihi obscurum et mihi ineptum, cum quo legere non possum ; nonne haec impotentia legendi [puta divinum Officium ex praecepto] non soli hebitudini oculorum meorum, sed etiam perspicilli defectui, et huic maxime, merito tribueretur? Ita et non soli voluntati istâ gratiâ inefficaci adjutae, sed etiam ipsi gratiae insufficientiae, et huic maxime, resistentia tribui debet ».

Imo ex systemate Thomistico, Deus non solum gratiam negat efficacem, sed 1. ineluctabiliter praedeterminavit voluntatem ad ipsum *actum physicum resistentiae* ponendum, et 2. si agatur de reprobo, gratiam tantum inefficacem ipsi *consulto* decrevit et praeparavit, eò praecise fine ut, ad « pulchritudinem universi » obtinendam, eum a gloria aeterna tanquam a beneficio indebito efficaciter tandem excluderet (cf. de Deo Uno, nn. 282, 347, 414). Ergo non videtur resistentia in systemate Thomistico humanae voluntati juste tribuenda et imputanda. — Nec quid juvant *exempla* proposita : ad paritatem enim cum systemate Thomistico, necesse

esset ut puer ineluctabiliter praedeterminaretur ad resistendum manui magistri, alter vero ad alas recusandas. Cf. Murray, nn. 67, 68.

§ 2. *De Systemate Moliniano*

167. — Cum ergo systema Thomisticum gratiae efficaciae consulendo libertatem humanam et gratiae sufficientiam perimere videatur, quaerendum est an in systemate opposito Molinistarum bene componantur gratia et libertas.

I. Ut **libertati** *consulant*, Molinistae, rejecto concursu praevio Thomistarum, docent Deum concurrere actionibus creaturarum omnium, in ordine tum naturali tum supernaturali, *concursu simultaneo seu concomitante.*

Videlicet 1. ad *naturalem ordinem* quod attinet, Deus, juxta Molinam, non applicat causas secundarias ad agendum, sed (supposita earum creatione et conservatione) *cum* eis dum agunt influit in eundem effectum, ita ut effectus *totus* tribuatur tum Deo (causae primariae) tum creaturae (causae secundariae) ut *concausis* seu *comprincipiis*, eodem fere modo quo duo homines idem pondus fune trahentes non agunt unus in alterum sed uterque immediate in effectum. Sic. v. g. juxta Molinistas, cum lignum igni imponitur, Deus non concurrit applicando ignem ad agendum aut vim comburendi ei conferendo: hanc enim vim ex creatione et conservatione jam habet; sed concurrit cum eo ad effectum combustionis producendum, hunc scilicet effectum volendo (Deus enim ad extra operatur et efficit volendo). Concursum divinum hujusmodi Cajetanus, insignis S. Thomae interpres, docuisse videtur asserendo (cit. apud De Maria, « philos. peripatetico-schol. », t. 3, p. 405), creaturas moveri a Deo causa prima non « motione *praevia* propriae actioni, sicut baculus movet lapidem motus a manu », sed « motione *cooperativa intrinsece* propriae actioni ». Cf. Palmieri, thes. 51, n. II.

Notandum est, concursum simultaneum cum igne et aliis hujusmodi causis ex necessitate agentibus esse, extra casum miraculi, *determinatum* ad unum tantum effectum, v. g. ad comburendum: non ita cum causis liberis. In causa scilicet libera, de qua praecipua est quaestio, distingui potest *ipsa determinatio* voluntatis ab *exsecutione* earum rerum quas voluntas imperat. — *a*) In *exsecutione* videlicet Deus concurrit concursu *concomitante*, non tamen determinato, sed *indifferenti* ad singulos effectus quos voluntas imperare potest, v. g. ad sedendum aut ambulandum (cf. Murray, nn. 19, 20). Sic (ait Tongiorgi, Theol. n. 307), « in ipsius

voluntatis potestate est divino vel ad unum vel ad alterum concursu uti; neque concursus voluntatem, sed potius voluntas concursum flectit atque determinat ».

168. — *b*) De ipsa vero *determinatione* major est difficultas: quamvis enim quoad exsecutionem concursus divinus sequi dicatur voluntatis determinationem et eatenus servetur libertas, attamen si ad hanc ipsam determinationem adhuc requiritur divinus concursus, recurrit iterum difficultas (cf. Murray, nn. 21, sqq.). Ipsi Murray satius videtur dicere Deum ita hominem condidisse, ut voluntas humana, propositis per intellectum objectis, in sese ad hoc vel illud objectum (v. g. ad actum assentiendi vel dissentiendi, amandi vel odiendi, etc.) determinandâ ita indifferens sit, ut indigeat tantum *conservatione* divina, seu aliis verbis concursu *mediato*, non autem auxilio seu concursu alio; statim vero, in ipso electionis momento, in iis inchoandis et exsequendis quae voluntas elegerit et imperavit (v. g. in assensu praebendo, etc.), indigere, ut dictum est, concursu divino immediato concomitante.

169. — Alia solutio (quam tradunt v. g. Boedder, « Nat. Theol. », pp. 363, sqq.; Illustr. Healy, « Irish Eccl. Record », 1883, pp. 426, sqq.), dum admittit concursum divinum immediatum requiri ad omnes et singulas creaturarum operationes ac proinde ad actum physicum volitionis, monet tamen ab hoc volitionis actu non distingui entitative, tanquam aliquid aliud, voluntatis determinationem, sed eam esse ipsum actum libere elicitum. In hac explicatione, voluntas, dum per concursum divinum, *physicum* volitionis actum elicit, *eodem ipso actu eligit* et amplectitur pro nutu hoc vel illud ex objectis quae proponit intellectus et in hac electione et determinatione propriâ consistit libertas qua voluit Deus homines instrui. Cf. Bellarminus (de Grat. et lib. Arb., lib. 4, c. 15, resp. ad « tert. arg. ») (1).

Rem illustrare licet exemplo quod desumit Taparelli (apud Mazzella, n. 734. annot.) ex navi vaporifera. Quemadmodum enim in tali navi nullus motus seu impulsus dari potest qui non sit in determinatam aliquam directionem: ita voluntas hic et nunc moveri nequit nisi in determinatum aliquod objectum sub ratione boni. Et

(1) Proposita difficultate, respondet, « In eo quod est, voluntatem se determinare ad opus, sive (quod idem est) re ipsa operari, cum antea non operaretur; tria considerari possunt, voluntas, actio ejus, et egressus actionis a voluntate sive relatio et habitudo actionis tanquam effectus ad voluntatem, ut ad causam. Ex his tribus, voluntas sine dubio a solo Deo facta est; actio quoque fit a Deo, quamvis non solo; denique relatio proprie non fit, sed consequitur: tamen ut est idem re cum actione, ab eo fit, a quo actio ipsa fit. — Itaque nihil est, quod non fiat a Deo, et tamen non dicitur Deus determinare, vel applicare voluntatem ad opus, quia relatio illa non refertur ad Deum, sed ad solam voluntatem ». Et Palmieri (p. 481), « Nec aliud est determinatio et aliud actus: sed est actus unus libere h. e. absque necessitate procedens a voluntate ».

sicut in navi impulsus seu motus sit tum a vi repulsiva vaporis tum a gubernatore (quippe qui vim istam moderari aut *cohibere* potest), *directio* autem est unice a gubernatore : ita fere in homine *actus physicus volitionis* est *tum a Deo tum a voluntate*, directio autem seu *determinatio* actûs est *a sola voluntate* (1).

170. — **Obs. de S. Thomae doctrina.** — S. Thomas, dum actiones liberas creaturarum Deo ut Causae Primae tribuit, semper tamen determinationem ipsam soli voluntati creatae vindicat. Ita (praeter loca citata in commentariis de Deo Uno, n. 189), dicit S. Doctor (1. 2, qu. 9, a. 6, ad 3), « Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum ; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est vere bonum vel apparens bonum ». Et (ibid. qu. 10, a. 4). « Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa ; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius, nisi in his, ad quae naturaliter movetur ». — Alia S. Thomae loca tradunt Palmieri, thes. 53 ; Boedder, pp. 439, sqq.

171 — 2. Ut dicta *ad ordinem supernaturalem* transferamus, considerentur iterum latrones cum Domino crucifixi. Uterque ex hypothesi aequalem habet gratiam excitantem, quae in utroque intellectum illuminat, voluntatem inspirat, hasque facultates elevat. Latro a sinistris naturali sua libertate abutendo, ope concursus divini generalis, quoad actum physicum volitionis, resistit gratiae, quae proinde remanet mere, licet vere sufficiens. — Latro a dextris e contra, gratiae se subdit, consensum praebet, sese ad Deum convertit, et gratia fit efficax in actu secundo : et hujus volitionis *actus entitativus physicus* tum a concursu divino supernaturali tum a Boni Latronis voluntate oritur. Directio vero volitionis seu *ipsa determinatio* (consensio nempe potius quam dissensio) est a volun-

(1) Aliud exemplum tradit Illustr. Dr. Healy (l. c., pp. 427, 428) : « The determination is part and parcel of [the physical act of the will]. In fact, it is the physical act itself, viewed in a certain aspect or relation, and therefore needs no *concursus* distinct from that by which the physical act of the will is performed. The faculty and the divine *concursus* may be likened to two horses yoked tandem ; the human will being, by God's permission, the leader in all free acts. Neither horse can, we suppose, draw the vehicle by himself ; but both acting together, produce the effect. The horse between the shafts, representing the Divine *concursus* may be conceived in act to draw ; simultaneously the will puts forth its own intrinsic energy, and, like the leading horse, determines the direction ; but such determination requires no *distinct* effort of force, and therefore no *distinct* co-operation from the wheeler. In a precisely similar way the human will and the Divine *concursus* act as one principle in producing the effect, and the will alone determines the direction ».

tate ipsa humana libera citra ullum *novum* auxilium: neque *a sola voluntate humana nude sumpta* aut in statu naturali relicta, sed a voluntate ope gratiae excitantis vocata et invitata, et ad actum supernaturalem ponendum, dumque eum ponit, elevata et roborata: ita ut vere dici possit Bonus Latro *per vires gratiae consentire.*

Hac explicatione videtur bene declarari, contra Novatores et Jansenistas, quomodo (ut definivit Concilium Tridentinum, sess. 6, can. 4) liberum arbitrium a Deo motum et excitatum Deo excitanti et vocanti *vere cooperetur, possitque dissentire si velit*, ita ut *vere agat*, nec *mere passive se habeat:* quin tamen errore opposito Pelagianorum, tribuatur naturae viribus opus salutare aut ejus initium.

172. — Obs. de gratiae et voluntatis cooperatione. — Notandum est ex theologis Molinistis (Mazzella, n. 685, 686; Palmieri, thes. 17; Cercià, pp. 303, sqq.; Murray, nn. 95, 117, 118), in operibus supernaturalibus gratiam (passive spectatam, seu ex parte hominis) concipiendam non esse ut principium separatum a voluntate eique extrinsecum, sed ut qualitatem *intrinsece informantem voluntatem*, seu ut *comprincipium* cum ipsa: ita ut actus salutares non eliciantur a voluntate seorsum nec a gratia seorsum, sed (ut ait Cercià) «a gratia operante in facultate et per facultatem; vel a facultate ut actu imbuta intrinsecus vigore gratiae, et per eam elevata et roborata quoad ipsos actus », sicut v. g. in ferro candente nec ferrum seorsum nec ignis seorsum comburit sed utrumque simul ut comprincipium. Ex Palmieri (thes. 17, p. 69), « elevatio, illustratio et inspiratio sunt aliquid ipsius voluntatis, non sunt quiddam seorsim ab ea valens existere, sed sunt modi ipsius; causa proinde actus salutaris est voluntas speciali modo, h. e. supernaturaliter modificata ». Dicit Pesch (n. 63), « gratia non est nisi natura supernaturaliter a Deo elevata ».

Exemplum sumit Cercià ex prodigiis Samsonis, quae scilicet tribuenda sunt tum brachio Samsonis tum vigori praeternaturaliter indito, non tamen veluti distinctis principiis sed ut comprincipio uni. Hoc etiam illustrari forsan potest ex helice electro-magnetica: quod enim, ad instar magnetis, fascis ferreus illius machinae, immisso flumine electrico, ferrum attrahat, id non fasci ferreo seorsum, sed tum ipsi fasci tum flumini electrico, utrique scilicet ut concausae et comprincipio adscribendum est. Dicit Lessius (« Resp. ad antapolog. Lovan. », apud Schneemann, « Controv. » p. 392), « Sicut enim in operibus civilibus potest se liberum arbitrium flectere in utramvis partem viribus naturae, ita in operibus

bonis potest se viribus gratiae in utramvis partem flectere » (vid. ibid. pp. 452, 456).

173. — **II.** Reliquum est, ut explicetur, quomodo in hoc Molinae systemate gratia Bono Latroni v. g. (juxta nostram hypothesim) collata dici possit **efficax in actu primo,** efficaciâ connexionis, ita ut certo et infallibiliter effectum a Deo absolute intentum, scilicet Latronis conversionem, sit obtentura. Aliis verbis quaeritur, quomodo possit Deus, juxta hoc systema, hominum corda et voluntates *invincibiliter* movere et flectere quocumque vult: ex libertate enim ipsa qua gaudet Latro, donec actu consentiat, gratiae semper resistere potest.

Hanc infallibilem efficaciam gratiae cum repudiabilitate ejusdem componunt Molinistae *ope scientiae mediae.* Deus scilicet, ut dictum est in tract. de Deo Uno, ab aeterno scit quid homo quilibet *libere* faceret his vel illis adjunctis, hoc vel illo auxilio adjutus. Scit proinde certissime (quo autem medio, vel potius *unde*, nobis ignotum est), cui gratiae ex omnibus possibilibus Latro ille certo cederet, si ei daretur. Haec ergo gratia, etiam ante divinum decretum de ipsa conferenda, Deo objective cognoscitur ut efficax. Deinde *ex pura misericordia* et inscrutabili consilio, absolute decernit Deus istam gratiam ei conferre, in quo decreto videt ab aeterno Latronem libere consentientem. Gratiae demum debito tempore collatae Latro *libere* cedit, et gratia fit efficax in actu secundo. Atque sic, ut « manifestissime credendum » tradit Concilium Arausicanum II (Denz. 171), « illius Latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit..... illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum » (1).

174. — **III. Probatur hoc systema** contra Thomistas. — **1.** Ex

(1) Hoc systema sic proponit Palmieri (Thes. 55), « Gratia, qua formaliter voluntas constituitur elevata, illustrata, inspirata, ex seipsa efficaciam habet tum physicam, supernaturales conferendo vires, tum moralem, ad opus bonum, ut par est, praeparando voluntatem: quae efficacia est *efficacia virtutis* et a divina omnipotentia ac sapientia pendet. *Connexio* [actualis] vero *gratiae cum actu bono* determinatur exercitio liberi arbitrii, non quidem naturaliter agentis, sed elevati: quod proinde nonnisi per vires gratiae consentit, dum posset per naturae vires dissentire. Quare *efficacia connexionis* gratiae cum effectu utrumque elementum complectitur, efficaciam nempe virtutis propriam gratiae liberique arbitrii determinationem. Porro gratia quae effectum obtinet, dicitur secundum Augustinum congrua, ejus vero congruitas in actu primo opus non est ut affirmetur ». Deinde (Thes. 56), « Infallibilis proinde connexio futura gratiae, si haec datur, cum bono opere non est adaequate petenda ex *efficacia virtutis* gratiae et ex divina omnipotentia, sed ea supposita, *formaliter* petenda est ex divina praescientia, quae noscit quid sub qualibet gratia actura sit voluntas creata, si ea gratia ipsi donetur. Quare singulare est Dei beneficium quod Deus misericorditer ita hominem vocet, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat ». Cf. Mazzella, n. 692.

Scriptura sacra, praesertim ex Matth. 11. 21, « Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent ». — Dici nequit Dominus hoc loco injuste culpasse Capharnaitas; atque injuste eos culpasset, si data eis gratia excitanti, conversio jam non ex eorum consensu, sed ab alio aliquo penderet, puta, a praemotione physica; ergo conversio, idest efficacia gratiae, physicae praemotioni tribuenda non est.

Prob. Min. Injuste eos culpasset Dominus si defectus involuntarius sola causa esset, cur non converterentur; atqui ita in hypothesi adversariorum: nam 1. ista praemotio physica, sine qua repugnaret conversio, eis data non est: aliter infallibiliter conversi essent; et 2. iste defectus erat involuntarius: *praemotio* enim, ex ipso nomine, antecedit voluntatis actum; ergo efficacia gratiae pendet ex voluntatis consensu.

175. — **2.** Molinistarum systemati favere videntur SS. Patres. — Ita S. Augustinus (de spir. et litt., c. 34, n. 60), « Profecto et ipsum velle Deus operatur in homine..... consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire propriae voluntatis est. Quae res non solum non infirmat quod dictum est: *quid habes quod non accepisti?* verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere non potest anima dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo ac per hoc quid habeat et quid accipiat, Dei est: accipere autem et habere utique accipientis et habentis est ». Item (l. 1 ad Simplic., qu. 2, n. 10), « Ut velimus, suum esse voluit et nostrum: suum vocando, nostrum sequendo ». Iterum (ibid., n. 13), « Verum est ergo: Multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati ». — Et S. Bernardus (de grat. et lib. arb., c. 14, n. 47), « Sic autem ista [gratia] cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat, in ceteris comitetur, ad hoc utique praeveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a sola gratia coeptum est, pariter ab utroque perficitur; ut mixtim, non singillatim, simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quippe hoc et totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa ».

176. — **3.** Hoc systema suadetur etiam ex sensu communi fidelium et propria uniuscujusque experientia. — « Quivis enim », ait Molina (qu. 14, a. 13; d. 40: edit. paris., p. 231), « in seipso experitur, dum de peccatis propter Deum dolet, in sua potestate esse continere eum actum quo dolet, non solum divertendo ad alia,

sed etiam dissentiendo, complacendoque tunc in iis ipsis peccatis de quibus dolet ». — Ut dicit Hurter (n. 128, annot., sub fin.), « *Praeferendum* omnino videtur systema, quocum concordat *praxis*, modus loquendi quotidianus et unice aptus ad excitandos homines ad omne virtutis studium, illi theoriae, a qua plus minus *dissentit praxis* modusque practicus instituendi populum christianum ».

177. — **4.** Demum ratione theologica probatur hoc systema. — In eo enim, ut ex dictis liquet, dignitas et efficacia infallibilis gratiae videntur contra Pelagianos et Semipelagianos tuto servari, et contra Novatores et Jansenistas cum libertate hominis sub ejusdem gratiae influxu recte conciliari; asseritur quoque, item contra Novatores et Jansenistas, gratia vere et mere sufficiens, quae scilicet ex sola culpa hominis, non ex defectu Dei, caret effectu.

Solvuntur Objectiones

178. — Obj. 1. Nemo potest se discernere in negotio salutis, juxta Apostolum (1 Cor. 4. 7); atqui in sententia Molinae homo se discernit: cum ab ipso pendeat ut gratia sit efficax aut maneat mere sufficiens; ergo.

Resp. Dato, non concesso, textum loqui directe de donis internis, *Dist. Maj.* Homo non potest se discernere acquirendo sibi viribus naturae, vel etiam merito supernaturali *condigno*, illam gratiam quae *certo* obtentura sit consensum, *conc.;* tali gratiâ acceptâ nequit se discernere, *subd.:* viribus suis naturalibus sibi relictis, *conc.;* potentiis suis per gratiam elevatis et roboratis, ut jam explicatum est, *nego.*

Contradist. Min. Homo se discernit gratias efficaces merendo, *nego;* gratiis quas recipit cooperando, *subd.:* idque facultatibus elevatis et roboratis supernaturaliter, *conc.;* viribus mere naturalibus, *nego.*

Inst. Ex communi fidelium persuasione, voluntas ideo gratiae consentit, quia Deus eam adjuvat; atqui in systemate moliniano hoc verum non est; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Consensus voluntatis eo sensu Deo tribuitur, quod ipse sit principium *eligens*, *nego;* quod sit principium *efficiens*, *subd.:* quatenus spectatur consensus ut actus *supernaturalis* et salutaris, *conc.;* quatenus spectatur ut actus *vitalis*, *nego.* Videlicet, ut jam dictum est, ex S. Augustino (supra, n. 175), « ipsum velle Deus operatur in homines..... *consentire* autem vocationi Dei vel ab ea dissentire *propriae voluntatis est* ».

179. — Obj. 2. In sententia Molinae fieri potest ut aequali gratia duobus hominibus concessa, unus ei consentiat, alter dissentiat; atqui qui consentit se discernit ab alio; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Fieri potest, ut gratiae aequali *ratione entitatis physicae* unus consentiat, alter dissentiat, *conc.;* aequali *ratione beneficii, nego.* Beneficium enim divinae misericordiae est, ut gratia concedatur homini eo momento quo praevidetur obtentura consensum. — Fieri autem posse ut in uno homine gratia aequalis aut etiam major, minorem habeat effectum quam in alio, est doctrina, ut jam dictum est supra (n. 150), S. Augustini, S. Thomae, S. Francisci Salesii pluriumque doctorum et theologorum. Vid. etiam Suarez, de Deo, l. 6, c. 1, nn. 6, 7; Pesch, nn. 239, sqq.; Schneemann, pp. 326, sqq.

Inst. Si ex duobus hominibus aequaliter armatis unus alteri praevaleat, hoc tribuitur victoris industriae et conatui; atqui in casu allato duo homines aequalem gratiam habent; ergo a pari qui actum salutarem ponit se discernit in negotio salutis.

Resp. *Dist. Maj.* Victoria tribuitur saltem partialiter industriae et conatui pugnantis, quippe qui bene usus est armis, *conc.;* ipsi soli tribuenda est semper, *nego.* Etenim si herus duobus servis ad certamen gladiatorium cum se invicem destinatis arma quidem tribuisset in se aequalia, quorum tamen usum unus tantum ex servis egregie calleret, huic ab exordio fere praeparata fuisset victoria.

Dist. Min. Aequalem gratiam habent ratione auxilii entitative spectati, *conc.;* ratione beneficii, *nego.* Praeterea neganda est paritas: etenim 1. gratia non est merum instrumentum extrinsecum, sed est virtus intrinseca quae dat *ipsas vires* supernaturaliter agendi; et praecipue 2. quod rem praesentem spectat, gratia efficax ex scientia et decreto Dei connexionem habet omnino *infallibilem* cum effectu, aliter quam arma cum victoria.

180. — Obj. 3. Frustrari nequit voluntas Dei circa electi alicujus, v. g. Petri salutem; atqui in hoc systemate frustrari posset; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Frustrari nequit voluntas Dei consequens et absoluta, *conc.;* antecedens et conditionata, *nego,* ut dicitur in tract. de Deo Uno.

Contradist. Min. In systemate Moliniano frustrari posset voluntas Dei antecedens et conditionata, *conc.;* absoluta et consequens, *nego:* etenim 1. scientia et potentia Dei est infinita; et 2. voluntas humana est facultas quae tendit in bonum; sed voluntas, infinitis mediis ad bonum incitata et omnibus resistens, esset facultas tendens potius in malum. Cf. Cercià, pp. 306, 307.

181. — Obj. 4. In systemate Molinae consensus praevius hominis est ratio cur Deus conferat ei majus beneficium (gratiam scilicet praevisam efficacem); atqui haec est doctrina Semipelagianorum; ergo rejicenda est.

Resp. *Nego. Maj.* ratio enim, juxta Molinistas, est ipsa divina misericordia.

182. — Obj. 5. Systema Molinae supponit Deum exspectare voluntatis humanae determinationem; atqui hoc damnavit in Semipelagianis Concilium Arausicanum II (can. 4: Denz. 147); ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Supponit Deum exspectare determinationem voluntatis ex propria et naturali virtute agentis, *nego;* agentis per vires gratiae, *subd.:* eo sensu quod per suam conditionatorum nostrorum scientiam dirigatur citra haesitationem providentia ejus aeterna, *conc.;* eo sensu quod hujus determinationis praevisio sit causa conferendi gratiam, ut voluerunt Semipelagiani, *nego.*

183. — Obj. 6. In hoc systemate gratia esset versatilis, pedissequa voluntatis, libero arbitrio subjecta, etc.; atqui haec est doctrina in Semipelagianis damnata; ergo.

Resp. *Nego Maj.* Etenim 1. versatile non est, quod nequit in partes oppositas deflecti: talis autem in systemate Moliniano est gratia, quippe quae nonnisi ad bonum movet quaque nemo abuti potest ad malum. — Neque 2. in systemate Moliniano est gratia pedissequa voluntatis: quia nihil prorsus salutare operari potest voluntas, nisi gratia praeventa et excitata sit. — Neque 3. est gratia in isto systemate subjecta voluntati, quia ab homine non pendet eam habere: imo potius infallibiliter ope scientiae mediae voluntas humana in hoc systemate gratiae subjicitur.

184. — Obj. 7. Causa ex se indifferens et indeterminata ad hoc vel illud non potest se ipsum determinare; atqui voluntas humana ex se est indifferens ad hoc vel illud agendum; ergo non potest se ipsam determinare, sed indiget aliqua determinatione extrinseca, v. g. praemotione physica.

Resp. *Dist. Maj.* Causa ex se indifferens, indifferentiâ passivâ, non potest se ipsam determinare, *conc.;* indifferens indifferentiâ activâ, *nego:* in hac enim determinatione sui consistit libertas. — *Contradist. Min.* — « Non tamen hic actus [seu haec determinatio voluntatis] est absque ratione. Nam ratio sufficiens, quae postulari posset, vel est causa finalis, vel causa efficiens; causa finalis est bonitas rei apprehensa, causa efficiens est ipsa voluntas, quae non solum est causa quaedam agens, sed est domina sui actus [determinationis] et idcirco agit ita ut possit non agere, ita vult ut possit nolle. Quapropter falluntur qui quaerunt rationem sufficientem et completam cur sit hic actus potius quam oppositus, in-

dependentem a voluntate : hoc enim est destruere ipsam libertatem atque haec ratio non datur ». Palmieri, p. 481.

185. — Inst. Potentia, juxta axioma, non transit in actum, nisi per aliquod ens actu ; atqui potentia etiam active indifferens, antequam se determinet ad actum, non est actu sed potentiâ tantum operativa ; ergo ut actu fiat operans, debet ab alio determinari.

Resp. *Dist. Maj.* Potentia non transit in actum, nisi per aliquod ens actu, quod illam incitet ac moveat aliquo modo ad agendum, *conc.;* quod illam determinet ad agendum, *subd.:* si sit potentia necessaria, *conc.;* si sit potentia libera, *nego.* — Deus ergo, ut *primus motor* movet voluntatem, non quidem 1. praedeterminatione physica, quae nullam relinqueret electionem inter diversa ; bene vero 2. « sicut universalis motor *ad universale objectum*, quod est *bonum* » (ut loquitur S. Thomas, 1. 2, qu. 9, a. 6, ad 3), relictâ tamen homini potestate ut se determinet *in particulari* « ad volendum *hoc vel illud* quod est vere bonum vel apparens bonum » ; 3. efficienter, quatenus *concurrit* cum intellectu in objecto voluntati proponendo, et postea cum voluntate in physico volitionis actu eliciendo ; demum 4. in supernaturali nominatim ordine, *per gratiam excitantem*, quatenus voluntatem ad opus bonum movet tum indirecte per intellectum tum directe per specialem inspirationem et per actum indeliberatum supernaturalem, ita ut ad opus bonum deliberatum ponendum, requiritur tantum ut voluntas in actu indeliberato *persistat*, vel eum non abjiciat (1).

186. — Obj. 8. Deus est « primum liberum » ; atqui si voluntas humana esset causa suae determinationis, Deus non esset primum liberum ; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Deus est primum liberum, quatenus ipse est liber per essentiam, omnis autem alia causa per participationem et dependenter ab ipso, *conc.;* quatenus praedeterminat ad unum voluntatem creaturae libere agentem, *nego.* Ex argumento Thomistarum sequeretur, Deum esse non tantum primum sed et *unicum* liberum ; et pariter dicendus esset unicus vivens, unicus sciens, id quod in purum pantheismum induceret. Cf. Palmieri, p. 482.

(1) Partes mutuas Dei et liberi arbitrii in actu deliberato salutari sic assignat Palmieri (thes. 17, n. 5 : p. 69), « Si consideretur causa, quae voluntatem elevat, illustrat, et inspirat et cum ea concurrit, tunc profecto duplex diversaque causa distingui potest et debet actus deliberati salutaris, *voluntas* nimirum et *Deus*. Utrique autem causae totus effectus adscribendus est, voluntati quidem agenti secundum vires gratuito acceptas ; quia secundum has vires est principium completum ejusdem : Deo autem tum mediate, quia causa est harum virium in voluntate, tum immediate, quia concursu suo, qui hîc est concursus in ordine supernaturali, efficit immediate actum [physicum volitionis] cum voluntate viribus suis utente ».

§ 3. *Aliorum Systematum adumbratio*

187. — I. Secundum **Augustinienses** (Berti, Noris., etc.) efficacia gratiae in ordine praesenti consistit in *delectatione relative victrici* nempe in caritate, quae *graduum intensione* contrariam concupiscentiam superet. Distinguuntur proinde hi auctores a Thomistis, eo quod asserant *moralem* tantum non physicam *praemotionem*, et a Jansenistis quia negant hanc delectationem *necessitatem* importare, licet eâ positâ actus certo et infallibiliter sequatur. — Hoc systema non videtur admittendum: neque enim 1. gratia semper movet ad opus salutare formaliter et proxime per delectationem proprie dictam (vid. supra, n. 145); neque 2. majorem semper delectationem sequimur; nec denique 3. delectatio illa victrix infallibilitatem effectus in gratiae efficacia cum libertate humanae voluntatis sufficienter tueri videtur. Putat tamen Murray (nn. 81, sqq.), hoc systema non adeo officere libertati, ac eo praecipue rejicit, quod affirmat *omnem* gratiam efficacem consistere in delectatione relative victrici; praeterea, *gratia sufficiens* Augustiniensium, sicut et Thomistarum, non videtur esse vere sufficiens, cum *careat delectatione illa victrici* sine qua in ipso systemate liberum arbitrium actum bonum efficere nequeat.

188. — II. Simile aliquid docet **Thomassinus**, qui tamen, aliter quam Augustinienses, efficaciam moralem infallibilem gratiae non tam in qualitate et vi intrinseca singularum gratiarum collocat, quippe quae seorsum propter hominis libertatem frustrari possent, quam in earum *cumulatione*, conspiratione et oppugnatione continua, qua Deus hominis voluntatem quasi expugnet, et obstinatisimum quemque tandem defatiget et ut consensum praebeat devincat. — Rejiciendum vero videtur et hoc systema: ex ipso enim sequeretur (ut notat S. Alphonsus, op. dogm. contra haer. s. 6, § 4. n. 125), nullam dari gratiam *singularem* infallibiliter efficacem, seu aliis verbis omnem gratiam quae seorsum datur esse inefficacem, nec Deum posse hominis conversionem *instantaneam* efficere. Cf. Kilber, n. 376.

189. — III. Alii cum Alphonso Moyne (seu Lemoine), Ysambert, **Tournely** (doctoribus Sorbonicis), **S. Alphonso Liguori**, etc., quo facilius omnes expediant difficultates, *duplicem gratiam* distinguunt, alteram consensu voluntatis, alteram ab intrinseca sua natura efficacem, quarum priori si quis bene usus fuerit ad opera *faciliora* ac praecipue ad orandum, concedatur ei gratia altera ex se efficax ad opera *difficiliora* et ad perfectam conversionem obtinendam.

Non videtur hoc systema a Molinismo admodum discrepare. Etenim 1. admittunt Molinistae, et explicita est Ripaldae, Valentiae, Lessii, etc. sententia (cf. Schneemann, « Controv. », p. 322; Murray, n. 93; Jungmann, n. 204, annot.; Schiffini, p. 447), dari interdum posse gratias adeo validas ut impossibile sit, non quidem physice (licet hoc quoque admitteret Pesch, n. 46), sed moraliter saltem loquendo, eis resistere, sicut v. g. in casu S. Mariae Magdalenae, S. Pauli etc. (1): imo censet Murray, n. 129, ejusmodi gratias quotidie dari in ecclesia, praesertim in Missionibus. (Cf. Hurter, n. 143; Palmieri, p. 497; Mazzella, n. 680, 1). Tenent tamen 2. Molinistae contra Thomistas et Augustinienses, *non omnem gratiam* efficacem, v. g. ad orationem aliquam recitandam, esse ab intrinseco efficacem. Demum 3. disserte docent Lessius, Molina, etc., per orationem ac bonum praesentis gratiae usum uberiorem obtineri gratiam.

190. — In his quidem cum Molinismo cohaeret sententia Sorbonica; *concordiam* vero gratiae et libertatis per se *non explicat* haec sententia, nec controversiam domesticam dirimit. — Admissâ enim distinctione gratiarum potentiorum et remissiorum, *infallibilis* tamen *connexio* gratiae alicujus specialis cum effectu particulari determinato, v. g. cum conversione peccatoris hujus vel illius, *dijudicari nequit ex sola vehementia et fortitudine physica gratiae*, « quia permagna gratia, quae quietum animum certissime permoveret, vi atque impetu cupiditatum vel tentationum, quas diabolus aut occasio excitavit, ita impediri potest, ut anceps ac dubia sit exspectatio eventus » (Schneemann, p. 335).

Recurrendum ergo tandem est ad Dei, auctoris gratiae, infallibilem scientiam. Hanc autem infallibilem Dei scientiam explicare nequeunt (nec solent) Sorbonici per systema vel Thomistarum vel Augustiniensium, quorum fundamentale principium est, efficaciam *gratiae cujusvis*, etiam tenuissimae, ab intrinseco esse, vel scilicet ex praemotione physica, vel ex delectatione relative victrici. Si vero deinde, quod solum relinquitur eis, Doctores Sorbonici, ut infallibilem connexionem gratiae *vehementioris* cum opere salutari *difficiliori* explicent, ad Scientiam Mediam (quam de cetero admittunt) recurrant, cur quoad opera faciliora et omnia opera non admittetur eadem explicatio, cum eadem semper sit ratio? Cf. Schneemann, pp. 323, 324.

(1) In hoc sensu aliquando allegatur Molina ipse. Qui tamen (in qu. 14. a. 13: d. 53, memb. 4: edit. paris., pp. 372, 373) agens de conversione S. Pauli, S. Mariae Magdalenae et Boni Latronis, docet in eorum potestate fuisse gratias acceptas, extraordinarias licet et abundantiores, per resistentiam inefficaces reddere, monetque, « nihil infra Deum clare visum *necessitare* voluntatem, quoad exercitium actus, sed semper manere liberam ut actum exerceat aut non exerceat ».

Conclusio. « His praehabitis », ait Murray, n. 132, « censeo systema Molinianum, apposita interpretatione jam data, esse omnino et unice verum, et ex omni parte prorsus inexpugnabile. Censeo insuper doctrinam hujus systematis eam esse (fere dixi, eam solam esse), quae, debito modo explicata, semper, ubique, cunctis fidelibus, doctis et indoctis, tutissime et fructuosissime praedicari potest ».

191. — Obs. de « gratia congrua » S. Augustini. Gratiam efficacem saepe vocat S. Augustinus « congruam » : ita v. g. (lib. 1 ad Simpl., qu. 2, n. 13), « nullius Deus frustra miseretur ; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat ». Hujus autem locutionis non una est explicatio. — Sic 1. gratia dici potest congrua eo sensu quod apta sit ad effectum obtinendum : et hoc sensu omnis gratia, etiam sufficiens, est congrua. — 2. Dici potest gratia congrua, eo quod physice includat effectum : et hoc sensu praemotio physica Thomistarum est gratia congrua. — 3. Dici potest gratia congrua eo quod moraliter includat ipsum effectum : et hoc sensu delectatio victrix Augustiniensium et gratia efficax aliquorum congruistarum est gratia congrua (cf. Murray, nn. 120, sqq.). — Demum 4. dici potest gratia congrua eo quod Deus eam conferat modo et tempore quo novit ex scientia media hominem ei certo consensurum : ita locum citatum S. Augustini explicat Palmieri (p. 550 : cf. p. 497) : ita et Molinistae universim, a quibus non dissentire Suarezium, ut quidam volunt, demonstrat Mazzella, nn. 678-681.

QUAESTIO TERTIA

DE DISTRIBUTIONE GRATIAE

192. — In hac quaestione, quae cum doctrina de voluntate Dei salvifica intime nectitur, notant theologi non inquiri 1. utrum asserenda sit subministratio *jugis et continua* gratiarum (etsi revera, cum Hurter, n. 19, annot. et aliis, post SS. Patres, dici posset « humanum genus vel saltem fideles vivere in atmosphaera gratiae »: cf. ib. n. 74, annot.); nec inquiritur 2. utrum gratia quae confertur semper sit *efficax* vel etiam *proxime sufficiens:* haec enim ad vindicandam in Deo sinceram et activam voluntatem salvificam generalem minime requireretur: sed inquiritur 3. utrum Deus hominibus non mere *offerat*, sed quantum ex se est *revera conferat* pro loco et tempore opportuno gratias actuales vere et relative sufficientes, saltem remote et mediate. Haec vero quaestio (ait Palmieri, p. 509), « non eâdem certitudine expediri potest quoad singulos hominum status: nam pro quibusdam certae ecclesiae definitiones habentur, quae pro aliis desiderantur. Incipiemus proinde ab iis, quae sunt certa magis », et inquiremus 1. de justis, 2. de peccatoribus fidelibus, 3. de infidelibus.

CAPUT PRIMUM

Utrum omnibus Justis detur gratia sufficiens ad praecepta implenda

193. — **Praenotanda.** — I. Ex ipso systemate Jansenii, omnis gratia vere et relative sufficiens est etiam efficax, cum sit delectatio coelestis relative victrix; et omnis gratia quae inefficax manet, minor est concupiscentiâ oppositâ, seu non est relative sufficiens ad peccatum vitandum (supra, n. 119). Hinc manifeste sequitur,

omnem hominem etiam justum qui peccat carere juxta Jansenistas gratia vere sufficiente, ipsique praeceptum hic et nunc impossibile esse : et haec fuit explicita Jansenii doctrina in prima ex quinque propositionibus damnatis, « Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant ».

194. — II. Cum urgeretur, hanc doctrinam damnatam jam fuisse a Conc. Tridentino definiente (sess. 6, can. 18 : Denz. 710), « S. q. d., Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, a. s. » : respondebant Jansenistae, hoc anathemate damnari tantum errorem fundamentalem Lutheri de corruptione essentiali naturae humanae lapsae, ex quo errore sequeretur hominem etiam justificatum in singulis operibus peccare ac ideo praecepta servare non posse, nullatenus vero excludi doctrinam quae asserit gratiam sufficientem deesse justis. Quam falsa et inepta sit haec evasio, liquet (ut notant theologi) 1. ex eo quod Concilium jam (can. 25 ejusd. sess. : Denz. 717) errorem praefatum Lutheri rejicit, 2. ex eo quod canone citato (18) simpliciter, nulla distinctione facta, damnat omnes qui dixerint praecepta impossibilia esse justis, 3. ex explicita doctrinae contrariae declaratione (cap. 11 huj. sess. : Denz. 686) post S. Augustinum, « non igitur Deus impossibilia jubet : sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis » (de nat. et grat., c. 43).

Postea damnatâ a Summis Pontificibus primâ propositione citatâ, tandem fateri coacti sunt Jansenistae, justos habere sufficientem gratiam ad praecepta implenda : sed nova adhuc versutia per « justos » intelligebant *solos praedestinatos*, vel si alios significarent justos, intelligebant eos habere gratias non relative sed *absolute tantum sufficientes*. Cf. Jungmann, n. 217.

195. — III. Contra hos ergo errores, de fide tenendum est : urgente praecepto gravi, justos omnes et singulos tum eos qui servant tum eos qui non servant praeceptum, actu et in praesenti habere gratiam ad peccatum mortale vitandum vere et relative sufficientem, scilicet gratiam saltem orationis.

196. — Propositio. Justis omnibus, urgente praecepto gravi, datur gratia vere et relative sufficiens.

Prob. I. Ex 1 Cor. 10. 13, « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere ». — Haec verba generalia respiciunt universim omnes fideles, sed praesertim justos, cum immediate antea dicat Apostolus, « Qui se existimat stare,

videat ne cadat »; atqui docent dari, urgente praecepto, gratiam vere et relative sufficientem; ergo.

Minorem quod attinet: 1. Dari gratiam *sufficientem*, patet ex verbis, « faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere »; 2. hanc gratiam dari *urgente praecepto*, et esse vere et *relative sufficientem*, patet ex verbis, « cum tentatione ».

197. — **II.** Sine gratiae adjutorio, fatentibus adversariis, divina praecepta non solum difficilia, sed et prorsus impossibilia sunt; atqui ista praecepta facta esse, saltem justis, non solum possibilia sed et facilia et suavia, declarat ipse Dominus Matt. 11. 30, « Jugum meum suave est, et onus meum leve », item Apostolus (1 Jo. 5. 3), « Mandata ejus gravia non sunt ».

198. — **III.** Ex Patribus, S. Augustinus (enarr. in Ps. 39, n. 27) interrogat, « Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet [Deus]? Imo vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat, et noxia resecat, dando consolatur, ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto..... Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse ». Ita et S. Prosper, S. Augustini discipulus (sent. sup. c. 12 gall.), « Qui dicit, quod quibusdam vocatis et pie justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant, male opinatur de bonitate Dei atque justitia.... Qui ergo Deo adhaeret, Spiritu Dei agitur: qui autem a Deo recedit, propria voluntate obedire desistit ».

199. — **Dices 1.** S. Petrus justus erat quando tentatus fuit ut Christum negaret; atqui tunc gratia sufficiente carebat; ergo justis omnibus urgente praecepto non datur gratia sufficiens.

Resp. *Dist. Maj.* S. Petrus ex iis justis erat, qui nimium propriis viribus, constantiae, firmitati confidunt, *transeat;* erat ex justis humilibus, volentibus, et conantibus, de quibus in propositione Jansenii, *nego.* Ad primum membrum dicitur « transeat »: aliqui enim putant S. Petrum jam gratiam amisisse. Sic S. Joannes Chrysostomus (hom. 82, al. 83 in Matth. n. 3) distinguit triplex Petri crimen, nempe quod contradixerit Christo lapsum ejus praedicenti, et quod se aliis anteposuerit; « tertium gravius adest, quod totum sibi adscripserit. His ut medeatur, lapsum [Christus] evenire sinit ». Ita fere et S. Augustinus (serm. 285, n. 3; et alibi). — Alii tamen theologi, hoc omisso,

Dist. Min. Carebat Petrus gratia proxime sufficiente, *transeat;* gratia remote sufficiente, seu gratia orationis, *nego.* « Quis enim (interrogat S. Augustinus, lib. de unitate eccles., c. 9) dubitaverit quod..... Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset? »

Inst. Si Petro *volenti* defuit auxilium sufficiens, nulla est responsio; atqui ita ex S. Joanne Chrys. (hom. cit., n. 4, « hic vero cum proposito voluntatis, quia nullo fultus erat auxilio, lapsus est »); ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Si defuit auxilium saltem remote sufficiens, *conc.;* si defuit tantum auxilium proxime sufficiens, *nego.* — *Contradist. Min.* — Quando dicunt Patres aliqui (S. Augustinus, tract. 92 in Jo., n. 2; S. Hilarius c. 32 in Matth., n. 4), S. Petrum *non potuisse* Dominum confiteri aut peccatum negationis vitare, intelligendi certe sunt de impotentia liberum voluntatis motum, et orationis neglectum consequente: quo sensu S. Ambrosius de praecepto agens diligendi inimicos, dicit, « quod post Evangelium omnes didicimus, et servare *non possumus* » (de Joseph patriar., c. 1, n. 3). Imo, supposita impotentia antecedente, nullum prorsus fuisset peccatum formale.

200. — **Dices 2.** S. Augustinus loquens de fidelibus ait (de nat. et grat., c. 53, n. 62), « Si adest possibilitas, ut quid orant »; atqui haec verba supponunt possibilitatem deesse; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Si adest possibilitas per naturam, sensu pelagiano, non est cur orent, *conc.;* si adest posibilitas per gratiam, *nego.*

Inst. Ex S. Augustino (ib., c. 66), est « quaedam peccandi necessitas »; atqui qui habet necessitatem peccandi non habet gratiam sufficientem; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Est quaedam necessitas peccandi saltem venialiter, *conc.;* peccandi mortaliter, *subd.:* est necessitas evitabilis et conditionata, *conc.;* inevitabilis et absoluta, *nego.* Subjungit enim statim S. Doctor, « Atque ut eadem necessitas non sit, discat Deo dicere: De necessitatibus meis educ me..... ac per hoc, opitulante gratia per Jesum Christum, et mala necessitas removebitur, et libertas plena tribuetur ».

CAPUT SECUNDUM

Utrum omnibus fidelibus Peccatoribus conferatur gratia sufficiens

201. — **Praenotanda.** — I. Peccatores sunt vel *communes,* ii scilicet qui tametsi gratiam sanctificantem amiserint, nondum tamen timorem Dei penitus abjecerint; vel *obdurati et obcaecati,* sic dicti quia boni moralis et supernaturalis quasi sensum et visum per peccatum et gratiae resistentiam amiserint.

202. — II. *Excaecatio* vi vocis respicit intellectum, *obduratio* voluntatem: sed saepe indiscriminatim usurpantur nomina. *Perfecta* est obduratio seu obstinatio damnatorum, quorum mens adeo in malo est obfirmata, ut omnis motus voluntatis eorum sit inordinatus, nec referibilis ad finem ultimum, ac proinde est et peccatum: *imperfecta* tantum est obstinatio peccatorum in via, ex qua obduratione oritur quidem in voluntate pronitas et facilitas magna ad peccandum, non vero necessitas, nec unquam in hac obstinatione ita pervertitur aut obtenebratur intellectus, ut apprehensio et advertentia quaevis mali totaliter absit. Perfectae obdurationi censetur proxime accedere conditio eorum qui statim post peccatum in amentiam perpetuam incidant. Vid. S. Thomas, de Veritate, qu. 24, a. 11 (quaest. disp., edit. Lethielleux, t. 3, p. 559): cf. 12, qu 79, a. 3. (1).

203. — III. Obdurationis *causam* quod attinet: significatur quidem *diabolus* (2 Cor. 4. 4: 2 Thess. 2. 10, et alibi) esse excaecationis causa; sed hoc est dispositive tantum, agendo praesertim in phantasiam et sensus (cf. Lessius, de Perf. Div., l. 13, c. 14, n. 78); positiva autem causa praecipua est *homo* tum *meritorie* propter peccata antecedentia tum *efficienter* quando per eadem peccata seipsum indurat, juxta Scripturae verba (Ps. 94. 8), « Nolite obdurare corda vestra ». *Deus* etiam est causa obcaecationis, non quidem positiva et directa, quod blasphemat Calvinus, nec tamen mere permissiva, sed et activa, vel scilicet *a*) subtrahendo auxilia gratiae *interna*, non quidem omnia sed *uberiora*, atque *exteriorem* protectionem specialem: vel etiam *b*) (ut in casu Pharaonis) conferendo gratias et signa prodigiosa, quibus ex Dei quidem permissione contra antecedentem vero voluntatem ejus, praevidetur homo abusurus, quem deinde abusum dirigit Deus voluntate consequenti ad bonos fines. Cf. de Deo Uno, nn. 401, sqq.

204. — IV. Peccatoribus dari potest gratia vel ad implenda mandata et nova peccata vitanda, vel ad surgendum ex statu peccati. Ad praecepta implenda requiritur gratia sufficiens urgente praecepto, quod patet: ad surgendum autem ex peccati statu, dicit Suarez (l. 4, c. 10, n. 7), gratiam dari *ordinaria lege*, per occasionem aliquam extrinsecam, uti « per verbum praedicationis, vel per lectionem aliquam sacram, vel per externum bonum exemplum, aut

(1) Notissima est descriptio cordis obdurati (imperfecte) quam tradit S. Bernardus (de Considerat., l. 1, c. 2, n. 3), « Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens ».

objectum incutiens timorem, ut est mors alicujus amici, et similia »; deficientibus autem istis mediis externis, res est ex sua natura obscura et incerta, sed de articulo mortis putat Suarez credibile esse, nunquam, deficiente etiam motivo externo, deesse peccatori fideli in illa opportunitate gratiam ad poenitendum.

205. — Propositio I. Omnibus fidelibus peccatoribus non obduratis datur, pro loco et tempore, gratia vere sufficiens, qua possint et peccata cavere et a peccatis resipiscere. — Haec propositio significata est a Concilio Arausicano II (can. 25 : Denz. 169), « Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia baptizati (Christo auxiliante et cooperante), quae ad salutem pertinent, possint et debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere ». Ita et Concilium Lateranense IV (cap. 1, « Firmiter » : Denz. 357), « Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari ». Demum Tridentinum (sess. 6, cap. 14 : Denz. 690), « Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo, per poenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint »; ac (sess. 14, cap. 1 : Denz. 774), « Illis etiam vitae remedium contulit [Deus], qui sese postea [scilicet post baptismum] in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae ». — Haec ergo doctrina ad fidem spectat, et contraria, ut ait Murray (d. 7, n. 102), foret saltem temeraria.

Prob. I. Certum est (imo de fide, juxta aliquos, ut dictum est in tract. de Deo Uno), Deum velle salutem omnium fidelium; atqui ista voluntas *sincera* dici nequit nisi fidelibus omnibus, saltem non obduratis, conferatur gratia sufficiens tum ad nova peccata vitanda tum ad surgendum ex peccati statu; ergo fidelibus omnibus, saltem non obduratis, datur gratia sufficiens tum ad peccata nova vitanda tum ad surgendum e peccati statu.

Prob. Min. Ut voluntas Dei salvifica erga omnes fideles dicatur sincera, debet includere collationem sufficientem eorum omnium auxiliorum quae ad salutem sunt necessaria; atqui ad salutem peccatoris requiritur auxilium tum ad peccata nova praecavenda tum ad surgendum ex peccati statu; ergo.

206. — II. Non potest peccator converti nisi per gratiam; atqui Deus peccatores omnes praesertim fideles ad conversionem invitat; ergo peccatoribus saltem fidelibus non obduratis Deus adest per gratiam suam.

Prob. Min. ex plurimis locis Scripturae sacrae, v. g. Ezech. 33.

11, « Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii sed ut convertatur et vivat » (cf. Ibid. 18. 30; Is. 1. 18; Sap. 11. 24, sqq : ac cap. 12 fere per totum); etiam ex Domini nostri dictis, v. g. (Marc. 2. 17), « Non veni vocare justos, sed peccatores », (Luc. 15. 7), gaudium erit in coelis super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis », et ex ejus comparationibus, v. g. pastoris quaerentis ovem, patris filium prodigum recipientis, mulieris quaerentis drachmam (Luc. 15), etc.: necnon ex 2 Petr. 3. 9, « Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti »: quae loca maxime de fidelibus vera sunt.

207. — III. Ex Patribus, S. Augustinus (Retract., l. 1, c. 22, n. 4) ait, « In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur ». Item (in Ps. 102, n. 16), « Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impertiendo tempus vivendi.... vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis ». Notissima sunt verba S. Gregorii M. (hom. 10 in Evang., n. 7), « Pensemus quam districtus judex veniat, qui judicium minatur, et latet: terrores peccatoribus intentat, et tamen adhuc sustinet: et idcirco venire citius differt, ut minus inveniat quod condemnet ».

208. — Propositio II. Etiam peccatoribus induratis datur pro loco et tempore, gratia vere sufficiens, qua possint et peccata cavere, et a peccatis resipiscere. — Conclusio est « certa », juxta Perrone, n. 404; ac Murray, d. 7, n. 108, dicit eam « longe communiorem », quamvis putet sententiam negantem, quam tenuerunt Bañez, Ledesma, Gonet, « esse adhuc omnino liberam, et nulla nota theologica affici posse ».

Prob. I. Argumenta quae probant gratiam sufficientem dari fidelibus peccatoribus communibus, idem probant pro peccatoribus obduratis, nisi in horum casu repugnet gratiam dari; atqui ex ipsa Scriptura non repugnat gratiam eis dari; ergo datur peccatoribus etiam obduratis gratia sufficiens ad legem servandam et ad resipiscendum.

Major patet: textus enim qui voluntatem Dei salvificam exprimunt sunt omnino generales et de omnibus saltem fidelibus communiter inter catholicos intelliguntur.

Prob. Min. 1. Ex Act. 7. 51, « Dura cervice..... vos semper Spiritui sancto resistitis ». — S. Stephanus his verbis alloquitur peccatores *induratos* (« dura cervice »); atqui istis data est *gratia* (dicuntur enim resistere Spiritui sancto), et gratia *sufficiens* (alioquin enim injuste S. Stephanus eos reprehendisset); ergo.

2. Ex Rom. 2. 4, 5, « An divitias bonitatis ejus et patientiae et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei ». — His verbis alloquitur Apostolus peccatores induratos (« secundum duritiam tuam ») ; atqui, illos habere gratiam sufficientem, patet ex verbis, « Benignitas Dei ad poenitentiam te adducit », et etiam ex eo quod Apostolus eos reprehendat ac poenas denuntiet.

209. — **II.** Ex Patribus, citari potest S. Basilius (hom. 13, in baptisma, n. 4), « Si multa sunt peccata tua, ne desperes ob multitudinem. Ubi enim abundavit delictum, superabundavit gratia; si modo gratiam suscipias. Multum enim debenti, multum remittetur, ut amplius diligat ». Et S. Augustinus (enarr. in Ps. 6, n. 8) ait, « In eam [caecitatem] quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur sed nondum penitus, cum in hac vita est ». Item (Retract., l. 1, c. 19, n. 7), « De quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur ».

210. — **III.** Ex ratione triplici theologica. — 1. Omnes peccatores, etiam obdurati, tenentur praecepto spei, et praecepto conversionis, ac poenas legem moralem transgrediendo sibi merentur; atqui haec omnia frustra, si gratia sufficiens eis deest; ergo.

Prob. Min. Frustra praecipiuntur spes et poenitentia illi homini, cui desint auxilia absolute necessaria aut ad poenitendum aliudve opus salutare praestandum, aut ad malum contrarium omittendum: item injuste denuntiatur eidem homini poena ob impoenitentiam; atqui si negetur peccatoribus etiam obduratis gratia sufficiens, desunt eis auxilia absolute necessaria ad opus ullum salutare efficiendum, aut legem moralem servandam; ergo. — Confirmatur vis argumenti ex damnatione prop. 54 Baii (Denz. 934), « Definitiva haec sententia: Deum homini nihil impossibile praecepisse; falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit »; necnon ex rejectione prop. 19 synodi Pistoriensis, quae quatenus innuit quod « impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est », damnata est (Denz. 1382) ut « falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata ».

2. Simile argumentum sumitur ex praecepto divino-ecclesiastico quo tenentur omnes fideles singulis annis postquam ad annos discretionis pervenerint, sacramenta poenitentiae et Eucharistiae recipere: quod sane praeceptum, ni ad receptionem sacrilegam

adigat, supponit fideles omnes, peccatores licet, gratiam habere sufficientem ad poenitendum.

3. Praesens vita est status probationis et viae; atqui talis non esset si Deus quousque vivere permittit peccatores vita humana, opportunitatem quoque poenitentiae et media necessaria ad salutem eis non concederet; ergo. — Hinc S. Augustinus (Enarr. in Ps. 63, n. 19), « Modo ergo corrigite [cor], fratres; modo corrigite. Quis prohibet..... numquid consilii corrigendi et mutandae vitae malae in bonam non est locus, non est tempus? Nonne si vis, hodie fit? nonne si vis, modo fit? »

Solvuntur Objectiones

211. — Obi. 1. Ex Eccles. 7. 14, « Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit »; atqui ille quem nemo potest corrigere, non habet gratiam sufficientem ad conversionem; ergo aliqui peccatores, saltem obdurati, non habent gratiam sufficientem.

Resp. *Dist. Maj.* Quem Deus despexit despectione perfecta et absoluta, ipsâque despectione manente, ut in damnatis, nemo potest corrigere, *conc.;* quem Deus despexit despectione imperfecta hujus vitae, *subd.:* difficilius prae ceteris corrigi potest, *conc.;* nullo modo, *nego.* — Hunc tamen locum (ait Cercià, p. 374), Paraphrastes Chaldaicus et Hieronymus referunt ad vitia corporis, quibus affecti, puta caeci, claudi, aliique hujusmodi, sint patienter tolerandi.

Inst. Qui orat nec misericordiam consequitur, non habet gratiam sufficientem; atqui ita factum est in casu Antiochi (2 Machab. 9. 13, « Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus »); ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Qui debite orans non consequitur misericordiam, gratiam sufficientem non habet, *conc.;* qui orat fine et modo indebitis, *nego.* — *Contradist. Min.*

212. — Obj. 2. Ex Jo. 12. 39, Judaei « non poterant credere » ob indurationem et excaecationem; atqui ita affecti non habuerunt gratiam sufficientem; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Non poterant, impotentiâ malam eorum voluntatem consequente, *conc.;* impotentia antecedenti, *nego.*

Inst. Ex ipso Evangelista (v. 40) impotentia illa credendi orta est ex indurațione et excaecatione *a Deo ipso effectis* (Jo. 12. 39, 40, « Propterea non poterant credere quia iterum dixit Isaias [53. 1]: Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum: ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur et sanem eos »); atqui hoc excludit gratiam vere sufficientem; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Impotentia orta est ex induratione a Deo effecta per subtractionem auxiliorum efficacium vel *uberiorum*, aut etiam per collationem auxiliorum extraordinariorum quibus praevisi sunt abusuri, *conc.;* per subtractionem omnium prorsus auxiliorum, aut per infusionem pravae inspirationis, *nego.* — Hinc S. Augustinus (tr. 53 in Jo., n. 6), « Non poterant credere, quia hoc Isaias propheta praedixit: hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit. Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo *quia nolebant;* malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus, et per Prophetam praenuntiavit ». Et postea (ibid., n. 10), « Non poterant credere: non quia mutari in melius homines non possunt; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere. Hinc excaecantur, et indurantur; quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur ».

213. — Obj. 3. Ex ipso S. Augustino, 1. Deus obduratorum misereri non vult (ad Simplic., l. 1, qu. 2, n. 15); 2. gratia non datur omnibus (epist. 217, ad Vital., c. 5, n. 16; c. 6. n. 20); ergo.

Resp. *Dist. Anteced.* — 1. Deus consequenter ad praevisam reproborum resistentiam non vult *absolute* eorum misereri, nec confert eis gratiam *specialem* (seu « congruam », ut dicitur in contextu), *conc.;* nullam eis dat gratiam, *nego*, ut liquet ex S. Doctoris locis in probatione citatis. — 2. Gratia fidei aut regenerationis non datur omnibus (ut pariter dicit S. Doctor in contextu), *conc.;* gratia actualis remote saltem sufficiens, quatenus ex Deo est, non datur omnibus adultis, *nego.*

214. — Obj. 4. Si aliqua sunt peccata irremisibilia, non omnibus peccatoribus datur gratia sufficiens ad conversionem; atqui ex Scriptura quaedam peccata sunt irremisibilia: sic 1. Matth. 12. 32, « Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro »; 2. Hebr. 6. 4-6, « Impossibile est eos qui semel sunt illuminati..... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam »; 3. Hebr. 10. 26, « Voluntarie peccantibus..... jam non relinquitur pro peccatis hostia »; 4. Hebr. 12. 17, « Non invenit [Esau] poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eum »; 5. 1 Jo. 5. 16, « Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis »; ergo.

Resp. *Nego Min. et probat.* — Ad *primum* textum, *dist.:* Peccatum hoc (tribuendi scilicet Satanae opera manifeste divina) nunquam remitti potest, *nego;* difficulter et raro remittitur, *subd.:* ob culpam hominis (cum sit peccatum contra lumen), *conc.;* ex defectu gratiae sufficientis, *nego.* Cf. Palmieri de Poenit., thes. 9, p. 60.

Ad *secundum* textum, *dist.:* *a*) (juxta lectionem probabilem),

Impossibile est eos renovare (active, per praedicationem, etc.) ob eorum perversitatem, *conc.;* ob defectum gratiae, *nego.* Sed, hoc omisso, *b*) Impossibile est apostatas renovari (passive) per remissionem illam quae fit in baptismate, *conc.*, juxta interpretationem S. Athanasii, S. Joannis Chrysostomi et aliorum; per aliam remissionem, *subd.:* adeo difficile est, ut dici possit, per hyperbolam, impossibile, *conc.;* est revera impossibile, *nego.*

Ad *tertium* textum, *dist.:* Voluntarie peccantibus, nempe Hebraeis a fide christiana semel accepta revertentibus ad Judaismum quem falsum jam agnoverunt (cf. v. 15), nulla relinquitur spes veniae dum in apostasia perseverant (« voluntarie peccantibus »), *conc.;* si ope grátiae ad fidem redeunt, *nego.*

Ad *quartum* textum, *dist.:* Non invenit Esau poenitentiae locum *apud patrem suum*, idest non potuit adducere Isaac ut animum mutaret (juxta primitivam significationem vocis gr. μετανοίας), et benedictionem Jacobo datam revocaret, *conc.;* non potuit peccati sui remissionem apud Deum obtinere, *nego*, vel *subd.* (juxta explicationem S. Chrysostomi): ob defectum debitae dispositionis et orationis, *conc.:* dolebat enim tantum de damno temporali, non de culpa; ob defectum gratiae, *nego.* Vid. Triplex Expositio loci.

Ad *quintum* textum, *dist.:* Si intelligitur peccatum *finalis impoenitentiae*, idest conjunctae cum morte aut perpetua amentia, non valet oratio, *conc.;* si intelligitur *apostasia* a fide, *subd.:* prohibetur, seu non commendatur, *publica* oratio pro apostatis, *conc.;* non valet oratio et supplicatio pro eis, *iterum subd.:* non valet oratio cujuslibet fidelis (« non dico ut *quis* oret »), aut oratio *sola*, *conc.:* aliis verbis, non tantum oratio eaque fervida eximie sanctorum, sed et alia opera ardua requiruntur; declaratur impossibilis conversio horum, *nego.* Cf. Palmieri, op. cit., pp. 67, 68.

Ex textibus vero aliis Scripturae contra communem doctrinam aliquando allegatis, agunt nonnulli de rejectione tantum gentis judaicae seu Synagogae: ita Is. 5. 5, 6, « Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae: auferam sepem ejus, et erit in direptionem... nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem... »; Matth. 23. 32, « Et vos impletis mensuram patrum vestrorum ». Verba autem Jer. 51. 9, « Curavimus Babylonem et non est sanata: derelinquamus eam », neque ut a Deo de peccatore dicta referuntur, sed tantum a nationibus cum Babylone confoederatis.

215. — Obj. 5. Determinatus est numerus peccatorum uniuscujusque, non tantum in Dei cognitione sed etiam quoad gratiae collationem; atqui non esset determinatus, si omnes peccatores gratias ad conversionem sufficientes haberet; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Quoad eos qui post peccatum statim mo-

riuntur aut in amentiam perpetuam incidunt, *conc.;* quoad alios, *subd.:* juste privantur ob peccata repetita gratiis uberioribus et efficacibus, vel etiam morte aut aliis poenis temporalibus puniuntur, *conc.;* privantur omni gratia sufficiente, *nego.*

CAPUT TERTIUM

Utrum Infidelibus detur gratia sufficiens

216. — Praenotanda. — I. Infideles sunt vel negativi vel positivi. *Negativi* ii sunt, ad quos Evangelii notitia non pervenit; *positivi*, qui Evangelium vel audire recusarunt, vel auditum contempserunt. — Infideles universim recipere gratias vere sufficientes, post Novatores negant Jansenistae cohaerenter cum principiis suis, et cum propositione secunda Jansenii quae asserit, gratiae vere sufficienti nunquam resisti in praesenti ordine. Hinc Arnaldus (prop. 5. ab Alexandro VIII damnata: Denz. 1162): ait, « Pagani, Judaei, haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente » (cf. ejusd. prop. 4). Damnatae sunt etiam a Clemente XI propositiones Quesnelli 26, 27, 29 (Denz. 1241, sqq.), asserentes ante fidem et sine fide nullam dari gratiam.

Harum propositionum contradictoriam, scilicet, « Deus *aliquibus* saltem infidelibus, haereticis, apostatis, schismaticis, etc. gratiam confert vere et relative, proxime vel remote saltem sufficientem ad fidem et justificationem », dicit Sardagna (n. 255) « omnino certam » « ita ut opposita absque intolerabili errore defendi nequeat ». Eandem doctrinam de *omnibus* infidelibus propositam quam Sardagna (n. 259) censet non aeque certam, etsi « communissimam Catholicorum », alii, ut Perrone (n. 431), Hurter (n. 82), dicunt certam, et Jungmann (n. 243) eam « sententiam ecclesiae esse », infert ex damnatione propositionum citatarum « in sensu auctorum », qui quidem negabant infidelibus universim gratiam sufficientem vel ob istam solam rationem, quod infideles sint. Recentius docuit Concilium Vaticanum (Const. de Fide, cap. 3: Denz. 1642), « Benignissimus Dominus et *errantes gratia sua excitat atque adjuvat*, ut ad agnitionem veritatis venire possint: et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc

eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur ».

217. — II. Gratia quae ex hac doctrina infidelibus conceditur talis debet esse ut homo ei, quantum in se est, cooperando *tandem* pervenire possit ad fidem supernaturalem, sine qua fide (ex Apostolo, Hebr. 11. 6) justificatio et salus adulti haberi nequit. Necesse autem non est ut dicatur, quod tamen tenent plures, ipsam vocationem ad fidem, vel gratiam intrinsece supernaturalem omnibus infidelibus actu conferri; sed ex sententia multorum auctorum (cf. Palmieri, p. 268; Hurter, n. 81; Murray, d. 7, n. 110) sufficit dicere, praesto semper esse infidelibus ex merito Christi auxilia entitative naturalia sed gratuita respectu cujusque individui, aliis verbis gratias pure medicinales, quibus servare possint praecepta naturalia et ita negative se disponere ad fidem. « His autem gratiis », ait Perrone, n. 437, « si infideles obsequantur, majora eis subsidia adjiciuntur, donec Deus gratuita sua misericordia vocet eos ad finem supernaturalem per initium fidei, sive per homines ad hoc missos, sive per Angelum, sive interius per se, sive quavis alia ratione, prout ei bonum visum fuerit ». Cf. Lugo, de Fide, d. 12, s. 3, n. 36.

218. — **Propositio. Nullis infidelibus, etiam negativis, media opportuna aut gratiae sufficientes negantur, quibus ad agnitionem veritatis valeant venire salutemque tandem obtinere.**

Prob. I. Ex Apostolo (1 Tim. 2. 4), Deus « omnes homines vult salvos fieri, et *ad agnitionem veritatis venire* »; atqui infideles nequeunt ad agnitionem veritatis et ad fidem venire nisi per gratiam praeparentur; ergo Deus confert eis pro opportunitate media quibus ad fidem et salutem pertingere valeant.

219. — **II.** Deus impossibilia non praecipit; atqui si negat infidelibus gratiam sufficientem, jubet impossibilia: tenentur enim omnes, etiam infideles jure divino (id quod certo praestari nequit sine gratia) Deum amore tum affectivo tum effectivo per legis moralis impletionem amare; ergo non negat Deus infidelibus gratiam sufficientem.

220. — **III.** (De infidelibus *negativis* speciatim: patet enim positivis gratiam non defuisse). — Apostolus (Rom. 1. 21) dicit gentiles philosophos, quibus sane evangelium praedicatum non fuerat, quique proinde infideles negativi fuerunt, esse *inexcusabiles*, eo quod cum « per ea quae facta sunt », seu ex creaturis, cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, opera pietatis praestando et legem naturalem servando; atqui si gratia interna remote saltem sufficiens eis deesset, debitum cultum et gloriam Deo

praestare non potuissent et excusabiles essent; ergo non deerat eis gratia sufficiens.

221. — **IV.** Patres quoque hanc doctrinam declarant. Ita S. Joannes Chrys. (hom. 7, al. 8, in Jo., n. 1), « Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Quantum in ipso est. Si qui vero sponte sua mentis oculos claudentes, hujus lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum qui sponte se hoc privant munere. Gratia quippe in omnes effusa est; non Judaeum, non Graecum, non barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem aversatur; sed omnes similiter admittit, et cum pari vocat honore. Qui vero nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis caecitatem imputent oportet. Cum enim aditu omnibus patente, et a nemine intercluso, quidam ex voluntaria nequitia extra manent, ii suo tantum vitio pereunt ». Similiter ex Latinis S. Augustinus (tract. 35 in Jo., n. 64), « Testimonium sibi perhibet lux: aperit sanos oculos, et sibi ipsa testis est ut cognoscatur lux. Sed quid agimus de infidelibus? Numquid illis non est praesens? Est praesens et illis: sed quibus eam videant, oculos non habent cordis. Audi de illis ex Evangelio ipso prolatam sententiam. Et lux lucet in tenebris, et tenebrae eam non comprehenderunt ». Docet idem S. Doctor (l. 2 de serm. Domini in monte, c. 9, n. 32), « Nullam esse animam quamvis perversam, quae tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus ».

222. — **V.** Huc spectant principia et axiomata aliqua in schola recepta. — Ita saepius S. Thomas v. g. (lect. 3 in Hebr. 12), « Deus vult omnes homines salvos fieri, et ideo gratia nulli deest, sed omnibus quantum in se est, se communicat ». Item (contra gentes, l. 3, c. 160), « Illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiae impedimentum praestant ». Notissimus est S. Doctoris locus (de verit., qu. 14, a. 11, ad 1), « Hoc ad divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter [in sylvis, inter bruta] nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ». Vel, ex sententia aliorum (uti Hurter, n. 162, annot.; Lahousse, de Virt. Infus., p. 307), supponi potest permanere apud omnes gentes primitivae revelationis supernaturalis vestigium aliquod, sufficiens ad explicite credendum, ex auxilio utique gratiae, duplicem illum articulum, juxta communem sententiam exclusive et absolute necessarium necessitate medii, de

Deo scilicet *existente et remuneraturo* (Hebr. 11. 6). Doctrinam communem confirmat quoque effatum receptum, « Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam ». Vid. n. 48.

Solvuntur Objectiones

223. — Obj 1. S. Paulus (Act. 14. 15) testatur Deum olim dimisisse gentes ingredi vias suas; atqui hoc verum non esset, si gentes habuissent gratias sufficientes; ergo non habent omnes infideles gratiam sufficientem.

Resp. *Dist. Maj.* Deus permisit (εἴασεν, sivit, passus est) gentes secundum propriam suam voluntatem vivere, non dans illis, sicut Judaeis, scriptam legem, nec identidem, ut ad Judaeos, prophetas ad eos mittendo, *conc.;* Deus gentes reliquit aut dimisit sine auxilio ad salutem necessario, *nego.* Apostolus ipse ibidem subdit, « et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciendo de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra »: Vid. Beelen in loc.

224. — Obj. 2. Qui non habet gratiam sufficientem ad fidem non habet gratiam sufficientem ad salutem; atqui ex Rom. 10. 14, gentes quibus Evangelium non est praedicatum non habent gratiam sufficientem ad fidem (« Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? »); ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Qui non habet gratiam saltem remote sufficientem ad fidem, non habet gratiam sufficientem ad salutem, *conc.;* qui non habet proximam, *nego.*

Contradist. Min. Non habent gratiam supernaturalem fidei, *conc.;* non habent auxilia sufficientia ad legem naturalem servandam, et ita *negative* se disponendos ad gratiam fidei ex Dei misericordia recipiendam, *nego.*

Inst. Si omnes habent gratiam saltem remote sufficientem ad fidem, nulla est ignorantia excusabilis religionis christianae; atqui haec doctrina damnata est in Baio (prop. 68, « Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est praedicatus peccatum est »: Denz. 948); ergo.

Resp. *Nego Maj.* Infideles enim negativi, licet peccando contra legem naturalem se privent indirecte gratia fidei, nullam tamen hujus effectûs suspicionem habent ac proinde non sunt illius formaliter culpabiles. Vid. supra, n. 44.

225. — Obj. 3. Fides est prima gratia, ut saepius docet S. Augustinus (v. g. de praedest. sanctt., c. 7) et affirmat Concilium Arau-

sicanum II (Denz. 171); atqui infideles ipso nomine non habent fidem; ergo nec gratiam.

Resp. *Dist. Maj.* Fides est prima gratia proxime et positive influens in dispositiones ad justificationem, *conc.;* est prima gratia quae infidelibus confertur, *nego*, ut constat exemplo Cornelii et aliorum.

226. — Obj. 4. Si infideles gratiam habent sufficientem ad legem naturalem servandam possunt Deum amore supremo diligere et ita justificari sine fide in Christo; atqui hoc admitti nequit; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Possunt Deum diligere amore supremo naturali, *conc.;* supernaturali, *nego:* ad hunc enim requiritur fides.

227. — Obj. 5. Ex doctrina nostra sequeretur 1. opera naturalia ad fidem disponere, 2. vocationem ad fidem non esse gratuitam, 3. gratiam esse omnibus communem; atqui haec est doctrina Semipelagianorum; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* per singula. — Sequeretur nempe ex doctrina nostra: 1. opera naturalia ad fidem disponere *negative;* 2. Deum de facto *non denegare*, quamvis juste posset, fidei gratiam facientibus quod in se est; 3. gratiam *medicinalem*, quae non sit proprie supernaturalis, omnibus adultis concedi.

PARS ALTERA

DE GRATIA HABITUALI

228. — Gratia habitualis definiri solet (vid. Jungmann, Mazzella, etc. post Perrone, n. 468), « Supernaturale Dei donum, permanenter inhaerens animae, quo homo immediate et formaliter sanctus redditur, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitae aeternae, ejusdemque haeres ». In hac definitione (quam late explicat Murray, d. 9, nn. 3, sqq.), verba « supernaturale Dei donum » sunt in loco generis in quo convenit gratia habitualis cum actuali; reliqua exprimunt differentiam. Vocatur etiam gratia *sanctificans* et *justificans*.

Praemissa explicatione aliqua *naturae gratiae sanctificantis:* de *effectibus* ejus praecipuis, nempe de *justificatione* et *merito*, praesertim agendum est contra Novatores duplici quaestione.

Praenotiones de Natura Gratiae Habitualis

229. — I. Gratiam sanctificantem in cordibus hominum per Spiritum sanctum *infundi* atque eo saltem sensu illis *inhaerere*, quod non sit mere extrinseca denominatio vel imputatio justitiae Christi, ut voluerunt Novatores, de fide est ex Concilio Tridentino, sess. 6, can. 11 (Denz. 703), et postea ostendetur ubi de natura justificationis.

Inter Catholicos constat, hanc gratiam intrinsecam, 1. esse *aliquid reale*, et eatenus esse entitatem, item 2. *distingui ab anima* eo saltem sensu quod haec sine gratia esse potest, et ab ea, quando datur, realiter modificatur. Utrum vero 3. dicenda sit gratia *entitas realiter ab anima distincta*, an potius ipsius modus tantum realis, disputatur, nec videtur aliquid certi ex Concilio Tridentino de re concludi posse. Suarez videlicet (l. 7, c. 15) tradit tanquam communiorem saltem sententiam, contra Joannem Vincentium (cit. ibid., n. 2), gratiam sanctificantem realiter distingui in entitate ab anima et suum habere esse supernaturale. Alii tamen theologi

censent, magis proprie dici gratiam et animam cui inhaeret non esse duo entia distincta, sed gratiam cum anima unum ens constituere, « quod est esse justum » (Pesch, n. 317): quemadmodum, ex multorum sententia, cogitatio et intellectus in homine non sunt duo entia separatim existentia, sed unum ens, nempe ipse intellectus actu cogitans. Cf. S. Thomas, 1. 2, qu. 110, a. 2, ad 3.

230. — II. Gratiam sanctificantem esse donum non tantum intrinsece inhaerens sed et *permanens*, tenent omnes Catholici, aliqui quidem ut de fide vel fidei proximum (ita Suarez, Billuart, Murray, Jungmann, Mazzella), alii ut doctrinam catholicam, cujus contraria esset temeraria (ita v. g. Sardagna, n. 385). — Et revera damnata est in Baio propositio (42), quae asserit justificationem impii consistere formaliter in obedientia mandatorum, « non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum inferiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur » (Denz. 922). De hac quoque re parati erant canones in Schemate Concilii Vaticani. Cf. Hurter, n. 192, et annot.

231. — III. Gratiam sanctificantem esse *physice* non moraliter tantum permanentem, suadent ipsa Scriptura et Patres (cf. Schiffini, n. 170), gratiam exhibendo sub nomine vitae, lucis, seminis, pignoris, signaculi, unguenti, fontis etc. (quae omnia stabile quid et physicum significant), ac docere videntur omnes Catholici, quidam, uti Suarez et Bellarminus, ut de fide, alii, v. g. Franzelin, Murray, Perrone, non quidem ut de fide, sed ut ad doctrinam catholicam pertinens, cujus contrarium esset censura dignum, temerarium, etc.

Diceretur vero justitia *moraliter* permanere v. g. per actus praeteritos, a quibus desumeretur denominatio justi, sicut ab actu praeterito peccati aliquis denominatur peccator. Dicendo vero justitiam *physice* permanere, significamus eam *realitatem quamdam physicam*, in physica existentia perseverantem et animae *inhaerentem* (v. g. per modum qualitatis), ac proinde *accidentalem*.

232. — IV. Nomen gratiae *habitualis* quod attinet, recolendum est *habitum* definiri post S. Thomam (1. 2, qu. 49, artt. 1-3), « Qualitas, quae per modum dispositionis stabilis rei supervenire concipitur, ita ut etiam absque operatione permaneat », sicut v. g. scientia. Dixerunt aliqui (cf. Perrone, n. 473, et annot.), justificationem peccatoris fieri a Deo sine infusione alicujus qualitatis permanentis aut habitûs, sed per solam actualem motionem, aut influxum continuum gratiae actualis: ac Bellarminus (de justif., l. 2, c. 15, init.) testatur Catholicos de hac sententia disputare.

Communis vero nunc doctrina quae Scripturae et Traditioni magis congruit etsi non sit definita, docet gratiam sanctificantem

esse *habitum*, non quidem *directe* et immediate *operativum*, qui scilicet disponit potentiam ad bene vel male operandum; sed *entitativum*, seu qui determinat substantiam ad bene vel male se habendum seu essendum, ad instar sanitatis in corpore. Et certe in infantibus baptizatis, gratia sanctificans quae ipsis revera inhaeret, nequit esse vel influxus continuus gratiae actualis, vel denominatio accepta ex actu aliquo conversionis. — Quibusdam auctoribus idem videtur esse dicere gratiam istam esse habitum ac dicere eam permanentem: quorum sententiae videntur favere ea quae tradit Card. Pallavicini (l. 8, c. 14, n. 3) de mente Patrum Tridentinorum.

233. — V. Disputant theologi, utrum et quatenus gratia sanctificans seu habitualis *distinguatur a caritatis habitu*. Distinctionem saltem *rationis* agnoscunt theologi communiter contra Durandum: vox enim «gratia» ad hominem ipsum quem reddit justum seu Deo gratum relationem dicit; «caritas» autem ad opus, scilicet dilectionem Dei: haec *agere*, illa *esse* respicit. *Reale* etiam discrimen plures graves theologi, ut Scotus, Vega, Bellarminus, Vasquez, Estius, Antoine, etc. *negant*, eo praecipue nisi argumento quod et gratiae et caritati iidem plane effectus adscribantur, et quod haec duo nomina promiscue adhiberi soleant.

Alii vero Theologi ut S. Thomas (1. 2, qu. 110, artt. 3, 4), et post ipsum Thomistae, necnon Suarez, Valentia, Ripalda, Kilber, Jungmann, Mazzella, Pesch, etc., communius et probabilius tuentur reale discrimen gratiam inter et caritatem. Sicut enim in ordine naturali, juxta sententiam quae cum S. Thoma distinctionem realem inter animam ejusque facultates asserit, aliud est forma substantialis seu anima, aliud facultates et virtutes quae huic formae quasi inhaerent: ita analogice in ordine supernaturali justificationis et regenerationis spiritualis credendus est Deus, aiunt hi theologi, ex sua sapientia concedere homini tum gratiam sanctificantem quae sit veluti *esse* supernaturale et deificatio ipsius animae, tum *virtutes et potentias operativas* quae veluti res distinctae isti *esse* inhaereant et connexae sint, ac facultates animae perficiant. Ex his autem virtutibus operativis est caritas, quae non animam ipsam sed voluntatem perficit quaeque proinde a gratia sanctificante realiter distinguitur. De hac quaestione ait Ripalda (d. 132, s. 4), « nullius partis argumenta plene convincere »; Suarez (l. 6, c. 12, nn. 2, 10) putat argumenta pro nostra sententia non omnino firma; et Doctori Murray (d. 9, n. 27), «responsio ad quaestionem prorsus incerta esse videtur ».

234. — VI. Gratiam sanctificantem esse ipsum *Spiritum sanctum* videtur docuisse, saltem indirecte, Magister Sententiarum,

Petrus Lombardus, caritatem videlicet (quam aliqui non distinguunt a gratia sanctificante) cum Spiritu sancto identificando (vid. S. Thomas, 2. 2, qu. 23, a. 2). Sententia autem contraria quae docet gratiam sanctificantem esse donum creatum communis est theologorum, et dicitur ab aliquibus, v. g. a Suarez (de Carit., d. 3, s. 1, n. 1), *de fide* vel *fidei proxima*.

Rationes sunt: 1. Distingui solent donum a donante, signum a signante, pignus ab oppignorante, semen a seminante, diffusum a diffundente: sed gratia habitualis est donum, signum, pignus, semen et diffusa; Deus autem seu Spiritus sanctus est donans, signans, oppignorans, seminans, et diffundens, ut ex textibus Scripturae manifestum est; aliis verbis, ut ait Schiffini (n. 169), comparatur gratia sanctificans ad Spiritum sanctum uti *effectus* ad causam efficientem; ergo.

2. Ex Concilio Tridentino (sess. 6, cap. 7: Denz. 681), Spiritus sanctus partitur singulis justitiam, seu gratiam sanctificantem, prout vult, secundum uniuscujusque mensuram, ac secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem; atqui justitia, quae capax est mensurae et augmenti non potest esse ipse Deus; ergo. — Item dicit idem Concilium, gratiam *inhaerere*, et Viennense vocat eam *informantem* (Denz. 411); atqui Spiritus sanctus dici nequit animae inhaerens eamque informans.

Demum 3. formalis causa justificationis nostrae est justitia Dei « non qua ipse justus est » sed qua nos justos facit (ut docet Concilium Tridentinum, l. c.); atqui si Spiritus sanctus esset causa formalis nostrae justificationis, ea esset ipsa justitia qua Deus justus est; siquidem Spiritus sanctus est ea justitia et justus est ipsa justitia Dei.

Vere tamen (ut notat Mazzella, n. 913) dicitur Spiritus sanctus nos sanctificare tum *efficienter* quatenus est auctor gratiae, tum *terminative*, quatenus homo qui sanctificatur intime conjungitur Spiritui sancto per gratiam et caritatem.

QUAESTIO PRIMA

DE JUSTIFICATIONE

235. — **Praenotiones.** — *Justificationis* nomen in sacris litteris quatuor praecipue modis accipitur. — 1. Pro ipsa *lege* quae justitiam docet, ut Ps. 118. 8, 26, « Justificationes tuas custodiam; doce me justificationes..... ». — 2. Pro *acquisitione justitiae*, ut 1 Cor. 6. 11, « Haec quidem fuistis..... sed justificati estis ». — 3. Pro *incremento justitiae* seu justificatione secunda, ut Eccli. 18. 22, « Ne verearis usque ad mortem justificari »; Apoc. 22. 11, « Qui justus est, justificetur adhuc ». — 4. Pro *declaratione justitiae modo quodam forensi*, ut Prov. 17. 15, « Qui justificat impium..... abominabilis est apud Deum »; Is. 5. 22, 23, « Vae..... qui justificatis impium pro muneribus ».

Novatores cohaerenter cum doctrina ipsorum fundamentali de corruptione essentiali hominis lapsi, justificationem in quarto solo sensu hic sumunt, nempe pro *declaratione externa* tantum seu forensi justitiae citra veram peccatorum deletionem et citra interiorem hominis renovationem: cum qua sententia de justificationis *natura* cohaerent errores de *dispositionibus* praeviis ad eandem et de *proprietatibus* ejus. De his tribus distincte agendum est.

CAPUT PRIMUM

De Justificationis Natura

236. — **Praenotanda.** — I. Tres sunt praecipui Lutheranorum et Calvinistarum circa justificationis naturam errores (ait Kilber, n. 421). *Primus*, quod velint in justificatione peccata vere et proprie non deleri, sed tantum non imputari ad poenam, ob Christi justitiam qua circumvestimur: *secundus*, quod velint justificationis naturam in mera illa peccati non-imputatione consistere, absque interiori hominis renovatione et sanctificatione: *tertius*, quod velint justificationem non fieri per formam internam ac inhaerentem, sed

externam et imputatam; justitiam nempe Dei vel Christi ope fidei apprehensam, ut postea explicabitur.

237. — II. In doctrina autem Catholica, justificatio, ut docet Concilium Tridentinum (sess. 6, cap. 7: Denz. 681), « non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum; unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae. Hujus justificationis..... unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes,, unusquique suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem ».

Aliis verbis, juxta doctrinam catholicam, in justificatione 1. fit *vera* peccatorum remissio; nec tamen 2. *sola* peccatorum remissio; sed et 3. efficitur aliquid *positivum*, *interior* nempe hominis *sanctificatio*, non mera extrinseca sanctitatis imputatio. — Prius asserenda est doctrina haec catholica adversus haereticos triplici propositione, ac deinde in Scholiis indicanda sunt capita quaedam doctrinae communis theologorum de justificationis natura et effectibus.

238. — Propositio I. In justificatione impii peccata vere remittuntur et prorsus delentur. — De fide est ex Concilio Tridentino damnante sess. 5, can. 5 (Denz. 674), eum qui asserit, in justificatione « non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari ». Licet enim hic canon directe agit tantum de justificatione per baptismum et de remissione peccati originalis, verus tamen est, saltem quoad reatum culpae mortalis, de peccatis etiam actualibus quae in homine baptizando esse possunt; imo (ut notat Cercià, p. 13) ex sententia Novatorum, permanentia peccati originalis in omni homine etiam baptizato est ratio unica, cur negent universim veram peccati remissionem.

Prob. I. Ex declaratione diserta S. Scripturae. — Scriptura dicit in justificatione peccata *auferri*, *transferri*, *remitti*, *deleri;* atqui locutiones hujusmodi minime verae essent, si in homine justificato adhuc manerent peccata etiam non imputata; ergo in justificatione vere remittuntur peccata.

Major patet ex pluribus utriusque Testamenti locis, v. g. Mich. 7. 18, « Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem »; Ps. 102. 12, « Longe fecit a nobis iniquitates nostras »; 2 Reg. 12. 13, « Dominus quoque transtulit peccatum tuum »; Ps. 31. 1, « Beati, quo-

rum remissae sunt iniquitates »; Ps. 50. 3, « Dele iniquitatem meam ». — Vid. Murray, d. 9, nn. 57, sqq.

239. — **II.** Ex metaphoricis locutionibus S. Scripturae. — 1. In S. Scriptura justificatio peccatoris saepius assimilatur lotioni et expurgationi immundorum (v. g. Ps. 50. 4, 9, « Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me..... lavabis me, et super nivem dealbabor »; 1 Cor. 6. 11, « Et haec quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis »); atqui in mundatione et lotione immundorum sordes non tantum teguntur sed et prorsus abluuntur; ergo a pari in justificatione peccatoris peccata vere delentur.

2. In Scriptura justificatio describitur ut transitus de morte ad vitam (1 Jo. 3. 14), a servitute in libertatem (Rom. 6. 16, sqq.), de tenebris in lucem (Eph. 5. 8; 1 Petr. 2. 9); atqui locutiones hujusmodi plus exprimunt quam non-imputationem peccatorum quae adhuc remanent in homine; ergo.

3. In Scriptura justificatio comparatur et assimilatur novae generationi (Jac. 1. 18; Tit. 3. 5), dicimur ob justificationem creati in Christo et effecti nova creatura (Ephes. 2. 10: Galat. 6. 15), induti novum hominem (Eph. 4. 24; Coloss. 3. 10); atqui locutiones hujusmodi ostendunt mutationem veram et intrinsecam cum qua peccati praesentia nullatenus componi possit; ergo.

240. — **III.** Traditionis testimonium antiquissimum exhibet « Epistola Barnabae » (6. 11, sqq.), « Ubi igitur nos renovavit per remissionem peccatorum, effecit, ut aliam formam haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui nos reformavit..... Secundam creationem ultimis temporibus peregit..... Ecce igitur, nos denuo formati sumus..... Templum enim sanctum, fratres mei, Domino est habitatio cordis nostri ». Ex S. Joanne Chrys. (hom. 4 in 1 Thess., n. 4), « Non est ullum peccatum, quod non tanquam ignis consumat vis caritatis et dilectionis. Facilius enim resistit vile sarmentum magno ignis rogo, quam natura peccati potestati caritatis ». Dicitque S. Augustinus (contra duas epist. pelag., l. 1, c. 13, n. 26), « Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere..... ». Item S. Greg. M. (Ep., lib. 11, ep. 45), « Si qui vero sunt, qui dicunt peccata in baptismate superficietenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius?..... Qui dicit, peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro aegyptios non veraciter mortuos ».

Solvuntur Objectiones

241. — Obj. 1. Ex Ps. 31. 1, « Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata ». — Qui dicit aliquid esse tectum, eo ipso significat illud adhuc existere; atqui haec verba docent peccata quae dicuntur remissa, tantum tegi; ergo in justificatione peccata non delentur.

Resp. *Dist. Maj.* Qui dicit aliquid esse tectum *ab homine*, significat illud adhuc existere, *transeat* (licet enim persaepe tegitur aliquid ab homine ut conservetur aut ornetur, v. g. corpus vestibus, mensa linteo: aliquando tamen quod tegitur eo ipso destruitur, ut v. g. exercitus Pharaonis mari rubro, pagina luto, vulnus emplastro): qui dicit aliquid tectum *a Deo*, eo ipso significat illud adhuc existere, *nego:* quod enim alicui tegitur est ipsi invisibile: nihil autem quod existit, est Deo invisibile. Hinc Euseb. Caesar. (in Ps. 31), « Tanto studio et liberalitate Deus erga poenitentes utitur, ut non remittat sed etiam tegat eorum peccata et ne vestigium quidem eorum relinquat ». Et S. Augustinus (enarr. 2. in Ps. 31, n. 9), « Si texit peccata Deus, noluit advertere..... Nec sic intelligatis, quod dixit: peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant..... ». Idque *confirmatur* ex S. Paulo Rom. 4. 7, apud quem locutio « remissae sunt » textûs Ps. 31. 1, redditur gr. ἀφέθησαν, idest *dimissae* sunt (anglice « sent away », « got rid of »). Cf. Murray, nn. 70, 71.

Inst. 1. Ex eodem Psalmistae loco (v. 2) « Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum ». — Non-imputatio peccati vere admissi significat ipsam culpam remanere, poenam autem remitti; atqui hic dicitur peccatum justo non imputari; ergo.

Resp. *Dist. Maj. Non-imputatio* significat culpam alicui non attribui, quae revera in eo existit: Ita in adversariorum interpretatione, *conc.;* secundum vim propriam nominis, *nego*, praesertim respectu Dei. Verbum enim λογίζομαι, quod adhibet S. Paulus, significat *computare*, aut rationem numericam reddere: Deus autem, ut justus judex qui odit omnes operantes iniquitatem (Ps. 5. 7), in libro suae notitiae certe computat omnia peccata quamdiu existunt. — Responsum confirmat contextus reliquus, « Beatus..... cui non imputavit Dominus peccatum, *nec est in spiritu ejus dolus* », idest culpa. Unde notat Cornely (in Rom., p. 121), « *Remissum* est peccatum, et ideo *non imputatur*, atque *tectum* dicitur, quatenus plane abolitum neque amplius *in spiritu adest* ».

Inst. 2. Deus ex Sap. 11. 24, « dissimulat peccata hominum propter poenitentiam »; atqui illud peccatum non deletur, quod tantum dissimulatur; ergo Deus ita hominem justificat, ut peccatum non imputet quin tamen illud vere deleat. — Et confirmatur ex Rom. 5. 13, « usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur cum lex non esset ».

Resp. *Dist. Maj.* Deus peccata dissimulat differendo punitionem impiorum, ut resipiscant et faciant poenitentiam, *conc.;* dissimulat non imputando, *nego.* — *Ad confirm.*, textus Rom. 5. 13 nullatenus significat peccatorum justificationem consistere in non-imputatione peccati: sed tantum adstruit tanquam principium generale, peccatum ad poenam non imputari nec puniri, nisi exstet lex positiva illud prohibens. Cf. de Deo Creatore, n. 53.

242. — Obj. 2. Ex Scriptura sacra, 1. omnes orare debent, « Dimitte nobis debita nostra » (Matth. 6. 12): neque 2. « justificabitur in conspectu Dei omnis vivens » (Ps. 142. 2): dum 3. de seipso dicit S. Paulus (Rom. 7. 17), « habitat in me peccatum »; atqui haec convincunt peccata nunquam vere deleri; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* per singula. — 1. Omnes, juxta interpretationem Patrum orare debent pro remissione peccatorum quotidianorum et venialium, *conc.;* pro remissione peccatorum mortalium, *nego.* — Ad 2. Nemo justificabitur propriis viribus, *conc.;* per gratiam, *subd.:* comparate ad Deum, in cujus conspectu « coeli non sunt mundi » (Job. 15. 15), *conc.;* nemo justificabitur vere, licet imperfecte (propter peccata scilicet venialia), *nego.* — Ad 3. In S. Paulo inhabitabat peccatum improprie dictum, seu concupiscentia (quae venit a peccato originali et inclinat ad peccatum actuale), *conc.;* peccatum proprie dictum, *nego.*

243. — Obj. 3. Scriptura ad justificationem impii declarandam, adhibet verba (v. g. δικαιόω) quae significant tantum declarare aut pronuntiare justum; ergo.

Resp. *Dist. Anteced.* Verba adhibet Scriptura, quae hanc tantum significationem habent apud scriptores ethnicos, *transeat;* apud scriptores sacros, *nego*, ut fatentur ex ipsis Protestantibus, Glassius, Grotius, Winer, Bull, etc. (cit. apud Perrone, n. 496, not.). — Dicitur ad primum membrum distinctionis « transeat »: nam juxta Liddell and Scott (Lexicon) prima et stricta significatio classica vocis δικαιόω est « reddere seu facere rectum » (« strictly, *to make right* »).

Inst. Scriptura in describenda justificatione utitur vocabulis forensibus (v. g. judicium, judex, tribunal, testes): ergo significat justificationem tantum forensem seu extrinsecam.

Resp. *Dist. Anteced.* His verbis utitur Scriptura ad rem expri-

mendam *analogice*, seu per similitudinem imperfectam, ad nostrum concipiendi modum, *conc.*; ad rem adaequate et complete declarandam, *nego*. Proinde *nego consequentiam*: Deus enim utpote judex justus et omniscius, nequit pronuntiare justum, eum qui non sit vere justus.

244. — Propositio II. Justificatio non consistit in sola peccatorum remissione. — De fide praesertim contra Calvinum, ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 7, can. 11 (infra ad prop. seq. citando).

Prob. I. Ex Scripturis justificatio 1. est renovatio mentis (Eph. 4. 23, 24), regeneratio (Tit. 3. 5), participatio divinae naturae (2 Petr. 1. 4), resurrectio in novam vitam (Rom. 6. 4); item 2. ex inimicis facit amicos (Jo. 14. 23; Jac. 2. 23), cives sanctorum, domesticos Dei (Epes. 2. 19) et filios adoptivos (Rom. 8. 15, 23), haeredes regni et cohaeredes Christi (Rom. 8. 17); atqui locutionibus adeo insignibus non solum excluditur corruptio et vetustas peccati (quod foret quid fere negativum), sed significatur quoque vera quaedam renovatio, et ad perfectionem supernaturalem elevatio; ergo.

245. — II. Hanc doctrinam declarant quoque Patres. Ita S. Cyrillus Hieros (catech. 1, n. 5), « Munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantiorem : remissio enim peccatorum ex aequo datur omnibus, communicatio vero Spiritus sancti secundum proportionem uniuscujusque fidei conceditur ». Etiam S. Joannes Chrys. (hom. 17 in Hebr., n. 5), « Sanctum non facit sola liberatio a peccatis, sed etiam praesentia Spiritus, et bonorum operum copiae. Non solum, inquit sacerdos [clamans ante communionem, « Sancta sanctis »], volo vos a coeno esse liberatos, sed albos esse et speciosos ». Ac S. Augustinus (de spir. et litt., c. 6, n. 10), « Satis elucet mysterio Dominicae mortis et resurrectionis figuratum vitae nostrae veteris occasum et exortum novae, demonstratamque iniquitatis abolitionem renovationemque justitiae ».

246. — III. Ratione theologica. — 1. In illo non consistit justitia, quod a veri nominis justificatione disjungi potest; atqui *a*) justificatio dari potest illius, cui nullum remitti debeat peccatum, ut justificati fuere angeli et protoparentes : et *b*) potest Deus remittere peccata, quin justificet, ut in statu naturae purae; ergo in sola remissione peccatorum non consistit justificatio. — 2. Non omnes justi sunt in justitia aequales (ut postea dicetur); forent autem omnes aequales, si justitia haberetur formaliter per solam peccatorum remissionem.

247. — **Dices.** Ex Rom. 4. 25, Christus « traditus est propter delicta nostra », seu ad remissionem peccatorum : item ex 2 Cor. 5. 19, Deus dicitur mundum sibi reconciliasse « non reputando » peccata : et ex 1 Jo. 3. 8, Christus apparuit « ut dissolvat opera diaboli » ; atqui hi et alii textus qui redemptionem et justificationem describunt, commemorant tantum remissionem peccati ; ergo in ipsa sola consistit justificatio.

Resp. *Dist. Min.* Hi textus commemorant peccatorum remissionem utpote primarium et magis necessarium effectum redemptionis et justificationis, *conc.* (peccatum enim componi nequit cum Dei amicitia et beatitudine supernaturali) ; excludunt alios effectus, *nego*, ut patet ex locis in probatione citatis et ex aliis, v. g. ex Rom. 5. 5, ubi dicitur de justificatione, « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis ».

248. — **Propositio III. Justificationis gratia est aliquid homini intrinsecum et inhaerens, non justitia imputata.** — De fide ex Concilio Tridentino, sess. 6, can. 11 (Denz. 703), « S. q. d., homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, a. s. » (cf. ibid., cap. 7 : Denz. 681, 682).

Prob. I. Scriptura docet, 1. Deum per justificationem esse, habitare, et permanere in nobis (1 Cor. 6. 19 ; Jo. 14. 23), 2. gratiam dari et diffundi, fieri, esse et manere in nobis (2 Cor. 1. 22 ; Rom. 5. 5 ; 1 Tim. 4. 14 ; 1 Jo. 3. 9), 3. nos in justificatione renasci, regenerari, renovari spiritu, fieri consortes divinae naturae (Jo. 3. 5 ; 2 Petr. 1. 4) ; atqui haec omnia manifeste supponunt aliquid homini justificato intrinsecum et intime inhaerens, neque explicari possunt per extrinsecam justitiae imputationem ; ergo.

249. — **II.** Ex comparatione quam instituit S. Paulus (Rom. 5. 12, sqq. ; 1 Cor. 15. 45, sqq.) inter Christum et Adamum tam vere constituimur et efficimur justi per Christum quam peccatores per Adamum (Rom. 5. 19), et in justificatione per renovationem et regenerationem justitia illa quae in Adamo amissa est plene imo abundantius nobis redditur (Ephes. 4. 23, 24 ; Rom. 5. 15) ; atqui per peccatum Adami amissa est justitia non *imputata* sed animae vere inhaerens ; ergo.

250. — **III.** Ex Traditione, praeter loca jam citata (n. 245), sufficient haec S. Cypriani verba (lib. ad Donat., n. 4), « In expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infundit, postquam,

coelitus Spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit ».

251. — **IV.** In justificatione homo fit objectum divini amoris et dilectionis : cum in praesenti statu nullum detur medium inter dilectionem Dei et ejus odium ; atqui nisi, praeter peccatorum remissionem, infundatur gratia, non potest quis esse objectum amoris divini ; ergo.

Prob. Min. Deus non potest aliquem diligere nisi ob bonitatem *positivam* quam in eo percipiat ; atqui homo lapsus non habet istam positivam bonitatem a seipso, neque invenitur in peccatorum remissione, quae est tantum negativa actio ; ergo requiritur ut positiva bonitas ei infundatur, scilicet per gratiam inhaerentem. Cf. S. Thomas, 1. 2, qu. 113, a. 2, ad 1.

Solvuntur Objectiones

252. — Obj. 1. Ex 1 Cor. 1. 30, Christus « factus est nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio et redemptio » ; atqui haec verba significant nos justos et sanctos fieri per justitiae Christi imputationem ; ergo gratia sanctificans non est donum intrinsece inhaerens.

Resp. 1. *Retorquendo.* Si enim ex hoc loco, ut notat A Lapide, infertur justitiam et sanctificationem Christi nobis imputari et ideo nos dici sanctos et justos, sequeretur etiam actionem redemptivam Christi nobis attribui, nosque esse « redemptores » : dicit enim Apostolus, « justitia et sanctificatio et redemptio ».

Resp. 2. *Dist. Maj.* Christus factus est nobis justitia efficienter et meritorie (eodem modo quo dicitur v. g. « fortitudo nostra », « illuminatio nostra », etc.), *conc.;* formaliter, *nego.*

Inst. 1. Ex 2 Cor. 5. 21, eodem modo nos justi efficimur, quo Christus factus est peccator (« Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso ») ; atqui Christus factus est *extrinsece* tantum peccator ; ergo.

Resp. *Nego Maj.* Haec enim verba non significant Christum factum esse peccatorem etiam extrinsece, sed « peccatum », idest hostiam pro peccatis, idque vere et non apparenter.

Inst. Eodem loco (2 Cor. 5. 21) dicimur 1. effici « justitia *Dei* », idque 2. « in ipso », idest *in Christo ;* atqui ex doctrina catholica foret justitia ***intrinseca*** et ***nostra ;*** ergo.

Resp. *Dist. Maj.* — 1. Dicimur justitia Dei, idest ex ejus gratia, aut vere et in conspectu Dei, *conc.;* per meram imputationem, *nego.*

— 2. Dicimur justitia Dei in Christo, ita ut simus justi in ipso tanquam ejus membra, vel per merita ejus, *conc.;* ita ut excludatur justitia intrinseca nostra, *nego.*

253. — Obj. 2. Ex Rom. 5. 19, « Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi ». — Propter antithesim hic declaratam, qualis est condemnatio in Adamo, talis est justificatio in Christo; atqui in Adamo peccatores *extrinsece* tantum constituti sumus; ergo.

Resp. *Nego Min.* Quamvis enim peccatum Adae personale sit causa ruinae naturae humanae, peccatum tamen originale est unicuique homini proprium, ut docet Concilium Tridentinum (sess. 5, decret. de pecc. orig., n. 3: Denz. 672).

Inst. Ex eodem loco, « per unius obeditionem justi constituentur multi »; atqui hoc verum non esset si justi constituerentur homines per donum intrinsece inhaerens; ergo justificantur homines per imputationem meritorum Christi.

Resp. *Dist. Maj.* Per unius obeditionem justi constituentur multi meritorie, *conc.;* formaliter, *nego.* Hujus enim justificationis plures distinguuntur causae a Concilio Tridentino (sess. 6, cap. 7. Denz. 681), « finalis quidem, gloria Dei et Christi, ac vita aeterna: efficiens vero, misericors Deus.....; meritoria autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus.....; instrumentalis item, sacramentum baptismi...; demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem ».

254. — Obj. 3. Saepius in Scriptura gratia qua justificamur exhibetur ut indumentum (Eph. 4. 24, « Induite novum hominem »; Ps. 131. 9, « Sacerdotes tui induantur justitiam »; Rom. 13. 14, « Induimini Dominum Jesum Christum »; Galat. 3. 27, « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis »); atqui indumentum est quid extrinsecum; ergo.

Resp. 1. *Dist. Min.* Indumentum materiale est extrinsecum, *transeat* (etenim negari potest, ut mox dicetur); indumentum *spirituale* est extrinsecum, *subd.:* eo quod non est nobis naturale, sed Dei donum, *conc.;* eo quod nobis non inhaeret quando confertur, *nego.* Hortatur enim nos Apostolus tum veterem hominem exuere tum novum induere; vetus vero homo peccati, ex ipsis Novatoribus, est aliquid intrinsecum et per ipsos positivum: ergo ex metaphora

indumenti inferri nequit, justitiam nostram esse quid mere extrinsecum. Imo haec ipsa metaphora de attributis divinis, quae certe intrinseca sunt, adhibetur, v. g. Ps. 92. 1, « Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem ».

Resp. 2. *Dist. Min.* « Vestis est corpori quod tegit extrinsecum, i. e. non est pars illius corporis nec ei essentialiter conjuncta, sed tantum accidentaliter, ita ut vestitus eam quando vult sibi exuere [possit], *concedo;* corpus non afficit inhaerenter et intrinsece, *nego:* corpus enim calefacit, et calidum conservat calores per singulas ejus particulas penitissime immitendo ». Murray, n. 97.

255. — Obj. 4. Ex Philipp. 3. 9, « Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Jesu, quae ex Deo est justitia in fide ». — S. Paulus dicit justitiam qua ipse justus erat, non esse suam, sed ex fide Christi; atqui si donum erat intrinsece inhaerens, esset sua; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* S. Paulus dicit justitiam non suam, idest propriis et naturalibus viribus acquisitam, independenter a Christo, qualis est justitia legalis (« non habens meam justitiam *quae ex lege est* »), *conc.;* S. Paulus dicit justitiam qua justus erat, non esse sibi vere acquisitam et collatam per merita Christi sibique vere inhaerentem, *nego.*

256. — Obj. 5. Scriptura saepe (v. g. Rom. 4. 5; 5. 19; Jac. 2. 23) docet nos justos *reputari, constitui, denominari;* atqui hae locutiones excludunt inhaerentem justitiam; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Scriptura docet nos justos reputari, etc. etiam coram Deo, quia tales reipsa efficimur per inhaerentem justitiam, *conc.* (ita 1 Jo. 3. 1, « ut filii Dei nominemur et *simus* »); quia sumus justi tantum per extrinsecam imputationem sine rei veritate, *nego.*

257. — Obj. 6. Ex Rom. 4. 5, « Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam »; atqui haec verba excludunt justitiam inhaerentem; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Credenti etc., *fides* reputatur tanquam dispositio ad justitiam, *conc.; justitia Christi* reputatur ad justitiam, *nego.* — Docet scilicet Apostolus, fidem reputari ad justitiam, idest Deum gratuito acceptare et reputare eam tanquam dispositionem actualem ad justificationem. — *Nego* proinde *Min.*

258. — **Scholia de Justificationis Natura et Effectibus.** — In justificatione includi tum *veram peccatorum remissionem* tum *veram et internam hominis sanctificationem*, jam probatum est contra haereticos. Plures alias quaestiones movent theologi, praecipue vero 1. utrum justificationis gratia ex natura rei excludat

peccatum mortale; 2. quomodo haec gratia reddat animam sanctam, Deo gratam, etc.; 3. utrum cum hac justificationis gratia conferantur dona alia supernaturalia.

259. — **1.** Supposito, juxta probabiliorem sententiam, caritatem et gratiam sanctificantem realiter distingui, prima quaestio, ut notat Murray, d. 9, n. 28, non est confundenda cum simili *de actu perfecto divini amoris* et contritionis (utrum nempe expellat peccatum habituale aut componi possit cum actu peccandi); sed est *de gratia sanctificante*, non quidem *reduplicative* seu quatenus est sanctificans sumpta (ita enim componi nequit cum peccato), sed sumpta *materialiter* quatenus est physica entitas seu qualitas. *In praesenti ordine* de facto haec gratia ex dictis certe expellit peccatum (cf. prop. 43 in Baio damnata: « In hominibus poenitentibus ante sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum »: Denz. 923): controvertitur autem utrum idem praestaret in quacumque dispensatione seu ordine.

De hac oppositione inter gratiam et peccatum triplex commemoratur sententia (apud Hurter, n. 197, annot.). 1. Prima asserit repugnantiam *ex natura rei*, qualis habetur v. g. inter frigus et calorem quae se mutuo ex subjecto excludunt: alii tamen cum Vasquez dicunt hanc repugnantiam esse *absolutam* et metaphysicam, alii cum Suarez esse tantum *physicam*, ita ut potentiâ Dei absolutâ et per miraculum gratia habitualis simul consistere possit in anima cum peccato. — 2. Secunda sententia, quae est Scoti, docet gratiam sanctificantem non expellere peccatum ex natura sua, sed tantum *lege* et *constitutione Dei* positive decernentis ad praesentiam gratiae peccatum remittere. — 3. Tertia est sententia media Lessii (« de Perf. Div. », l. 12, n. 75, l. 13, n. 195) quae statuit, gratiam justificationis non opponi peccato ex natura rei tanta oppositione, quanta opponitur calor frigori, albedo nigredini: sed oppositione ex natura rei solum *morali*, fundata in quadam indecentia quae ex se apparet in eo, quod gratiae excellentia conjungatur cum deformitate peccati, qualis apparet in eo, si scurriles mores assumerentur ad dignitatem pontificiam. — Censet Murray, n. 29, rem esse valde incertam, sed videtur admittenda moralis saltem oppositio.

260. — **2.** Gratiam justificantem consistere in *speciali* communicatione et *participatione divinae naturae* (distincta a deficiente illa divinae perfectionis imitatione quae omnibus creaturis essentialis est), est communis theologorum sententia. « Oportet dicere », inquit S. Thomas (qu. 27, de Verit., a. 6: qu. disp. edit. Lethielleux, t. 3, p. 547), « quod gratia sit in essentia animae per-

ficiens ipsam, in quantum dat ei quoddam esse spirituale, et facit eam per quamdam assimilationem consortem divinae naturae » (1).

Etsi, fatentibus omnibus (vid. Murray, n. 24) obscurum sit, in quo praecise reponenda sit animae justificatae participatio et assimilatio praedicta cum natura divina : dari tamen talem assimilationem, affirmat sententia adeo communis, ut contraria ab aliquibus censeatur temeraria. Communem hanc doctrinam, quae fundamentum habet in Scripturis (v. g. Ps. 81. 6; 2 Petr. 1. 4), illustrant Patres variis similitudinibus : docent enim (ait Hurter, n. 271) ita nos reddi divinitatis participes, ut ferrum ignitum ignis, aër illuminatus luminis, gutta aquae vino immissa vini etc. Sic S. Cyrillus Hieros. (catech. 17, n. 14), « Si ignis ferri crassitudinem intus permeans totum in eo efficit ignem, quodque metallum frigidum erat, fervidum efficitur, et quod nigrum et obscurum, collucens evadit; si ignis, cum corpus sit, in ferri corpore se insinuans, ita absque impedimento operatur : quid admiraris, si Spiritus sanctus animae interiora ingreditur? » Ita et S. Basilius (de Spir. s., c. 9, n. 23), « Quemadmodum corpora nitida, pellucidaque, contacta radio, fiunt et ipsa supra modum splendida, et alium fulgorem ex sese profundunt, ita animae quae Spiritum ferunt, illustranturque a Spiritu, fiunt et ipsae spirituales, et in alios gratiam emittunt..... Hinc similitudo cum Deo, et quo nihil sublimius expeti potest, hinc est ut Deus fias ». Et ex S. Joanne Chrys. (hom. 40 in 1 Cor., n. 2), Spiritus sanctus animam quam regenerat « omni ex parte inflammat et auget sanctitatem. Et sicut aurum aut argentum refundens, purum et novum facis denuo : ita etiam Spiritus sanctus in baptismo tanquam in fornace eam refundens et peccata consumens, efficit ut quovis auro puro purius fulgeat ».

Ex hac divinae participatione naturae et deificatione, animae justorum, juxta verba mox citata S. Basilii, quodam splendore perfunduntur et *pulchrae* efficiuntur. « Est autem gratia (ait

(1) De praesenti ordine ait Franzelin (« de Verbo Incarn. », thes. 41, n. 1), « Sanctitas creaturae rationalis est supernaturalis quaedam deiformitas, per quam in se et in omnibus suis facultatibus et actibus rite disponitur ac conformatur sanctitati Dei, normae supremae omnis rectitudinis, conjungitur summo bono ut ' ni ultimo cognitione et amore supernaturali proportionato illi unioni ac conjunctioni, quae plenissima est in visione et fruitione Dei beatifica. Hanc supernaturalem transformationem et deiformitatem Deus efficit in creatura amando et velut spirando, ita ut per amorem communicet suae naturae participationem i. e. assimilationem supernaturalem, quae est per gratiam sanctificantem, et vicissim se in se ipso exhibeat creaturae ita transformatae ut objectum immediatum cognitionis et amoris supernaturalis inchoati, vel visionis et fruitionis consummatae : « charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis ». Revocatur ergo sanctitas creaturae ad conjunctionem cum Deo sanctitate essentiali, quae conjunctio (in meris creaturis per se subsistentibus) est accidentalis per esse quoddam supernaturale quidem sed participatum seu assimilatum divinae naturae; substantialis vero solum est ratione terminorum, qui uniuntur supernaturali cognitione et amore ».

Catech. Rom., de Bapt., n. 50)..... divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit » (1). De qua pulchritudine iterum S. Joannes Chrysostomus in Ephes. 1. 6 (hom. 1, n. 3), « *Gratificavit nos*, id est, gratos fecit: hoc est non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quemadmodum enim si quis scabiosum et peste ac morbo senioque et paupertate ac fame confectum et perditum, statim formosum fecerit juvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, e genis quidem splendorem valde emittentem, et micantium oculorum ejaculationibus solis fulgores occultantem; deinde eum constituerit in ipso flore aetatis, ac postea eum purpura induerit et diadema imposuerit, et omni regio ornatu decorarit: ita nostram instruxit et ornavit animam [Deus], pulchramque fecit, desiderabilem et amabilem. Cupiunt enim angeli talem aspicere animam, archangeli quoque et omnes aliae Virtutes. Ita nos etiam fecit gratiosissimos et sibi desiderabiles ».

Iterum, per hanc divinae naturae assimilationem et participationem supernaturalem, homo secundum doctrinam Apostoli (Rom. 8. 14, sqq.; Galat. 4. 4, sqq.) transfertur nova quadam ac ineffabili nativitate, in statum adoptionis filiorum Dei, seu *filius Dei adoptivus* constituitur. Ex qua vicissim filiationis praerogativa sponte consequitur alia praerogativa et jus, nempe *haereditatis aeternae*, ut docet idem Apostolus (locis citt.).

261. — **3.** Praeter gratiam sanctificantem, quae est habitus *entitativus* supernaturalis, conferri etiam in justificatione habitus aliquos *operativos*, fatentur omnes Catholici. Triplex autem habitus hujusmodi distinguitur, nempe 1. habitus *virtutum theologicarum*, fidei, spei et caritatis, quae Deum ipsum directe et immediate respiciunt; 2. habitus *virtutum moralium*, quae bona humana et honestatem directe respiciunt; 3. *dona Spiritus sancti*, quae hominem disponunt redduntque promptum seu « bene mobilem » ad sequendum Spiritus sancti instinctum, praesertim in rebus arduis et heroicis.

1. *Virtutes theologicas* justificationem semper comitari, docet Concilium Tridentinum (sess. 6, cap. 7: Denz. 682), et aliqui cum

(1) Expendit Schiffini (n. 171), quam opportune comparetur gratia luci. « Lux enim confert rebus colorem et pulchritudinem; ea recedente, omnia horrent; ea præsente, corpora evadunt soli persimilia: item gratia animam pulcherrimam efficit ac deiformem, ut loquuntur Patres. Præterea, lux oculos illuminat, ut videre possint, simulque calefacit et foecundat: ita gratia intellectum dat parvulis, sancto amore corda incendit, steriles animas ad opera salutaria reddit idoneas. Tandem, luce nihil est purius et subtilius, nec solum exterius, sed intus pervadit undequaque corpora pellucida: item gratia omnem maculam depellit, omnesque animae recessus intime pervadit, penetrat et refingit ».

Suarez, De Lugo, Ripalda, Murray, Lehmkuhl, hoc de fide definitum esse asserunt: alii tamen cum Vasquez putant non esse quidem de fide, sed adeo certum ut contraria doctrina esset temeraria. Ratio sumitur ex necessitate harum virtutum, quippe quae principia sunt actuum illorum supernaturalium, in quibus praecipue consistit vita et actio spiritualis, et quibus praecipue tendit et pervenit homo ad finem suum supernaturalem.

2. *Virtutes morales*, praesertim quatuor cardinales, in justificatione infundi, est sententia communis et probabilior, quae tamen juxta Suarez (l. 6, c. 9, n. 15) citra notam aliquam etiam temeritatis negari posset. Ratio congrua hujus doctrinae est, quia hi habitus ad convenienter operandum in vita spirituali requiruntur.

3. *Dona* praeterea *Spiritus sancti* in justificatione etiam infundi, est communis sententia theologorum cum S. Thoma (1. 2, qu. 68, a. 5): et ratio congrua est, quia haec dona pertinent ad complementum et perfectionem justitiae et vitae supernaturalis: imo ex aliquorum sententia sunt principia et regulae virtutum moralium. Cf. Lehmkuhl, t. 1, nn. 683, sqq.

CAPUT SECUNDUM

De Dispositionibus ad Justificationem

262. — **Praenotanda.** — I. Cum Novatores, statuto principio de essentiali corruptione humanae naturae per peccatum originale, asserant singula hominum opera peccata esse, patet nullas esse in eorum systemate ex parte hominis veri nominis dispositiones ad justificationem, sed singulas actiones potius esse impedimenta. Hinc homini juxta ipsos desperandum esset, nisi praedicatio quae peccata et punitionem denuntiat, simul proponeret salutem et redemptionem plenissimam per merita et satisfactionem Christi promissam et habendam. His promissis motus homo confidentiam et *fiduciam* concipit, qua fiducia, inquiunt, homo justitiam Christi apprehendit quasi per manum: non quod ista fiducia sit intrinsece digna et meritoria, sed quod, ea posita, Deus juxta legem a se statutam imputat peccatori Christi merita: imo Calvinus (Inst., l. 3, c. 11, § 7) fidem istam ollae comparat fictili, in qua thesaurus reconditur.

263. — II. Requiri aliquas dispositiones, positas, ut supponitur, ex et cum gratia, de fide est ex Concilio Tridentino, sess. 6, can. 9 (Denz. 701), et constat ex Scriptura quae passim exigit a peccatoribus poenitentiam et conversionem. Ita Is., 45. 22, «Con-

vertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terrae »; Ezech. 18. 21, « Si autem impius egerit poenitentiam,..... vita vivet, et non morietur »; Ibid. v. 30, sqq., « Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris..... et non erit vobis in ruinam iniquitas »; Luc. 13. 3, « Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis ». Praecipua ergo quaestio contra haereticos est, *quaenam* dispositiones requirantur.

264. — III. Ex dictis, Novatores fidem solam requirunt, sed fidem, ut patet, diversam ab illa quam ipsi Catholici inter dispositiones ad justificationem reponunt. — Proinde distinguendum est. Fides *historica* seu *dogmatica* ea est qua credimus vera esse quae a Deo revelata sunt. Fides *miraculorum* ea est qua credimus nihil esse quod a Deo fieri non possit. Fides *promissionum* ea est qua fiducialiter credimus, veras esse promissiones de gratuita peccatorum remissione per merita Christi. Fidem hanc promissionum dividunt haeretici in generalem et specialem. Generalis ea est, qua in genere creditur, omnibus in Christo credentibus promissam esse remissionem peccatorum: specialis vero qua unusquisque in particulari credit atque confidit, hanc promissionem singillatim ad se quoque pertinere, sibique factam esse.

Hanc fidem promissionum specialem aiunt illam esse qua sola justificamur. Per eandem homo apprehendit et quasi manu stringit merita Christi, quae per evangelicas promissiones et sacramenta ei offeruntur, sicque sibi in particulari illa merita applicat. Promissiones et sacramenta sunt instrumenta ex parte Dei et quasi manus offerens: fides fiducialis est instrumentum ex parte nostra, et quasi manus recipiens donum justificationis. Cf. Jungmann, n. 287. Videntur aliqui haeretici (cf. Dublin Review, Oct. 1868) distinguere etiam fidem *magis specialem* fundatam non tantum in generali promissione quam sibi quis applicat, sed in manifestatione vel intimatione divina ipsi homini hic et nunc specialiter factam.

265. — IV. Contra hos errores definivit Concilium Tridentinum (sess. 6, can. 12: Denz. 704), « S. q. d., fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, a. s. ». Ac (can. 9: Denz. 701), « S. q. d., sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, a. s. ». Item (can. 13: Denz. 705), « S. q. d., omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa, a. s. »; et can. 14: Denz.

706), « S. q. d., hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici, a. s. ». Et antea (sess. ejusd. cap. 6: Denz. 680), « disponuntur autem [peccatores] ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt ». Statuendum proinde est duplici propositione, 1. fidem quae est necessaria ad justificationem, esse fidem *dogmaticam*, et 2. fidem *solam* non sufficere.

266. — Propositio I. Fides quae ad justificationem requiritur, non est fides promissionum, sed fides dogmatica.

Prob. I. Ex Hebr. 11. 6, « Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit ». — Fides hic descripta fides justificans est: ea enim est qua quis Deo placet et ad eum accedit; atqui fides ista non est fiducia, sed assensus ad veritatem revelatam, nempe existentiam Dei remuneratoris; ergo fides justificans non est fiducia, seu fides promissionum. — Ex aliis Scripturae locis simile argumentum confici potest, v. g. ex Marc. 16. 15, 16, « Praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit »; Jo. 20. 31, « Haec autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus »; Rom. 10. 9, « Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris ».

267. — II. Ex constanti praxi ecclesiae, quae a catechumenis baptizandis nunquam exigit fidem promissionum seu fiduciam Protestantium, sed professionem articulorum fidei qui in symbolis continentur. — Ex Patribus dicit S. Leo M. (serm. 34, 4 de Epiph. c. 1), « Hoc est quod justificat impios, hoc est, quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo, et vera Deitas, et vera credatur humanitas ». Et S. Augustinus (contra duas epistt. Pelag., l. 3, c. 5, n. 4), « Nostra fides, hoc est catholica fides, justos ab injustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit. Quia justus ex fide vivit ». Idem (de spir. et litt., c. 31, nn. 53, 54) « Quaeret aliquis, utrum fides ipsa, in qua salutis..... esse videtur exordium, in nostra constituta sit potestate..... De hac enim fide nunc loquimur, quam adhibemus cum aliquid credimus... De illa itaque fide quaerimus, utrum in potestate sit, qua credimus Deo, vel credimus in Deum ».

268. — III. Ex ratione: Fiducia enim ista de peccatis jam

remissis nequit praecedere aut efficere eorum remissionem; ac praeterea, Protestantes juxta unicam eorum fidei regulam debuissent necessitatem istius fiduciae ad justificationem ex Scriptura ostendere.

269. — **Obs.** De necessitate fidei ad justificationem agetur in tract. de Virtutibus Infusis (nn. 125, sqq.): interea vero notasse juvabit quae statuit Hurter (nn. 159, sqq.): « Fidem [dogmaticam] esse necessariam non tantum necessitate praecepti, sed et medii; 2. non sufficere fidem latiori sensu acceptam [idest ex testimonio creaturarum], sed requiri proprie dictam, eamque 3. se extendere debere virtute quidem et implicite ad omnia revelata per Christum; actu autem et explicite certe saltem ad veritates Dei existentis et remuneratoris ».

270. — **Dices.** In novi Testamenti locis ubi commemoratur fides justificans, verbum a Scriptore sacro adhibitum (πίστις, πιστεύω) proprie vertitur « fiducia », « fiduciam habeo », etc.; ergo fides justificans est fiducia.

Resp. *Dist. Anteced.* In *omnibus* hujusmodi locis vocabulum adhibitum significat fiduciam, *nego* (ut constat ex locis in probatione citatis, Hebr. 11. 6; Marc. 16. 16, etc.); in aliquibus, *subd.:* significat, seu connotat, fiduciam in sensu consueto, seu confidentiam (conceptam ex fide dogmatica de divinis attributis aut promissis), *transeat;* fiduciam propriae justificationis, in sensu Novatorum, *nego.* — Murray (d. 10, n. 18) provocans ad auctores protestanticos, Schleussner, Robinson, Parkhurst, dicit « Circiter octogies in Evangeliis Matthaei, Marci et Lucae et in epistola ad Romanos invenitur vocabulum illud [πιστίς]: in Evangelio Joannis non occurrit, sed πιστεύω saepius exstat. Omnes et singulos istos octoginta textus diligenter inspeximus: et ex his non sunt ultra sex in quibus significat fiduciam, et id in his sex nequaquam clare et certo ». Deinde subjungit, « *In nullo loco totius N. T. significat fiduciam propriae justificationis* ».

Inst. Dicit Christus de fide mulieris Chananaeae (Matth. 15. 28), « O mulier, magna est fides [πίστις] tua: fiat tibi sicut vis »; atqui haec fides fuit fiducia; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Haec fides fuit fides justificans Protestantium, *nego;* fiducia de Christi potestate sanandi morbos corporales, *subd.:* morbos alterius personae, *conc.;* ipsius personae credentis seu fiduciam habentis, *nego.* Proinde nulla est paritas cum fide Protestantium.

271. — Propositio II. Sola fides ad justificationem non sufficit: sed praeter eam aliquae aliae dispositiones requiruntur. — De fide ex Concilio Tridentino, sess. 6, cann. 9 et 14 (cit. supra, n. 265). — Notat Murray, nn. 33, 38, hanc propositionem stabiliri, 1. ex iis Scripturae locis in quibus significatur directe ac diserte fides sola non justificare; 2. ex aliis locis in quibus aliae praeter fidem dispositiones ad justificationem necessariae declarantur.

Prob. I. Ex 1 Cor. 13. 2, sqq., « Si habuero omnem fidem..... caritatem autem non habuero, nihil sum... ». — Fides de qua loquitur Apostolus hoc capite, illa est quae in Christianis requiritur quaeque in suo ordine et modo est justificans (ut constat ex locutione generali « *omnem* fidem », et ex conjunctione hujus fidei cum spe ac caritate, v. 13, « manent fides, spes, caritas »); atqui haec fides ad justificationem sola non sufficit, cum homo qui illam solam sine caritate haberet, nihil esset coram Deo; ergo.

272. — II. Ex Jac. 2. 24, 26, « Ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum..... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est ». — Agere Apostolum hoc loco de fide quae ex parte saltem justificat, patet tum ex verbis, « justificatur homo..... non ex fide tantum », tum ex argumento et exemplo quod deducit Apostolus vv. 21-23 ex fide Abrahae, quae certe justificans erat; atqui distincte docet Apostolus (et quidem juxta S. Augustinum et alios interpretes, ad aliquorum corrigendam intelligentiam pravam doctrinae S. Pauli de fide et operibus), non justificare fidem solam sine operibus; ergo. — Mirum proinde non est, Lutherum hanc S. Jacobi epistolam ut « stramineam » rejicere. Cf. Perrone, n. 528 et not.

273. — III. Ex Gal. 5. 5, 6, « Nos enim spiritu ex fide spem justitiae exspectamus. Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur ». — Fides quae valet coram Deo ad justitiam est illa, teste Apostolo, quae « per caritatem operatur », aut (in sensu passivo, juxta interpretationem quam Petavius et Bellarminus probabilem putant) quae per caritatem informatur et vivificatur; atqui fides sola justificans quam statuunt Lutherani, non est fides quae per caritatem operatur aut vivificatur: praesupponitur enim ab iis esse sola, ideoque a caritate sejuncta in valore justificandi; ergo fides sola justificans quam statuunt Lutherani, non est fides quae coram Deo valet ad justitiam. — Hoc fere fuit argumentum B. Edmundi Campion, apud A Lapide, in loc.

274. — IV. Ex Matth. 7. 21, « Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum ». — Qui Christum agnoscit ut Dominum, habet fidem; atqui non omnis homo qui

ita agnoscit Christum justus est: neque enim eo ipso jus possidet regnum coelorum ingrediendi; ergo fides sola non sufficit. — Ad hunc textum appellant Kilber, n. 414, Jungmann, n. 294; Maldonatus vero (in loc.) probabilius censet, verba citata non ostendere fidem, cum agatur de *falsis* prophetis.

275. — **V.** Si Scriptura dispositiones alias ad justificationem commemorat, fides sola non sufficit; atqui praeter fidem Scriptura commemorat spem, timorem, poenitentiam, amorem, etc.; ergo.

Minor constat ex pluribus Scripturae locis, v. g. ex 1 Jo. 3. 3, « Omnis qui habet hanc *spem* in eo, sanctificat se »; Eccli. 1. 27, « *Timor* Domini expellit peccatum » (cf. Prov. 14. 27); Ezech. 18. 21, « Si impius egerit *poenitentiam*..... vita vivet »; Luc. 7. 47, « Remittuntur [juxta graec. « remissa sunt »] ei peccata multa, quoniam *dilexit* multum » (cf. 1 Jo. 3. 14); Tob. 12. 9, « *Eleemosyna* a morte liberat, et *ipsa* est, quae purgat peccata ».

276. — **VI.** Ex Patribus antiquioribus, dicit S. Clemens Rom. (1 Cor. 35. 4, 5), « Nos igitur, ut promissorum donorum participes fiamus, summo studio contendamus, ut in numero eorum reperiamur, qui eum exspectent. Quomodo autem hoc fiet, dilecti? Si fide in Deum cognitio nostra stabilita fuerit, si grata illi et accepta diligenter quaesiverimus, si, quae ad inculpatam ejus voluntatem spectant, fecerimus et viam veritatis secuti fuerimus, abjicientes a nobis omnem injustitiam, iniquitatem, avaritiam, contentiones, malitias et fraudes, sussurationes et obtrectationes, odium Dei, superbiam, fastum, vanam gloriam et inhospitalitatem ». Et S. Joannes Chrys. (hom. in Matth. 55, al. 56, n. 1), « Non enim, o Petre, quia nunc me Filium Dei confessus es, ideo tantum debes coronas exspectare, et putare id tibi esse ad salutem satis, atque tranquille postea degere, ac si totum perfeceris ». Omnino clara quoque sunt verba S. Augustini (de fide et operib., c. 15, n. 25), « Si [mandatis] non servatis, ad vitam veniri potest per solam fidem, quae sine operibus mortua est: illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram posturus est, dicet [Christus]: Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus? Quos non increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt ». Ita S. Gregorius M. (hom. in Evang. 14, n. 4), « Videte si oves ejus estis, videte si eum cognoscitis, videte si lumen veritatis scitis. Scitis autem dico, non per fidem, sed per amorem. Scitis dico, non ex credulitate, sed ex operatione. Nam idem ipse qui hoc loquitur Joannes evangelista testatur, dicens: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (1 Jo. 2. 4) ».

277. — **Obs.** Ex Concilio Tridentino (sess. 6, cap. 6: Denz. 680),

praeter fidem, quae omnium consensu requiritur, dispositiones ad justificationem necessariae sunt timor, spes, caritas saltem inchoata, poenitentia, et propositum servandi in posterum divina mandata

278. — **Dices.** Scriptura agens de dispositionibus ad justificationem et peccatorum remissionem, commemorat fidem tantum; ergo fides sola requiritur.

Resp. 1. *Retorquendo.* Scriptura enim aliquando commemorat tantum eleemosynam (Tob. 12. 9), aliquando amorem tantum (Luc. 7. 47), aliquando timorem tantum (Eccli. 1. 27); ergo fides non est necessaria.

Resp. 2. *Dist. Antec.* Aliquando Scriptores sacri specialiter commemorant fidem tantum, ob scopum peculiarem, *conc.;* alias excludunt dispositiones, *nego*, ut constat ex locis in probatione citatis. — Qui ex pluribus alicujus rei causis unam specialiter commemorat, non ideo alias excludit. Sic (ait Murray, d. 10, n. 61), « successus bonorum pastorum, in fidelibus sibi commissis curandis, in hoc pastore sanctitati ejus eximiae tribueretur; in illo prudentiae; in alio mansuetudini; in alio fortitudini; in alio vigilantiae: in alio labori indefesso; etc. etc.; etsi omnes illae qualitates, plus minus secundum circumstantias temporum et locorum, in omni bono pastore conjungi debent ». Fidem vero (dogmaticam) quam Catholici cum Concilio Tridentino (sess. 6, capp. 6, 8, 9) humanae salutis initium, fundamentum et radicem dicunt, specialis fuit ratio cur commemorarent saepius Scriptores sacri: agebatur enim de Judaeis et gentilibus et universo mundo ad *novam* convertendis religionem. Cf. Franzelin, de Sacramentis in gen., thes. 8, n. 2, pp. 87, sqq.; Murray, n. 63. — Hinc quando dicitur Jo. 1. 12, « dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus »; Ibid. 3. 36, « qui credit in Filium, habet vitam aeternam »; Act. 8. 37, « si credis ex toto corde, licet [te baptizare] »: exhibetur quidem fides (dogmatica) tanquam dispositio prima et maxime necessaria, minime tamen ut unica et adaequata.

Inst. Docet Apostolus (Rom. 3. 28), « justificari hominem per fidem sine operibus legis » (cf. ib. 4. 2-5): item dicit (Ephes. 2. 8, 9), « Gratia enim estis salvati per fidem... non ex operibus »; atqui haec loca justificationem tribuunt fidei ad operum exclusionem; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Haec loca tribuunt justificationem fidei (dogmaticae per caritatem operanti) ad exclusionem operum legalium aut naturalium, *conc.;* fidei fiduciali aut mortuae, et ad exclusionem operum supernaturalium, *nego.*

CAPUT TERTIUM

De Justificationis Proprietatibus

279. — **Praenotanda.** — Contra tres errores quos ex principio de justitia imputativa inferunt haeretici, ut mox explicabitur, tres asserendae sunt justificationis proprietates, inaequalitas scilicet, amissibilitas, incertitudo.

I. *Inaequalitatem* quod attinet; Jovinianus cum Stoicis jam dixerat, in singulis hominibus virtutes esse aequales, vitia etiam paria, proinde unum hominem non esse prae alio sanctiorem vel pejorem. Hic quidem non fuit Novatorum error: juxta ipsos enim major fides vel caritas esse potest in uno quam in alio, item unus homo potest vitiis inquinari magis quam alius. Eo autem errabant, quod assererent istas virtutes, etiam fidem ipsam, quantumvis augeantur nullam habere dignitatem relate ad justificationem, nec esse dispositiones, sed ad summum merum instrumentum quo apprehendatur justitia: cum vero ista sit semper justitia imputativa Christi, semper in omnibus justis est aequalis. Cf. Perrone, n. 601. — Notat Murray, (d. 11, n. 27), nullum se indicium hujus peculiaris erroris in scriptis Protestantium (Evangelicalium aut Methodistarum) nostrarum regionum invenisse.

280. — II. Quoad *inamissibilitatem:* cum Novatores dicant opera praecedentia hominis vel bona vel mala nec obstare nec prodesse respectu justificationis, ac solam fidem requiri et sufficere, non quidem ut opus bonum vel dispositionem, sed tantum ut instrumentum, pronum erat inde inferre hanc justitiam semel, citra hominis actum bonum vel malum adeptam non posse unquam per ejus actum bonum vel malum amplius amitti; et hoc docuit Calvinus. Lutherus vero, parum sibi constans, dicit justitiam amitti posse per peccatum infidelitatis, et per illud solum. Cf. Perrone, l. c.

281. — III. *Certitudinem justificationis* admittunt omnes haberi posse ex revelatione particulari divina, qualem habuerunt v. g. ii quibus Christus ipse dixit peccata remissa esse (Magdalena, paralyticus, etc.). Docuit autem Catharinus hominem fidelem citra revelationem specialem *habere posse* certitudinem *fidei*, non quidem catholicae sed *divinae* (cui fidei opinatur Catharinus falsum subesse posse), de sua justificatione, eo scilicet quod certo scire possit se veram illam et legitimam poenitentiam praestitisse, cui Scriptura peccatorum remissionem promittit. Haec opinio non censetur haeretica sed est erronea et contra mentem Concilii Tridentini,

sess. 6, c. 9, fin. (Denz. 684), item c. 16, fin. (Denz. 692), communemque theologorum sententiam, quae docet hominem in hac vita non posse habere, exclusa revelatione speciali, certitudinem de sua justificatione.

Novatores autem docent hominem non tantum posse, sed et *debere* esse certum certitudine fidei de sua justificatione, ita ut minima haesitatio aut dubitatio justificationi officiat. Calvinus v. g. dicit (Inst., l. 3, § 16), « Fidelis non est, nisi qui suae salutis securitati innixus, diabolo et morti confidenter insultet ». Notissima sunt Lutheri verba (ep. ad Melancth), « Esto peccator et pecca fortiter : sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati », etc. Hunc errorem damnavit ut haereticum Concilium Tridentinum, sess. 6, cann. 13, 14 (cit. supra, n. 265); item can. 15 (Denz. 707), « S. q. d., hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum, a. s. ».

282. — **Propositio I. Justitia non est aequalis in omnibus.** — De fide ex Concilio Tridentino, sess. 6, can. 24, (Denz. 716), « S. q. d., justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam, a. s. ».

Prob. I. Si justorum sanctitas, juxta Scripturas augetur et crescit, ita ut justus in accepta justitia ulterius progrediatur, justitia non est in omnibus aequalis; atqui Scriptura exhibet justos ita proficientes in sanctitate, v. g. Prov. 4. 18, « Justorum semita, quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem »; Apoc. 22. 11, « Qui justus est, justificetur adhuc »; cf. Ps. 83. 8; 2 Petr. 3. 18; Ephes. 4. 7, 15. — Argumentum etiam desumunt aliqui ex Jac. 2. 21, ubi dicitur Abraham jam quidem justus, offerendo Isaac adhuc ex operibus justificari.

283. — **II.** Ex Patribus, S. Augustinus (epist. 167, ad Hieron., n. 13) ait, « Induti sunt Sancti justitia, alius magis, alius minus »; et iterum (tr. 6 in Jo., n. 8), « Diversarum gratiarum sunt, non omnes sancti paria merita habent : sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores ». Item (tr. 67 in Jo., n. 2), « Alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio sanctior..... Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansiones pro suo quisque accepturus est merito ». Ac S. Leo M. (serm. 59, c. 8), « Quantumlibet enim quisque justificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quod probatior esse possit et melior. Qui autem non proficit, deficit : et qui nihil acquirit nonnihil perdit ».

284. — **III.** Ex ratione theologica : Si omnes justi aequales

essent in justitia et sanctitate, aequalia essent aeterna praemia omnium; atqui praemia sanctorum in coelis non sunt aequalia (ut ostenditur in tract. de Deo Consumm., n. 49); ergo.

285. — **Dices.** Si est gradus sanctitatis ultra quem nemo progredi possit, falsa est argumentatio et conclusio nostra; atqui S. Augustinus docet esse gradum sanctitatis et caritatis, quem nemo excedere potest (Enchirid. c. 121, « Donec veniat hic ad tantam magnitudinem [caritatis], qua major esse non possit »); ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Si sit gradus sanctitatis, ultra quem nemo progreditur et quem omnes attingunt, nulla est inaequalitas, *conc.;* aliter, *nego.*

Dist. Min. Ex S. Augustino, est exercitium seu actus caritatis qui in suo genere est supremus (nempe martyrium), *conc.;* qui non admittit gradus diversos intensitatis, juxta diversa adjuncta, *nego.*

286. — **Propositio II. Justificatio est amissibilis.** — De fide ex Concilio Tridentino sess. 6, can. 23 (Denz. 715), « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum....., a. s. ».

Prob. I. Ex S. Scriptura. — Scriptura 1. hortatur justos ut in justitia accepta permaneant: ita Matth. 26. 41, « Vigilate et orate ut non intretis in tentationem », 1 Cor. 10. 12, « Qui se existimat stare, videat ne cadat », Philipp. 2. 12, « Cum metu et tremore vestram salutem operamini »; 2. comminatur eis poenas et flagella si peccata perpetrent: ita Ezech. 33. 12, 13, « Justitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit..... etiamsi dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiae suae oblivioni tradentur »: Hebr. 3. 14, « Participes enim Christi effecti sumus, *si tamen* initium substantiae ejus *usque ad finem* firmum retineamus »; 3. narrat justos v. g. Adam, Saul, David, Salomonem, Judam, etc., factos peccatores; atqui haec omnia falsa et absurda essent, si justitia est inamissibilis; ergo.

287. — **II.** Ex Patribus dicit S. Cyprianus (ad Donat., c. 4), « Sit tantum timor innocentiae custos, ut qui in mentes nostras indulgentiae coelestis allapsu clementer Dominus influxit, in animi oblectantis hospitio justa operatione teneatur, ne accepta securitas indiligentiam pariat et vetus denuo hostis obrepat ». Et S. Athanasius (orat. 3 c. Arianos, n. 25), « Ille qui cecidit, non amplius in Deo est, eo quod sanctus et paracletus Spiritus, qui in Deo est, ab ipso recesserit ». Item S. Augustinus (de corrept.

et gr., c. 13, n. 40), « Credendum est quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quae per dilectionem operatur incipere vivere, et aliquandiu fideliter et juste vivere, postea cadere, neque de hac vita prius quam eis id contingat, auferri ».

288. — **III.** Ex ratione: « Haec veritas ex principiis fidei alibi stabilitis desumitur; inter quae primum est, justum obligari praeceptis naturalibus, divinis et humanis; secundum, transgressionem praecepti in materia gravi esse peccatum mortale; tertium, peccatum mortale non posse simul esse cum caritate; quartum, gratiam habitualem non determinare aut necessitare voluntatem ut liquet ex paritate de gratia actuali, et per se evidens est in aliis habitibus ». Kilber, n. 430.

289. — **IV.** Ex impiis sequelis doctrinae Novatorum, nempe justificatum peccata gravissima, homicidii, adulterii, etc. patrare posse quin ex justitia et amicitia Dei excidat. De qua doctrina dicit Grotius (in discuss. apolog. Riveti), « Christiani pectoris est horrescere ea dogmata, quae pietati nocent, quale illud est a nonnullis defensum: Pecca fortiter, sed crede fortius, et nihil nocebunt tibi centum homicidia et mille stupra. Hi sunt genuini fructus illius dogmatis, credere quempiam debere justitiam Christi sibi imputari..... ».

Solvuntur Objectiones

290. — Obj. 1. Ex 1 Jo. 3. 9, « Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit »; atqui omnis justus natus est ex Deo; ergo non potest justitiam amittere.

Resp. *Dist. Maj.* Qui natus est ex Deo, idest qui est filius Dei adoptivus, non peccat *in sensu composito*, seu non potest adoptionem divinam et peccatum lethale simul conjungere, *conc.;* non potest abjicere filiationem divinam, *nego:* aliter enim inepte dixisset Apostolus in hac ipsa epistola (2. 1), « haec scribo vobis, ut non peccetis ».

291. — Obj. 2. Ex 1 Cor. 13. 8, « Caritas nunquam excidit »; atqui si justitia amitteretur, caritas excideret; ergo justitia est inamissibilis.

Resp. *Dist. Maj.* Caritas nunquam excidit eo quod perseverat etiam in patria, secus ac fides et spes, *conc.;* nunquam amittitur in hac vita, *nego.*

Inst. S. Paulus dicit de justis (Rom. 8. 38, 39), « Neque mors, neque vita..... neque creatura alia potest nos separare a caritate

Dei »; atqui si justitia est amissibilis, justi a caritate Dei separari possunt; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Caritas Dei erga hominem a creatura destrui nequit, *conc.;* caritas hominis erga Deum destrui nequit per creaturas, *subd.:* citra hominis culpam aut infidelitatem aliquam, *conc.;* nequit homo per propriam culpam a caritate Dei separari, *nego.*

292. — Obj. 3. Ex Cantic. 8. 7, « Aquae multae non potuerunt exstinguere caritatem »; atqui hoc falsum est in nostra doctrina; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Si per « caritatem » significatur amor Dei erga sponsam ecclesiam, nunquam exstingui potest, *conc.;* si intelligatur habitus infusus caritatis in animis justorum, *subd.:* non potest exstingui ulla externa vi (quam significant « aquae, flumina »), repugnante justi voluntate, *conc.;* ipsa anima libere peccando caritatem exstinguere nequit, *nego.* Cf. Murray, d. 11, n. 38.

293. — Obj. 4. Argumentum ex historia Saulis, Salomonis, Judae, etc. non valet, si isti nunquam fuerunt justi; atqui ex 1 Jo. 2. 19, ii qui ex justitia apparenti excidunt, eo ipso convincuntur nunquam fuisse justi (« Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum »); ergo.

Resp. *Ad Min.* Dist. sensum textus: 1. Non erant ex nobis secundum aeternam praedestinationem, *conc.;* secundum temporalem sanctificationem, *nego.* Ita Perrone, n. 614, Kilber, n. 431, post S. Augustinum (de dono persev., c. 9, n. 21). — 2. Non erant ex nobis perseveranter, *conc.;* non erant ex nobis secundum fidem et justificationem, *nego.* Ita Charmes, Murray.

294. — Obj. 5. S. Petrus peccavit graviter negando Christum; atqui juxta S. Leonem (serm. 60, c. 4) Deus non vidit Petri « dilectionem aversam » propter hoc peccatum; ergo per peccatum grave non amittitur justitia.

Resp. *Dist. Min.* Idest Petrus non peccavit *directe* contra caritatem, *conc.;* non peccavit indirecte, *nego.*

295. — **Obs.** Amitti justificationis gratiam non tantum per infidelitatem, ut volunt Lutherani, sed per alia peccata gravia, de fide est ex Concilio Tridentino, sess. 6, can. 27 (Denz. 718): et constat ex argumentis jam traditis, scilicet tum ex Scriptura, v. g. ex Ezech. 33, ubi dicitur universim sine distinctione, justitiam illius qui lethaliter peccat oblivioni tradi; tum ex ratione theologica, quia cum peccato gravi, quo homo constituitur Dei inimicus, componi in praesenti ordine nequit gratia justificans qua fit Deo gratus et amicus.

Amissâ per peccatum grave gratiâ justificante amittuntur etiam alia dona habitualia, excepta fide quae ex Concilio Tridentino, l. c., can. 28, aliquando remanet, necnon spe, juxta communem theologorum sententiam : sed et has duas virtutes amitti, saepe contingit. Cf. Hurter, nn. 251, sqq.

296. — Propositio III. Nemo absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua justificatione, nec proinde necessarium est ut credat se esse justificatum. — De fide quoad alteram partem, juxtâ dicta (n. 281).

Prob. I. Ex Scriptura. — Nemo absque speciali revelatione tenetur fide divina se credere justificatum, si nemo absque revelatione hujusmodi certus esse potest se justificatum esse; atqui Scripturae docent neminem sine speciali revelatione certum esse posse de propria justificatione; ergo.

Prob. Min. 1. Ex 1 Cor. 4. 3, 4, « Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die : sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum ». — Juxta adversarios homo quilibet justus certitudinem de propria justitia habet ex impletione conditionum quae ad justificationem requiruntur; atqui ex hoc textu Apostoli, non habetur certitudo ex conditionum impletione : si quis enim ex conditionum impletione de propria justitia certus esset, ille erat qui dicere potuit se nihil sibi conscium esse quod obstaret, exinde tamen non habuit Apostolus certitudinem, dicit enim, « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum ».

2. Ex Eccles. 9. 1, 2, « Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta ». — Sine revelatione speciali haberi non potest notitia illa quae sententia generali Scripturae sacrae negatur hominibus etiam justis, dum in terris versantur; atqui verba citata Scripturae docent generali sententia hominem etiam justum nescire utrum Dei amore an odio dignus sit; ergo sine speciali revelatione.....

Obs. In hebraeo, loco « nescit homo utrum amore vel odio dignus sit », legitur « etiam amorem, etiam odium non sciens homo » : quae verba haeretici aliqui (v. g. Munsterus) exponunt, « nescit homo an obveniant ei quae ipse amat, aut odit », alii autem (v. g. Calvinus), « nescit homo an habiturus sit amicos vel inimicos ». Hae tamen expositiones non cohaerent cum verbis contextus praecedentibus vel sequentibus. Juxta alios ergo haereticos verba citata negant quidem scientiam certam amoris vel odii divini haberi ex eventibus externis : non negant autem eam per media alia,

v. g. per revelationem privatam singulis factam haberi. Sed et in hac expositione non essent vera verba sequentia, « omnia in futurum servantur incerta ». Notetur demum ex Perrone (n. 575, annot.), omnes antiquas versiones, graecam, syriacam, arabicam, etc. eundem sensum referre quem refert Vulgata. — Huc referri possunt alii Scripturae textus (v. g. Rom. 11. 20; 1 Cor. 10. 12; Philipp. 2. 12), qui omnibus, etiam justis, commendant timorem de salute.

297. — **II.** Ex Patribus, S. Augustinus (in Ps. 41, n. 12) ait, « Novi quia justitia Dei manet; utrum mea maneat, nescio »; et (de Perfect. Just. c. 15, n. 33), « Quantalibet justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum Rex justus sederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta non possunt ».

298. — **III.** Ex ratione. — Fide divina credi non potest quod a Deo revelatum non est; atqui, seclusa speciali revelatione, a Deo revelatum non est, absolute et absque ulla conditione, fidelibus remissa esse peccata. Etsi enim quis (per impossibile) infallibiliter certus esset humana certitudine, se contritionem *veram* et *supernaturalem* elicuisse, tamen propositio de ejus justificatione non esset adhuc certa certitudine *fidei*, sed solum *deductio* esset vera ex principio fidei: quemadmodum certum non est *fide divina*, hunc parvulum jam rite et certo baptizatum carere culpa originali. Cf. Cercià, p. 58.

Solvuntur Objectiones

299. — Obj. 1. Dicit Apostolus Rom. 8. 38, 39, « Certus sum enim, quia neque mors, neque vita..... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei »; atqui haec verba exprimunt certitudinem de propria justificatione; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Haec verba docent certitudinem de justificatione praedestinatorum in genere, *conc.;* alicujus fidelis in particulari, v. g. ipsius Apostoli, *subd.:* certitudinem conjecturalem, *conc.;* certitudinem fidei, seclusa revelatione speciali, *nego.* — Ex alio loco objecto hujus epistolae (Rom. 8. 16), id tantum stricte sequitur, Spiritum testimonium reddere *conjecturale*, quod fideles sint filii Dei et haeredes Dei inchoate (per fidem, etc.). Idem dicendum de textu 1 Jo. 5. 13.

300. — Obj. 2. Ex 2 Cor. 13. 5, « Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis ». — Haec verba suponunt Corinthios cognoscere potuisse, utrum Christus in

ipsis habitaret; ergo potest omnis fidelis certus esse de sua justificatione.

Resp. *Dist. Anteced.* Ex hoc textu, Corinthii ex patratione miraculorum (quorum donum in nascente ecclesia frequens erat, nisi per crimina impedita: « nisi forte reprobi [improbi] estis ») scire potuerunt, utrum in eorum coetu (« in vobis ») Christus habitaret, tanquam in parte suae ecclesiae, *conc.* (quae est interpretatio S. Joannis Chrys.: cf. « Triplex »); cognoscere potuit *unusquisque* Corinthiorum, utrum Christus per gratiam sanctificantem in ipsius anima habitaret, *subd.:* per signa probabilia, *transeat;* per signa certa, certitudine fidei, *nego;* aliter enim non dixisset Apostolus, « tentate », « probate ».

301. — Obj. 3. Potest quis certo scire, se post baptismum aut absolutionem sacramentalem nunquam graviter peccasse; atqui ex fide catholica, qui post baptismum aut absolutionem sacramentalem non peccat, est justus; ergo potest quis certus esse de sua justificatione.

Resp. *Dist. Maj.* Potest quis haec scire certitudine morali, seu potius fiducia conjecturali, *conc.;* certitudine stricte dicta, citra revelationem divinam specialem, *nego.*

302. — **Coroll.** Ex propositionibus secunda et tertia de amissibilitate et incertitudine propriae justitiae, consequitur id quod contra Novatores definivit Concilium Tridentinum, sess. 6, can. 16 (Denz. 708), scilicet, neminem citra revelationem specialem habere *absolutam* et infallibilem *certitudinem* de sua in finem *perseverantia.*

Neque huic doctrinae contradicit revelatio Domini nostri, promittentis per B. Margaritam Mariam perseverantiam finalem fidelibus *omnibus*, qui in honorem sacratissimi Cordis ejus per novem menses successivos sacram Communionem primâ uniuscujusque mensis feriâ sextâ recipiant. Etenim supposito etiam, quod tamen ecclesia auctoritative non docet, talem revelationem revera divinitus fuisse factam, ipsa tamen incertitudo jam probata propriae justitiae impedit ne singuli fideles veram habeant certitudinem de *digna* Eucharistiae receptione, idest de conditionis praescriptae *debita* impletione. Cf. Beringer, « Les Indulgences », t. 1, p. 293, not.

QUAESTIO ALTERA

DE MERITO BONORUM OPERUM

303. — **Praenotiones.** — I. Vox « meritum » sumi potest vel in concreto vel in abstracto. In concreto significat opus aliqua retributione dignum : in abstracto est dignitas operis ad retributionem. Significatione generica omne opus, bonum vel malum, est meritum in concreto. Hic autem specifice sumitur meritum pro opere tum moraliter tum supernaturaliter bono, et communiter definitur, « Actus supernaturalis et liber, a *creatura* in obsequium Dei praestitus, de se potens Deum movere ad conferendum aliquod praemium supernaturale ».

304. — II. Meritum hoc supernaturale distinguitur imprimis in meritum *excellentiae*, seu de rigore justitiae, quod soli Christo proprium est et de quo agitur in tract. de Verbo Incarnato : et meritum *commune*, quod meris creaturis gratia adjutis convenit. Meritum commune de quo solo hic *agitur*, dividitur in meritum de *condigno* et meritum *de congruo*.

1. Meritum *de condigno* est opus in quo habentur omnes conditiones necessariae ut sit ex parte operantis et ex parte operis omnino et perfecte dignum cui, adjuncta promissione divina, praemium rependatur.

2. Meritum *de congruo* est opus cui deest vel aequalitas cum praemio vel promissio divina, et cui proinde non debetur praemium aliquo modo ex justitia, sed convenit tantum ex liberalitate praemiantis ; aliter, est opus cui deest aliqua ex conditionibus ad meritum de condigno requisitis.

3. Adhuc distinguitur meritum *de congruo infallibili et fallibili*. Primum illud est quod habet adjunctam promissionem divinam, et cui propterea retributio *sine infidelitate* negari non potest : secundum est illud quod caret illa promissione, et cui solum *ex quadam decentia* retributio debetur. Exemplum primi habetur in ultima dispositione ad primam gratiam sanctificantem, exemplum vero secundi in dispositionibus remotis. Cf. Murray, d. 12, nn. 2, sqq.

Agendum est de *existentia* meriti, de *conditionibus* ad meritum requisitis, de *objecto* meriti: tribus capitibus.

CAPUT PRIMUM

De Existentia Meriti

305. — **Praenotanda.** — I. Novatores ex principio de essentiali corruptione humanae naturae lapsae, necessario inferunt opera omnia etiam justorum (non exceptis iis quae efficiuntur sub gratia et impulsu Spiritus sancti), nedum non meritoria, sed et graviter peccaminosa esse: dicuntque soli Dei misericordiae tribuendum esse, ut pro venialibus tantum reputentur. Ita Lutherus (prop. 31), « In omni opere bono justus peccat »; ac (prop. 32), « Opus bonum optime factum est veniale peccatum » (Denz. 655, 656). Ipsum *nomen* meritum abhorrebant primi Novatores tanquam superbiam et jactantiam sapiens ac Christi crucem et merita evacuans. Postea autem discipuli eorum admiserunt justorum bona opera esse meritoria, sed tantum praemiorum temporalium et spiritualium et in hac vita et in altera, non autem ipsius vitae aeternae: item hoc esse ex pura indulgentia Dei, non ex operum dignitate intrinseca.

306. — II. Contra quos Concilium Tridentinum, sess. 6, can. 32 (Denz. 724) « S. q. d., hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, a. s. ». Ex hoc canone, hominem justum, quia jam ex gratia sanctificante haeres est simpliciter gloriae coelestis, bonis operibus (saltem *aliquibus*) augmentum gloriae *vere mereri*, de fide est: an autem de congruo an *de condigno* mereatur, non definivit Concilium. Meritum de condigno asserit communis sententia cum Suarez, Bellarm., etc., imo haec doctrina, ait Cercià, p. 82, « videtur proxima fidei », cujus opposita, juxta Sylvium (in 1. 2, qu. 114, a. 1 : concl. 2), est « multum temeraria ». Murray vero (d. 12, n. 8) putat contrariam sententiam nullam censuram mereri. — Ex disputatis inter theologos, ut postea videbitur, de conditionibus requisitis ex parte actus ut sit meritorius, constat etiam, de fide non esse *omnia* justorum opera esse aeternae vitae meritoria de condigno.

307. — Propositio. Bona justorum opera sunt vere et proprie meritoria.

Prob. I. Ubi inter opus et praemium intercedit proportio, habetur veri nominis meritum; atqui ex Scriptura Sacra inter bona justorum opera et praemium coeleste invenitur ista proportio; ergo justi bonis operibus vere merentur.

Probatur Minor late a Murray, qui (l. c., nn. 17-44) loca perplurima Scripturae in varias classes reducit: pauca sufficient. — 1. Ea quae exhibentur ut causa et effectus habent proportionem ad invicem; atqui Scriptura exhibet bona opera tanquam causas et gloriam tanquam effectum: ita v. g. Jac. 1. 12, « Beatus vir, qui suffert tentationem; *quoniam* cum probatus fuerit accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se »; Matt. 25. 21, « Euge serve bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui »; Ibid. 19. 17, 21, « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata..... Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo »; ergo.

2. In inferno puniuntur damnati poenis quae habent proportionem cum operibus; atqui similibus locutionibus exhibentur praemia coelestia collata propter bona opera, v. g. Matth. 25. 34, sqq., « Venite, benedicti.... Esurivi enim, et dedistis..... — Discedite, maledicti.... Esurivi enim, et non dedistis..... »; ergo.

3. Scriptura assimilat vitam christianam ludis et pugnis athletarum, ex. gr. 1 Cor. 9. 25, sqq., « Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam; ego igitur sic curro... »; atqui hoc nequit esse nisi propter proportionem inter justorum opera et praemium aeternum; ergo.

4. Locutiones, *merces*, *bravium*, *remuneratio*, *retributio*, aptissime significant proportionem inter opus et praemium, vel ut aiunt, « quid pro quo »; atqui in Scriptura vita aeterna respectu bonorum justorum operum vocatur merces (Matth. 5. 12, « merces vestra copiosa est in coelis »), bravium (Philipp. 3. 14, « persequor ad bravium supernae vocationis in Christo Jesu »), remuneratio (Hebr. 10. 35, « magnam habet [confidentia] remunerationem »), retributio (Coloss. 3. 24, « a Domino accipietis retributionem haereditatis »); ergo.

308. — II. Ex Patribus dicit S. Clemens Rom. (1 Cor. 35. 4, 5), « Nos igitur, ut promissorum donorum participes fiamus, summo studio contendamus », etc. (ut supra, n. 276). Item S. Justinus M. (Apol. 1, n. 43), « Edocti a prophetis, poenas et supplicia ac bonas remunerationes pro meritis cujusque actionum irrogari, verum

id esse confirmamus ». Item Tertullianus (adv. Gnost., c. 6), « Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? » Ac S. Ambrosius (de off., l. 1, c. 15), « Nonne evidens est meritorum aut praemia aut supplicia post mortem manere? Et recte, quia in certamine labor est, post certamen aliis victoria, aliis ignominia... Ergo non potest quis praemium accipere, nisi legitime certaverit; nec est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina ». Et S. Joannes Chrys. (hom. in Matth. 55, al. 56, n. 1), « Possum enim, utpote Dei Filius, te a malorum experimento eximere; nolo autem tui gratia, ut et ipse aliquid de tuo conferas, ac probatior evadas. Neque enim agonotheta quis dilectum habens athletam, velit unquam illum ex mera gratia coronare, sed ex propriis id praestare cupit laboribus, idque maxime, quia ipsum diligit: sic et Christus quos maxime diligit, hos vult suo merito[οἴκοθεν]esse conspicuos [aut, *beatos*], non autem ex sola sua ope ».

Solvuntur Objectiones

309. — Obj. 1. Ex Is. 64. 6, « Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae ». — Juxta haec verba, omnia opera nostra, etiam quae optima esse videntur, sunt aliquo modo mala; atqui talia opera ad summum misericordiâ tantum, non praemio, digna sunt; ergo. — « Ita multi in his regionibus scriptores Protestantici », ait Murray, n. 83.

Resp. *Dist. Maj.* Omnia hominum opera sunt mala, seu peccato aliquo infecta, *nego* (vel de ipsis injustis, juxta dicta de necessitate gratiae medicinalis, supra, n. 71); opera justorum (qui soli mereri de condigno possunt) aliqua nonnunquam maculantur imperfectione, *subd.:* istaque imperfectio meritum minuit, *conc.;* prorsus tollit, *nego.* Rem illustrat Murray (n. 83) exemplo hominis orationi per semihoram incumbentis et interdum distractionibus inhaerentis, « ita ut omnes istae mentis evagationes simul conjunctae nonnisi quinque circiter momenta occuparent; poenam sane pro his distractionibus, in quantum voluntariae sunt, meret; quis vero non videt ideo non extingui aut impediri meritum ceterorum viginti quinque momentorum? Haec enim fuere opus Dei operantis in homine cooperante; illa autem purum opus hominis infirmi, varii et mutabilis ».

310. — Obj. 2. Ex Luc. 17. 10, « Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus

facere fecimus ». — Servus inutilis non potest mereri; atqui ex textu citato omnis justus, etiam positis operibus quae meritoria vocantur, servus est inutilis; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Qui omni sub respectu inutilis est, *conc.;* aliter, *nego.* Sed hoc omisso,

Dist. Min. Omnis justus, ut humilitatem conservet, *se habere debet* pro servo inutili, *conc.*, idque verissime, tum quia ex Dei gratia bona meritoria operatur, tum quia nullam utilitatem suis operibus Deo confert, tum demum quia (quod textum objectum spectat) praecepta implendo, nihil singulare praestat; affirmat Christus omnem talem revera *esse* absolute et sub omni respectu inutilem, *nego.* Vid. Bellarminus, de justif., l. 5, c. 5 (ad obj. 3).

311. — Obj. 3. Ex Rom. 8. 18, « Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam ». — Ad meritum de condigno requiritur condignitas operis cum mercede; atqui his verbis diserte negat Apostolus condignitatem operum nostrorum cum vita aeterna; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Ex Apostolo, passiones et tribulationes momentaneae hujus vitae materialiter spectatae, non sunt condignae ad aeternae gloriae pondus (2 Cor. 4. 17), *conc.;* ut opera supernaturalia non habent moralem dignitatem, *nego.* — Bellarminus (l. c., c. 3, post sext. arg.) rem illustrat hoc exemplo: « Semen multo est minus, quod ad molem attinet, ipsa arbore, et tamen proportio est inter semen et arborem tanta, ut semini rite sato naturali quadam justitia arbor debeatur. Itaque beatus Paulus 2 ad Corinth. 4 dicit quidem, passiones hujus temporis momentaneas et leves esse, si conferantur ad pondus aeternae gloriae, quod exspectamus, et tamen addit has ipsas momentaneas, levesque passiones operari aeternum gloriae pondus, operari vero sine dubio intelligit non physice, sed moraliter, idest, non efficienter, sed meritorie; ac per hoc dignas esse quibus gloria illa, quamvis maxima et sempiterna justo judicio tribuatur ».

312. — Obj. 4. Ex Rom. 6. 23, « Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei vita aeterna ». — Quod objectum est meriti est stipendium; atqui ex hoc Apostoli loco vita aeterna est *gratia*, non stipendium; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Est « gratia » quatenus ex gratia Dei omne meritum nostrum initium habet, *conc.;* quatenus ex sola gratia absque nostra cooperatione vita aeterna obtinetur, ideoque ad exclusionem meritorum nostrorum, *nego.*

313. — Obj. 5. Vita aeterna vocatur in Scriptura haereditas (Rom. 8. 17; Coloss. 3. 24); atqui haereditas debetur filiis solo jure filiationis citra meritum ex labore; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Vita aeterna est haereditas *sola* in casu adulti, *nego;* haereditas etiam, *subd.:* haereditas naturalis, *nego;* adoptiva, *iterum subd.:* conditionata, *conc.;* absoluta, *nego.* Porro in locis objectis vita aeterna exhibetur ut duplici titulo et conditione habenda ab adultis, nempe filiationis et retributionis. Ita Rom. 8. 17, « Si autem filii, et haeredes : haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi : *si tamen* compatimur, ut et conglorificemur ». Et Coloss. 3. 24, « accipietis *retributionem* haereditatis ».

Inst. Vita aeterna est corona misericordiae (Ps. 102. 4; Matth. 5. 7); atqui in catholica doctrina esset ex justitia; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Vita aeterna est corona simul misericordiae (quatenus fundatur in gratia et remissione culpae) et justitiae (quatenus rependitur labori et victoriae), *conc.;* est corona misericordiae tantum, *nego,* vel *subd.:* in infantibus, *conc.;* in adultis, *nego,* juxta verba Apostoli (2 Tim. 4. 8), « In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex ».

314. — Obj. 6. Ad omnium hominum salutem sufficiunt merita Christi; atqui admisso merito nostro non amplius sufficiunt merita Christi; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Sufficiunt merita Christi in se actu primo, tanquam causa generalis, *conc.;* non indigent applicatione ad singulas animas, *nego.* Ipsi enim adversarii docent fidem requiri tanquam medium aut instrumentum hujus applicationis particularis.

Dist. Min. Non sufficiunt merita Christi, si admittitur meritum nostrum independens a meritis Christi, *conc.;* si admittitur meritum fundatum in meritis Christi, *nego.* Jamvero in doctrina catholica (ut dicit Bellarminus, l. c. ad obj. 8), « meritum justorum non opponuntur meritis Christi, sed ab illis nascuntur, et quidquid ipsa justorum merita laudis habent, id totum redundat in laudem meritorum Christi. Ipse enim vitis, nos palmites, et sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic et nos nihil possumus sine Christo facere. Et sicut nemo unquam ita desipuit, ut diceret detrahi de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum adferant : ita nemo, nisi plane stultus, dicere potest detrahi de gloria Christi, si servi ejus, per gratiam ejus, per spiritum ejus, per fidem et caritatem ab ipso inspiratam, bona opera faciant, quae ita vere sint justa, ut eis debeatur a justo judice corona justitiae ».

Inst. Doctrina catholica gloriam bonorum operum dividit et partitur inter Deum et hominem; atqui haec doctrina est Deo injuriosa et superbiae nutrix; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Ita ut Deus sit causa prima et homo causa secunda, *conc.;* ita ut homo sit causa independens a Deo, *nego.*

Nego Min.: ratio enim cur opus aliquod sit dignum praemio supernaturali vitae aeternae pendet a gratia: ac proinde Apostolus, ut Philippenses (2. 12, 13) ad salutem cum metu et tremore operandam excitaret, urgebat gratiae necessitatem («Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere»).

315. — Obj. 7. Admissa doctrina nostra, Deus gloriam homini deberet ex justitia; atqui inter Deum et creaturam non potest intercedere justitia; ergo.

Resp. *Dist. Maj.* Deus gloriam homini deberet ex justitia distributiva et late dicta, *conc.;* ex justitia commutativa, stricte dicta seu rigorosa, *nego.*

Dist. Min. Inter Deum et creaturam intercedere nequit justitia rigorosa, *conc.;* late dicta, *nego.* — Posito scilicet opere cui promissum est praemium, Deus debet sibi et suae fidelitati ut praemium rependat, nec posset citra nefas denegare; et hoc quidem sensu creatura *jus* habet ad praemium (jus enim est id cujus negatio est nefas). Jus vero quod fundatur unice in promissione divina, meritum tantum constituit de congruo infallibili. Ad meritum autem de condigno requiritur praeterea proportio aliqua et aequalitas moralis inter valorem operis exhibiti et praemium. Et haec proportio et excellentia vere habetur in justorum operibus; sed cum tota fundetur in *gratia* Dei ex meritis Christi et sic intercedat magna gratuitas, non debet Deus praemium justis ex justitia *rigorosa*, sed tantum ex justitia late dicta. Vid. commentar. de Verbo Incarnato, n. 301.

Inst. Ut actus sit meritorius apud aliquem, debet esse in ejus commodum et utilitatem; atqui nihil possumus operari in commodum Dei; ergo.

Resp. *Dist. Min.* Non possumus operari aliquid in commodum Dei velut intrinsecum, quasi ex operibus nostris aliquid accrescat Deo, *conc.;* in commodum velut extrinsecum, ad ejus scilicet gloriam manifestandam exterius, *nego.*

316. — **Obs.** Etsi de fide sit, justum bonis operibus vere mereri posse essentialem gloriam et ejus augmentum aliquod, inde tamen non sequitur, Deum illam tantum mercedem beatis conferre quae singulorum meritis *stricte* respondeat: imo sententia docens Deum opera bona remunerare ex mera liberalitate *supra* condignum est communissima theologorum, ait Bellarminus (l. c., c. 19), et ex Perrone (n. 682), ab omnibus est tenenda post damnationem prop. 14 Baii (Denz. 894, « Opera bona justorum non accipiunt

in die judicii extremi mercedem ampliorem, quam justo Dei judicio mereantur accipere »); aliter tamen censet Suarez (l. 12, c. 31, nn. 4, sqq.), quem sequitur Murray (nn. 192, sqq.).

CAPUT SECUNDUM

De Conditionibus ad Meritum requisitis

317. — Statuendae sunt propositiones de conditionibus ex parte hominis merentis, ex parte operis meritorii, ex parte Dei praemiantis.

318. — **Propositio I. Ad meritum de condigno duae essentialiter (saltem in praesenti ordine et ex decreto divino) requiruntur conditiones ex parte hominis merentis: prima, quod sit justus: secunda, quod sit viator.** — Est communis, et quoad priorem partem, ad doctrinam Catholicam pertinet, contra Baium docentem (prop. 15: Denz. 895), « Ratio meriti non consistit in eo quod qui bene operantur, habeant gratiam et inhabitantem spiritum sanctum, sed in eo solum, quod obediunt divinae legi » (cf. propp. 12-19).

Prob. prima pars, nempe: requiritur ut homo merens sit *justus*. — **I.** Ex Jo. 15. 4 (« Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis »), requiritur ad fructum, idest ad opera meritoria facienda, non quaecumque gratia, sed ea quae facit hominem vivum membrum corporis Christi; atqui ista est gratia sanctificans; ergo.

II. Opus stricte meritorium dignum est vita et haereditate aeterna; atqui homo dum injustus est, indignus est vita aeterna et in statu servili coram Deo; ergo nequit opus aeterna haereditate de condigno meritorium in illo statu perficere.

Prob. secunda pars, nempe: requiritur ut homo sit *viator*. — Non potest quis mereri nisi secundum conditiones a Deo positas: atqui Scriptura distincte ponit statum viatoris ut conditionem ad meritum. Docet enim hanc vitam esse tempus laborandi et merendi, eâ autem transactâ non esse amplius locum merendi: ita Eccles. 9. 10, « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos [idest in sepulchro] »: etiam Jo. 9. 4, « Venit nox quando nemo potest operari ».

319. — **Propositio II. Ad meritum de condigno, ex parte actus requiritur primo, ut sit positivus non mera omissio** (ita

communis sententia); **secundo, ut sit liber a necessitate** (hoc de fide contra Jansenium, prop. 3); **tertio, ut sit moraliter bonus; quarto, ut sit supernaturalis non tantum in principio eliciente sed** (juxta communiorem sententiam) **etiam in motivo.**

Prob. prima pars, nempe: requiritur ut actus sit *positivus.* — Per actum enim meritorium tendit homo ad finem supernaturalem, idque fieri non potest per puram omissionem.

Prob. secunda pars, nempe: requiritur ut actus sit *liber.* — Meritum enim est proprietas actus moralis: non habetur autem actus moralis sine libertate.

Prob. tertia pars, nempe: requiritur ut actus sit *moraliter bonus.* — Opus meritorium est opus praemio dignum; atqui solum opus moraliter bonum est praemio dignum: si enim opus non est moraliter bonum, est vel malum, quod poenam tantum meretur, vel saltem (juxta minus probabilem sententiam) est indifferens in individuo, in quo proinde nulla est ratio cur dicatur praemio potius quam poena dignum; ergo.

Prob. quarta pars, nempe: debet opus esse *supernaturale in principio.* — Opus enim meritorium est opus maxime salutare; ad omne autem opus salutare requiritur gratia.

Prob. quinta pars, nempe: debet opus esse *supernaturale in motivo.* — Fides enim exhibetur in Scriptura (Rom. 4. 3; Galat. 5. 6; Jac. 2. 21, 22) ut radix et fundamentum omnis justificationis, non solum primae sed secundae, seu omnis augmenti gratiae sanctificantis, et ergo omnis meriti: quod verum non esset, si opus ex motivo ratione sola seu fide pure humana apprehenso factum, et ergo bonum tantum moraliter, esset meritorium. Ita Murray, n. 100: fusius Pesch, nn. 402, sqq. — Notat vero Lehmkuhl (t. 1, n. 258), ex S. Thoma (1. 2, qu. 68. a. 2, ad 2 et 3), hominem justum dum opus bonum operatur potiri, propter dona Spiritus sancti, instinctu et motu divino qui motivum supernaturale menti subministret et suggerat. Cf. Pesch, nn. 408-419.

320. — Scholion de sensu quo actus meritorii dicuntur imperari a caritate. — I. Disputatur inter theologos, utrum ut actus hominis justi mereatur de condigno vitam aeternam, necessse sit ut *eliciatur aut imperetur a caritate.* Notandum est, quaestionem esse, utrum iste actus mereatur *de condigno* praemium *substantiale* seu vitam ipsam aeternam: actus enim supernaturales etiam peccatorum quaedam de congruo mereri, et actus supernaturales hominis justi mereri de condigno gloriam accidentalem, concedunt omnes. Inquiritur scilicet, utrum homo (v. g. puer ad rationis usum attingens) jam justificatus et proinde *habitu caritatis* potitus,

possit antequam ullum actum caritatis eliciat, mereri de condigno per aliarum virtutum actus (v. g. fidei) vitam aeternam, ita ut ipsa ei debeatur ut praemium.

De hac quaestione triplex distingui solet sententia: 1. Prima quae est Bañez, docet necesse esse ut actus *eliciantur a caritate:* quod idem videtur esse ac dicere *solos actus caritatis*, non aliarum virtutum, mereri de condigno vitam aeternam. Hanc sententiam putat Suarez (l. 12, c. 8, n. 9) non probandam aut tolerandam esse, utpote parum consentaneam Scripturae et Traditioni: et videtur eadem ipsa esse quae damnata est in Quesnello (propp. 55 sqq.: Denz. nn. 1270, sqq.). — 2. Alii concedunt actus aliarum virtutum mereri de condigno vitam aeternam dummodo imperentur a caritate, idest (ut explicat Mazzella, de Virt. Infus., n. 1333, ex Gotti) dummodo referantur aut actualiter aut saltem virtualiter ex motivo proprio caritatis ad Deum propter se dilectum. Haec est sententia plurium Thomistarum, necnon Bellarmini. — 3. Tertia sententia docet *omnes actus aliarum virtutum* vel saltem eos, qui aut actualiter aut virtualiter *ex quocumque supernaturali motivo* ab homine justo fiunt, mereri de condigno vitam aeternam. Ita Vasquez, Suarez, Murray, Mazzella: ac juxta Lehmkuhl, l. c., « est sententia satis communis theologorum hodie ».

321. — II. Revera tamen non videtur adeo discrepare tertia a secunda sententia, saltem in mente S. Thomae, quem auctores secundae sententiae profitentur se sequi. Sanctus enim Doctor (ut ex locis pluribus ipsius ostendit Ballerini, annot. ad Gury, t. 1, 35), dum ex una parte docet nullum esse actum virtutis in homine justo et proinde nullum esse actum meritorium, *nisi sit formatus et ordinatus a caritate*, ex alia vero parte asserit *omnem actum alicujus virtutis quem elicit homo justus*, etiamsi de Deo aut caritate non cogitet, *formari, ordinari et imperari* a caritate, cum Deus, summum bonum et objectum caritatis, sit finis aliarum virtutum. « Et sic », ait S. Doctor (2. dist. 40, qu. 1, a. 5), « comedere et bibere servato modo temperantiae et ludere ad recreationem servato modo eutrapeliae..... meritorium erit in eo, qui caritatem habet ». Proinde ut docet idem Ballerini (« Opus theol. moral. », t. 1, n. 203), omnis actus moraliter bonus hominis justi est ex mente S. Thomae, quem in hac re sequitur S. Franciscus Salesius, etiam meritorius. Aliqui quidem auctores tertiae sententiae (v. g. Jungmann, Murray, Mazzella) praeter habitum caritatis exigunt motivum supernaturale vel virtuale vel actuale (v. g. spem retributionis, timorem poenae, gratitudinem animae, ex motivo fidei): sed ex mente S. Thomae, ut jam dictum est, in homine justificato talia motiva nunquam desunt.

Cum hac S. Thomae sententia cohaerent haec duo : 1. Circumstantiam malam quae ipsum actum non afficit, sed tantum comitatur, non impedire meritum ; 2. opera etiam *praecepta* esse de condigno meritoria, contra sententiam singularem Dionysii Cisterciensis (quam sententiam Suarez, l. 12, c. 5, temerariam et erroneam vocat). Imo ipsâ circumstantiâ praecepti censet Suarez augeri meritum propter obedientiae excellentiam superadditam. Et revera Scriptura sacra mercedem promittit operibus praeceptis, v. g. persecutionis tolerantiae (Matth. 5. 12), inimicorum dilectioni (Luc. 6. 35), imo generatim omnium mandatorum observationi (Matth. 19. 17).

322. — III. Rationes praecipuae adversus sententiam Bañez hae sunt : 1. Non constat vel ex natura rei vel ex positiva Dei voluntate in revelatione expressa de obligatione actus nostros ex motivo explicito caritatis agendi ; 2. Scriptura vitam aeternam omnium virtutum actibus promittit (v. g. Matth. 19. 17, sqq., « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata... ») ; 3. Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 16, can. 32 (Denz. 724), docet universim et sine distinctione, justis bene usque ad finem operantibus vitam aeternam reddendam esse tanquam mercedem.

Attamen, ex omnium consensu, valde suadendum est (ait Murray, n. 139), « ut omnia nostra opera ex motivo caritatis exsequamur : non tantum quia hoc tutius est, sed quia posita etiam absoluta certitudine nostrae sententiae, opera facta ex hoc motivo sunt multo magis meritoria, imo secundum nostram sententiam, duplex habent meritum ». Cf. Lehmkuhl, n. 263.

323. — Obs. de fructu multiplici bonorum operum. — Notant auctores idem opus hominis justi posse esse simul, positis ponendis, meritorium de condigno, meritorium de congruo (et impetratorium), et satisfactorium. — « Meritum congruum », ait Lehmkuhl, n. 261, « ad quod opus aliquod bonum assumitur [v. g. ad beneficium sibi aut alteri obtinendum], nullatenus minuit meritum ejus condignum, ut apud theologos certissimum est. Neque enim ex eo, quod opera nostra bona Deo offeramus *ad impetrationem* gratiae alicujus promovendam, minus coelestis gloriae accepturi sumus ; imo quo caritas nostra latius pateat atque nos impellat, ut pro aliis oremus, atque voce et opere oremus, eo melius opus est, quod facimus, eoque abundantius erit praemium coelestis vitae, quod Deus nobis reponet. Quare utilissimum est, bonas nostras actiones ad certos fines per divinum auxilium attingendos offerri. — Imo, ut omnes fructus supernaturales bonorum operum recenseantur, opera bona hominis justi praeter vim meritoriam, et impetratoriam (vel meritoriam de

congruo), etiam *satisfactoriam vim* habent, qua pro poenis alias in purgatorio solvendis, satisfacere possimus, sive pro propriis peccatis, sive pro alienis: neque haec satisfactoria virtus meritum ullatenus minuit, eaque maculam poenae ab anima detergens hominem orantem Deo reddit magis acceptum, atque impetrationem ipsam juvat et promovet ». — His conformem fuisse, post Christi exemplum, Sanctorum praxim, advertit idem n. 264. Cf. Faber, « All for Jesus », c. 6.

324. — Propositio III. Supposita proportione intrinseca in actu primo operis supernaturalis cum vita aeterna, ad meritum condignum in actu secundo requiritur ex parte Dei repromissio mercedis. — Est communis et probabilior, etsi non definita.

Prob. I. Ex Scriptura sacra, quae vitam aeternam vocat « promissiones » (Hebr. 6. 12: cf. 10. 36), et « coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se » (Jac. 1. 12): praecipue vero ut ait Kilber, n. 437, ex parabola operariorum (Matth. 20), ubi (dum dicitur v. 13, « Nonne ex denario convenisti mecum », et fit applicatio parabolae ad meritum pro regno coelorum) ratio aequitatis et justitiae inter laborem ac mercedem ponitur in conventione seu promissione mercedis sub conditione laboris. Et ita docent Patres, uti S. Augustinus (serm. 158, c. 2), « Debitor factus est [Deus], non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo ».

II. Ex ratione theologica. — Posito opere meritorio, Deus tenetur reddere praemium; atqui Deus, qui Dominus est omnium, non potest obligari erga creaturam nisi propter ipsum, scilicet propter fidelitatem divinam in promissis servandis, praesertim quando agitur de praemio supernaturali; ergo requiritur promissio divina. — Imo inter ipsos homines, si quis forte non conductus, sed sponte sua vineam aut agrum alterius colat, non potest jure mercedem exigere, etiamsi alioquin opus ejus mercede dignissimum judicari possit. Cf. Bellarminus, l. c., c. 14.

325. — Scholion de conditionibus ad meritum de congruo. — Haec breviter tradit Murray, nn. 141, 142: « 1. Ex parte *operis* requiruntur omnes conditiones ad meritum de condigno necessariae, nempe, ut sit opus positivum, liberum, moraliter bonum, supernaturale in principio et motivo. — 2. Ex parte *operantis* requiritur tantum conditio prima, ut sit viator, non autem secunda, ut sit in statu gratiae. — 3. Ex parte *Dei* non requiritur promissio..... Si adsit promissio, meritum vocatur de congruo infallibili ».

CAPUT TERTIUM

De Objecto Meriti

326. — I. Haec certa sunt apud Catholicos: 1. De fide est ex Concilio Tridentino, sess. 6, can. 32, hominem justum mereri posse, et quidem de condigno, juxta communem interpretationem, « *augmentum gratiae, vitam aeternam*, et *ipsius vitae aeternae*, si tamen in gratia decesserit, *consecutionem*, atque etiam *gloriae augmentum* ».

2. Ex dictis contra Semipelagianos, et ex cap. 5, sess. cit. Concilii Tridentini (Denz. 679), de fide etiam est, hominem nullatenus, nequidem de congruo fallibili, mereri sibi *primam gratiam actualem*, quippe quae primum principium est omnis meriti.

3. *Primam* gratiam *sanctificantem* homo per actus supernaturales, idest ex gratia actuali elicitos, mereri potest non quidem de condigno : alioquin enim justificatio non esset gratuita (cf. Tridentinum, l. c., cap. 8 : Denz. 683), bene vero *de congruo etiam infallibili* propter promissiones divinas (Ps. 50. 19 ; Matth. 6. 14, etc.).

327. — II. Disputatur de homine justo, utrum mereri possit *sibi ipsi* reparationem post futurum lapsum, gratiam efficacem cum perseverantia finali : necnon utrum, et quid, *aliis* mereri possit. Haec capita summatim sunt indicanda :

1. *Reparationem* post lapsum futurum justus mereri potest non quidem *a*) de condigno : deest enim promissio, sed *b*) satis communiter et probabiliter (quoad aliquos saltem casus) de congruo fallibili : adest enim positiva decentia propter amicitiam.

2. *Perseverantiam finalem* justus mereri potest, non quidem *a*) de condigno (commune, sed nullatenus definitum) : est enim magnum illud usque in finem perseverantiae donum (ut loquitur Concilium Tridentinum, sess. 6, can. 16 : Denz. 708), quod ab omnibus aestimatur ut *prorsus gratuitum* (cf. S. Thomas, 1. 2, qu. 114, a. 9) ; sed *b*) « hoc Dei donum », ut loquitur S. Augustinus (de dono persev., c. 6, n. 10), « *suppliciter* emereri potest », idest de congruo fallibili, saltem per orationes et opera eximia *continuata :* adest enim positiva decentia.

3. Justus *aliis*, non quidem de condigno (cum desit promissio, et proprium sit Christo mereri pro aliis de condigno) ; sed *de congruo fallibili* mereri potest omnia quae sibi mereri potest, et *praeterea primam gratiam actualem :* adest enim decentia positiva, et oratio pro aliis commendatur in Scriptura.

328. — III. Si de peccatorum meritis inquiritur, haec tradit Murray, nn. 182, sqq., post Suarez. — Peccator *alteri* nihil mereri potest, nec sibi de condigno : desunt enim conditiones, scilicet justitia et promissio. *Sibi* autem de congruo mereri potest 1. gratiam primam justificantem : et hoc de congruo etiam infallibili (ita secundum communem et receptum modum loquendi); 2. gratias actuales necessarias ad peccatum grave et alia conversionis impedimenta vitanda aut superanda : et hoc etiam infallibiliter; 3. gratias alias utiles : sed tantum de congruo fallibili.

329. — Scholion de Reviviscentia Meritorum. — 1. Docent theologi omnes post plures ecclesiae Patres, justi hominis meritum per peccatum grave subsequens *mortificari* quidem seu impediri, non autem prorsus *exstingui*. Contrariam sententiam putat Ledesma *haereticam*, Suarez vero, Ripalda et alii dicunt *temerariam*. — 2. De quaestione ulteriori, utrum meritum mortificatum cum gratia sanctificante *totaliter* redeat, *probabilior* sententia affirmat cum Ripalda et aliis, qui idem de gratia per sacramenta acquisita docent. « Proinde », ait Hurter, n. 274, « omnis illa redit gratia, quam quis ante peccatum habuit ». De hac quaestione fusius agit Suarez in opusc. speciali (edit. Vives, t. 11, pp. 436, sqq.), et iterum recurret sermo in tractatu de Poenitentiae sacramento (nn. 59, sqq.).

« Gratia tua nos, quaesumus Domine, non derelinquat : quae et sacrae nos deditos faciat servituti, et tuam nobis opem semper acquirat ».

Oratio Ecclesiae.

DE VIRTUTIBUS INFUSIS [1]

1. — Ex tractatu superiori (de Gratia, n. 233), gratia habitualis est animae veluti supernaturale *esse*, cui tanquam potentiae operativae seu facultates inhaereant virtutes supernaturales. Convenienter proinde nunc agendum est de his virtutibus supernaturalibus; ac primo quidem de virtutibus infusis in genere, deinde distinctis quaestionibus, de fide, spe et caritate.

QUAESTIO PRIMA

DE VIRTUTIBUS INFUSIS UNIVERSIM

Prooemium.

2. — I. **Definitio.** — Nomen latinum *virtus* a «viro» derivatum praecipue significat roborem et potentiam ac deinde ejus effectus: unde apud Vulgatam et Patres antiquiores vocantur miracula «virtutes», uti Matth. 11. 21 (graece vero δύναμις). Hic vero secundum usum exclusivum plurium saeculorum sumitur *virtus* pro facultate agendi recte et honeste (Phil. 4. 8: graece ἀρετή): unde ex S. Augustino (de 83 quaestt., qu. 31) virtus est «animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus», vel, ut loquuntur nunc theologi, est *habitus operativus bonus*, seu inclinans ad actus moraliter bonos.

Virtus proinde non est mera *potentia* honeste operandi: cum haec sit in omnibus hominibus; neque est ex alia parte *actus* ipse: hic enim aliquando propter impedimenta externa impossibilis est iis qui virtute gaudent.

(1) De Virtutibus in genere agit S. Thomas, 1. 2, quaest. 56-68, ac de Virtutibus Theologicis in specie, 2. 2, quaest. 1-30; quem e Societate Jesu praecipue commentati sunt Gregorius de Valentia et Suarez, ac de virtute Fidei Divinae Card. Joannes de Lugo. Opera specialia de Virtutibus Infusis aut Theologicis recentiori aetate ediderunt Card. Mazzella, Bouquillon, Lahousse, Billot, Schiffini.

Cum actus morales a voluntate procedant, ipsa *voluntas* et non alia facultas (intellectus nempe aut appetitus sensitivus), nisi quatenus voluntati subduntur, proprie dicitur *subjectum* virtutis.

3. — II. **Divisiones.** — Partitionem virtutum quod attinet: 1. Etsi virtutes omnes sint morales, solemnis tamen est distinctio, qua aliquae earum utpote habentes Deum ipsum immediate pro objecto, nobiliori nomine *theologicae* vocantur: quae juxta consuetam connumerationem Concilii Tridentini (sess. 6, cap. 7: Denz. 682) post Apostolum (1 Cor. 13. 13) et Patres, tres sunt, nempe fides quae Deum ut supremum verum, spes ut supremum bonum nostrum, caritas ut summum in se bonum respective spectant. Non videtur vero iste praecise numerus esse de necessitate fidei. Cf. Suarez, de Gratia, l. 6, c. 8, n. 16.

Virtutes supernaturales non-theologicae, quarum objectum formale est honestas actionis, simpliciter dicuntur *morales*. Solent vero virtutes istae post S. Augustinum (de Civ. Dei, l. 4, c. 20) reduci ad quatuor generaliores quibus aliae annectuntur, quae juxta modum loquendi S. Ambrosii (in Luc. 6, n. 62) *cardinales* vocantur, nempe temperantia, justitia, prudentia, fortitudo.

4. — 2. Alia est distinctio in virtutes *acquisitas* quae, uti virtutes morales, comparantur actibus repetitis dantque *facilitatem* et inclinationem ad actus quosdam honestos agendos; ac in virtutes *infusas*, quas Deus ipse immediate producit et infundit in anima. Harum virtutum posteriorum aliae, quae etsi de facto praeternaturaliter infusae, viribus tamen naturae acquiri possunt, vocantur *infusae per accidens:* aliae autem quae exercitio virium naturalium minime acquiri possunt, vocantur *virtutes per se infusae*, seu simpliciter infusae. Hae vero virtutes per se infusae quippe quae facultatem naturalem jam existentem non perficiunt, sed novam dant supernaturalem *facultatem*, et ordinantur ad hominem beatitudini supernaturali disponendum sunt ipsae ejusdem ordinis supernaturalis, et ut ait S. Thomas (1. 2, qu. 51, a. 4), « nunquam possunt homini inesse nisi ex infusione divina ».

5. — Tendentia ista in finem supernaturalem est id quod distinguit virtutem aliquam infusam a virtute acquisita respondente. Ita v. g. ratio formalis virtutis infusae *justitiae* non est mere honestas illa quae in virtute acquisita invenitur (consistens in hoc quod « suum cuique datur »), sed est haec honestas praecise prout conducit ad finem supernaturalem. Dicit S. Thomas (in 3, dist. 33: qu. 1, a. 2, quaestiunc. 4, ad 2), « Quamvis sit idem actus virtutis acquisitae et infusae *materialiter*, non tamen est idem actus formaliter ». Imo Patres plures, ac praesertim S. Augustinus (vid.

tract. de Gratia, n. 77), dicunt virtutes infidelium, etsi philosophice nihil eis desit, esse vitia potius quam virtutes, cum objectum non habeant supernaturale, quod vult Deus. Si tamen non jam cum virtute justitiae acquisita, sed cum aliis virtutibus infusis confertur virtus infusa justitiae, honestas illa (quod nempe suum cuique reddatur) est ratio ipsius formalis et distinctiva, et non tendentia in finem supernaturalem, quippe quae virtutibus omnibus infusis communis est.

6. — **Obs.** Dictum est supra, virtutes acquisitas dare *facilitatem*, supernaturales vero *facultatem* tantum. Similiter tenendum videtur, facilitatem illam quae vel ipsarum virtutum supernaturalium exercitio acquiritur, etiamsi dicatur habitus, non esse tamen supernaturalem. Et ratio assignatur: quia haec facilitas et promptitudo respicit actus non prout sunt supernaturales sed prout sunt vitales, ac remanet etiam postquam habitus supernaturalis sit ablatus.

Jam de virtutum infusarum universim *existentia*, de *tempore infusionis*, de *augmento* et *amissione* (seu *diminutione*), necnon propter materiae connexionem de *donis Spiritus sancti*, breviter statuere licet distinctis capitibus, quae certa sunt aut probabiliora videntur.

CAPUT PRIMUM

De Existentia Virtutum Infusarum

7. — **Praenotanda.** — I. Fidem, spem et caritatem infundi in justificatione, docet Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 7 (Denz. 682), « In ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur: fidem, spem et caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit..... Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex apostolorum traditione catechumeni ab ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam aeternam praestantem; quam sine spe et caritate fides praestare non potest ». Ac can. 11 (Denz. 703), « S. q. d., homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhaereat,... a. s. ».

8. — II. A Concilio proinde definitum est, contra imputationem justitiae mere extrinsecam quam asserebant Novatores, in justi-

ficatione intrinsece in anima ipsa conferri et realiter inesse una cum gratia sanctificante fidem, spem et caritatem. De his tamen tribus, sicut de ipsa gratia, inquiri potest, utrum non solum intrinsecus insint in anima, sed physice inhaereant et permaneant per modum *habitus*. Re enim vera, Concilium, cum directe ageret tantum de justificatione *adulti*, concipi posset definire, quod in justificatione infunduntur intrinsecus *actus* fidei, spei et caritatis, qui deinceps, donec retractentur, *moraliter* permaneant et sic aliquo sensu inhaereant animae.

Attamen, licet Concilium non expresse doceat, et proinde secundum plures theologos non sit de fide, virtutes idest *habitus* fidei, spei et caritatis infundi in justificatione, hoc nihilominus nunc tenent Catholici omnes ut certum, ac plures ut proximum fidei: nec videtur Tridentinum posse aliter commode explicari.

9. — III. Dari quoque virtutes *morales* infusas, contra Scotum docet communior et probabilior theologorum sententia cum S. Thoma (1. 2, qu. 63, a. 3); et confirmatur ex verbis Concilii Viennensis (Denz. 411), quae significare videntur universim, conferri in justificatione diversas virtutes, neque enim distinguuntur ibidem morales a theologicis. — Hinc duplex propositio.

10. — Propositio I. Existunt infusae virtutes theologicae, seu habitus fidei, spei et caritatis.

Prob. I. Ex Scriptura. Caritas Dei, quae ex S. Paulo (Rom. 5. 5), « diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis », ab eodem Apostolo (1 Cor. 13. 8) dicitur nunquam excidere, sed saltem nunc in hac vita manere cum fide et spe (v. 13); atqui haec doctrina, spectata praesertim traditione catholica subsequente, videtur melius intelligi posse de habitibus permanentibus, quae possint esse vitae supernaturalis principium, quam de actibus repetitis; ergo in Scriptura habetur saltem fundamentum aliquod doctrinae docentis, dari virtutes infusas quae habitus sint.

11. — **II.** Ex Patribus sic loquitur S. Gregorius M. (hom. in Ezech., l. 1, hom. 5, n. 11), « In sanctorum quippe cordibus juxta quasdam virtutes semper permanet [Spiritus sanctus], juxta quasdam vero recessurus venit, et venturus recedit. In fide etenim, spe atque caritate, et in bonis aliis, sine quibus ad coelestem patriam non potest perveniri, sicut est humilitas, castitas, justitia atque misericordia, perfectorum corda non deserit ».

12. — **III.** Confirmatur ratione ex analogia naturalis ordinis, in quo dat Deus non tantum remotum principium actuum, nempe naturam, sed etiam proximum, seu facultates. Ad ponendos vi-

delicet *connaturaliter* actus ordinis supernaturalis, videretur requiri non tantum remotum principium, nempe gratia, sed etiam proximum quae sunt virtutes : idque praecipue quoad actus illos quibus homo in finem supernaturalem, Deum ipsum tendat ; atqui hi actus sunt praecipue actus fidei, spei et caritatis ; congruit ergo ut principia permanentia, seu habitus harum virtutum a Deo conferantur et infundantur.

13. — **IV.** Ex modo loquendi Concilii Tridentini. — 1. Non est dicenda S. Synodus voluisse significare, verbis jam citatis (n. 7), infundi in justificatione, id quod ipsa praerequirit ante justificationem ; atqui ante justificationem adulti, de qua directe agit Concilium, praerequirit *actus* fidei et spei (cf. cap. 8 : Denz. 683).

2. Non significantur fides et spes alio modo infundi quam caritas ; sed caritas dicitur in canone citato (11) infundi et inhaerere eadem ratione qua gratia : idest juxta sententiam unanimem theologorum ac testimonium Pallavicinii (hist. Conc. Trid., l. 8, c. 14, n. 3), modo stabili et permanente seu per habitus.

3. Ex capite citato (7) Concilii, fidem istam quae dicitur infundi, « ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab ecclesia *petunt* » ; catechumenus autem non actum fidei (qui potius ab ipsis praerequiritur) petit in baptismo, sed justitiam permanentem, cujus pars sunt fides, spes et caritas.

14. — **V.** Ex Concilio Viennensi jam antea liquet haec doctrina. Cum enim dicerent nonnulli theologi, parvulis in baptismo culpam quidem remitti, fidem vero aut caritatem, aliosque virtutum habitus ipsis, utpote consensû incapacibus, non infundi : statuit Clemens V (Denz. 411), « opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam ». Tota ergo disputatio movebatur de virtutum *habitibus*, hosque certe infundi in casu adultorum, apud omnes in confesso fuit, improbabili tantum dubio apud aliquos manente, utrum hi habitus conferantur statim in ipso baptismate parvulis, an postea cum ad rationis usum perveniunt.

15. — **Propositio II. Probabilius existunt virtutes morales infusae.**

Prob. I. Ex 2 Tim. 1. 7, « Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed [spiritum] virtutis et dilectionis et sobrietatis ». His verbis significantur fortitudo (« virtus ») et temperantia (« sobrie-

tas ») a Deo dari eodem modo ac caritas (« dilectio »); atqui caritas a Deo datur per habitum infusum; ergo et aliae.

16. — **II.** Argumento theologico. Censetur Adam aliquas virtutes morales peccando amisisse: dicit v. g. S. Prosper (contra Collat., c. 9), « Perdidit continentiam, perdidit caritatem, spoliatus est sapientia et intellectu, caruit consilio et fortitudine »; atqui non amisit virtutes acquisitas; ergo ante lapsum aliquas habuit virtutes morales infusas.

17. — **III.** Hanc rationem assignat S. Thomas (1. 2, qu. 63, a. 3), quod sicut per virtutes theologicas homo ponitur in actu primo perfecto ad *finem* ipsum supernaturalem, ita per virtutes morales infusas ponitur in actu primo perfecto respectu *mediorum* ad hunc finem. Citra has scilicet virtutes non foret homo perfecte proportionatus ad agendum supernaturaliter circa objecta propria virtutum moralium: causae enim proportionatae et connaturales actuum moralium supernaturalium sunt virtutes morales infusae.

18. — **Obs.** *Numerum* virtutum moralium per se infusarum quod attinet: Omnes qui ejusmodi virtutes agnoscunt, admittunt saltem quatuor virtutes cardinales: ad quas putant multi referri posse reliquas. — Liquet, virtutes quae acquisitae vocantur, posse per accidens infundi.

CAPUT SECUNDUM

De Tempore quo infunduntur Virtutes

19. — **Praenotanda.** — De virtutibus moralibus nulla habetur difficultas: communis enim sententia cum S. Thoma (1. 2, qu, 65, artt. 2, 3) docet eas infundi « simul cum caritate ». Idem de fide et spe probabiliter docet Angelicus (1. 2, qu. 62, a. 4, et alibi) cum Magistro, Scoto, S. Bonaventura, De Lugo. Contradicunt tamen plures et magni nominis theologi, ut Cajetanus, Suarez, Vasquez, docentes proselytos ab infidelitate et catechumenos, dum actus supernaturales fidei et spei in principio conversionis antequam baptizentur eliciunt, infusos habitus harum virtutum suscipere ante habitum caritatis. Ex qua sententia, baptismi sacramentum nunquam esset causa infusionis fidei et spei in casu adultorum, cum necesse sit ut hi eliciant actus fidei et spei antequam justificentur. — Secundum communiorem autem doctrinam statuenda est

20. — **Propositio. Ante primam justificationem nulla virtus infunditur.**

Prob. I. Ex modo loquendi Concilii Tridentini. — Ac 1. docet S. Synodus universim citra ullam distinctionem, baptismum esse causam instrumentalem justificationis in quo infunduntur gratia et virtutes (Denz. 681, sqq.). — 2. Ex Concilio, catechumeni petunt ab ecclesia fidem antequam baptismum recipiant; sed si jam habeant habitum fidei, non est cur petant. — 3. Item ex Concilio, *in* ipsa justificatione cum remissione peccatorum simul infunduntur fides, spes et caritas; sed in adversariorum sententia fides et spes infunderentur *ante* justificationem et successive.

21. — **II.** Ratione theologica. Analogia enim, juxta quam gratia sanctificans est vitae supernaturalis anima, exigit ut ante ipsam gratiam facultates ipsius, quae sunt virtutes infusae, non conferantur. — Cohaerenter cum hac analogia, post S. Thomam (1. 2, qu. 110, a. 4, ad 1) docent plures physicam quasi emanationem (ut loquitur Ripalda) virtutum a gratia sanctificante. « Sicut ab essentia animae », ait S. Thomas (l. c.), « effluunt ejus potentiae, quae sunt operum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animae, per quas potentiae moventur ad actus: et secundum hoc gratia comparatur ad voluntatem, ut movens ad motum ».

CAPUT TERTIUM

De Augmento Virtutum Infusarum

22. — I. Posse justitiam virtutesque quae eam comitantur augeri, docet Concilium Tridentinum ex pluribus Scripturae locis. Ita sess. 6, cap. 10 (Denz. 685), « Sic ergo justificati, et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem; hoc est..... in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur, sicut scriptum est: Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis usque ad mortem justificari... Hoc vero justitiae incrementum petit sancta ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum ». Cf. de Gratia, n. 282.

23. — II. Huic autem augmento virtutum ex natura rei nullus terminus praefigi potest in hac vita, ut ait S. Thomas nominatim de caritate (2. 2, qu. 24, a. 7): etenim causa efficiens harum virtutum est vis omnipotens Dei, et subjectum per potentiam obedientialem est semper capax ulterioris adhuc augmenti. Praecipue

tamen in fructuosa sacramentorum receptione et per opera bona justorum, virtutes infusae juxta communiorem sententiam incrementum accipiunt, sicut et ipsa justitia quam comitantur, et ex qua, juxta sententiam S. Thomae (1. 2, qu. 110, a. 4), quasi effluunt.

24. — III. De modo hujus augmenti negative dicendum est illud non consistere 1. in majori extensione explicita ad plura objecta, id quod habetur quando v. g. fidelis scit et credit *explicite* plura dogmata: haec enim jam crediderat implicite, nec est augmentum ullum internum virtutis fidei. — Neque 2. consistit in majore firmitate virtutis propter actus repetitos: haec enim firmitas ex eo oritur, quod intellectus credentis motiva fidei clarius perspiciat, voluntasque magis inclinetur ad objecta virtutis, ac concupiscentiae opponitur consuetudo et facilitas: haec autem extrinseca est supernaturalibus habitibus ac magis perficit hominem quam habitus ipsos.

25. — Positive ergo agnoscunt theologi augmentum aliquod virtutum *intensivum*. Ex S. Thoma (2. 2, qu. 24, a. 5), cum caritas (quod et valet de reliquis virtutibus infusis) sit accidens, « ejus esse est inesse », et cum « magnitudo rei consequatur esse ipsius », hinc idem est, caritatem augeri, ac eam magis inesse subjecto, seu « magis *radicari* » et inhaerere in subjecto. Ibidem docet S. Thomas virtutem, nominatim caritatem, « augeri secundum *essentiam* », et hoc explicant aliqui per *additionem* aliquam, non quidem novae *formae*, quasi fuissent duae caritates in anima; sed per additionem novi *gradûs*, ita ut habeatur non tantum novum inesse seu major radicatio in anima, sed etiam novum *esse*, novus gradus; ac sic (ut ait Pesch, n. 69), « et virtutis subjectum magis informatur virtute, et virtus magis radicatur in subjecto ».

CAPUT QUARTUM

De Amissione et Diminutione Virtutum Infusarum

26. — I. Perit caritas cum gratia sanctificante. Ratio est, quia in praesenti ordine, habere caritatem et esse justum, unum et idem est: ex Concilio enim Tridentino (sess. 6, cap. 7: Denz. 682), « caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret » (cf. can. 11); atqui nemo justus est citra gratiam sanctificantem seu justitiam, quae ex eodem Concilio (l. c., n 681), justificationis impii « unica formalis causa est »; ergo citra gratiam sanctificantem, nemo habet caritatem.

27. — II. Virtutes morales infusae, cum ex analogia jam indicata, eadem ratione se habent erga gratiam qua facultates erga naturam, dicendae sunt (nisi contrarium constet) perire cum gratia, quod et docent communiter theologi cum S. Thoma (1. 2, qu. 65, a. 2).

28. — III. Fidem non semper amitti cum gratia et caritate, docet Concilium Tridentinum (sess. 6, can. 28: Denz. 720), « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti: aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum, a. s. ».

Si per fidem intelligitur assensus in doctrinam revelatam vel dispositio acquisita credendi dogmata, certe fides quolibet peccato mortali v. g. odii non amittitur aut retractatur. Sed non hoc solum, quod per se tam obvium est, videtur intendere Concilium, sed cum ageret de justificatione inhaerente et habitibus infusis, asseruit juxta doctrinam communem veteriorum theologorum (Petri Lombardi, S. Thomae, Scoti), ipsum supernaturalem habitum fidei, licet connaturaliter, sicut ceteri habitus infusi, a gratia sanctificante pendeat, ex speciali dispositione seu lege divina posse remanere in peccatore aeque ac in justo; idque citato canone definitum esse de fide, censent theologi plures cum Suarez (de Gratia, l. 11, c. n. 5), ac certe negari nequit sine temeritate.

Huc spectant et alia Concilii verba (ejusd. sess, cap. 15: Denz, 691), ubi dicitur: « Non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti ». Omnino tautologice diceretur, assensum aut dispositionem fidei tolli aut amitti per peccatum infidelitatis, ac melius in hoc capite 15 et in canone 28 intelligitur habitus fidei, qui proinde remanere potest post amissam gratiam sanctificantem, et perditur tantum per negationem culpabilem doctrinae revelatae.

Testimonia illa Scripturistica (Matth. 7. 21; 1 Cor. 13. 12) quae ad probandum, fidem solam non sufficere ad salutem, alibi citantur (de Gratia, nn. 271, sqq.), probant quoque existere posse verum habitum fidei citra gratiam sanctificantem.

29. — IV. *Spem* quod attinet: cum ex Hebr. 11. 1, fides sit « Sperandarum substantia rerum », non tantum per desperationem aut praesumptionem, sed etiam per infidelitatem perit spes. Alio autem quocumque peccato non amitti hanc virtutem, sed tanquam dispositionem remotam ad gratiam per attritionem recuperandam, remanere una cum fide in peccatore, docet communis sententia theologorum post S. Thomam (1. 2, qu. 65, a. 4); de qua tamen re non exstat ecclesiae definitio aut clarum Scripturae testimonium.

Concludere licet ex dictis, peccato quovis mortali amitti caritatem et cum ipsa reliquas virtutes infusas, exceptis fide et spe, quae solis peccatis mortalibus contrariis destruuntur.

30. — **Obs.** Haec dicta sunt de praesenti vita. Si de altera inquiritur, haec docet communior sententia. — 1. In Beatis remanet saltem caritas (1 Cor. 13. 8), et juxta plures (qui nempe earum existentiam admittunt) virtutes quoque morales infusae, saltem quoad habitus (cf. de Deo Consummatore, n. 56). — In animabus Purgatorii, cum adhuc peregrinantur a Domino, praeterea remanere censentur fides et spes (2 Cor. 5. 6 : cf. S. Thomas, 2. 2, qu. 18, a. 3). — 3. In damnatis nullus remanet habitus supernaturalis : et licet dæmones dicantur (Jac. 2. 19) *credere*, hoc non intelligitur de assensu fidei, sed de scientia evidente et necessaria quam ex « perspicacitate naturalis intellectûs », ut ait S. Thomas (2. 2, qu. 5, a. 2), habent de rebus divinis.

31. — V. Virtutes infusas *diminui* per peccata venialia, videntur admittere cum Dionysio Carthusiano pauci aliqui antiquiores. Negant tamen reliqui omnes cum S. Thoma (2. 2, qu. 24, a. 10) : ac ratio est, quia aliter fieri posse videretur, quod gradatim homo justus amittere posset totam suam justitiam citra peccatum aliquod mortale, contra declarationem prorsus generalem Concilii Tridentini, ex quo (sess. 6, cap. 11 : Denz. 686) sancti et justi, licet in levia quotidiana seu venialia peccata quandoque cadant, « non propterea desinunt esse justi ». — « Unde consequens est », ut dixerat S. Thomas (l. c.), « quod caritas nullo modo diminui possit, directe loquendo : potest tamen indirecte dici diminutio caritatis *dispositio* ad corruptionem ipsius ; quae fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum caritatis ». Quare monent nos Scriptura et Patres, ne peccata venialia negligamus aut despiciamus.

APPENDIX DE DONIS SPIRITUS SANCTI

32. — I. Dona Spiritus sancti solent septem numerari, juxta verba Isaiae prophetae (11. 1, sqq.), « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini : spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini ». Hic locus directe quidem respicit Messiam, sed ex constanti ecclesiae interpretatione dona illa sunt in Messia tanquam in capite ut ab ipso in membra descendant. Ita ex Patribus docet v. g. S. Cyrillus Alex. (in Is. l. c. ; l. 2, tom. 1 :

M. 70. 314), « Factus est homo unigenitum Dei Verbum... Spiritusque sanctus in hominis natura insedit, velut in ipso primo et quasi in secundis primitiis generis, ut et in nobis deinceps conquiesceret ac maneret, et in credentium mentibus cum voluptate habitaret ». Ac S. Thomas (1. 2, qu. 68, a. 1), « Ex quibus [Isaiae] verbis manifeste datur intelligi, quod ista septem enumerantur ibi, secundum quod sunt in nobis ab inspiratione divina ». Similiter et liturgia in hymnis Spiritus sancti, « da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium », « Tu septiformis munere ».

33. — II. Horum donorum naturam quod attinet: voluerunt nonnulli, hominem per haec dona perfici tantum in ordine ad extraordinarias quasdam actiones: unde sequeretur, haec dona 1. haud dari omnibus justis; nec 2. esse habitus, quippe qui otiosi et superflui forent, sed, ut tenuit Vasquez cum quibusdam aliis, actuales tantum motiones.

Contra, docet sententia communis: 1. haec dona varias materias praecepti et consilii respicere, eo quod homo, si diu in gratia perseveret, debet ex inspiratione Spiritus sancti actus ponere in ordine ad sanctificationem suam, unde juxta S. Thomam (1. 2, qu. 68, a. 2) haec dona necessaria sunt ad salutem. — 2. Ex sententia communi post eundem Doctorem Angelicum (l. c., a. 1) donum Spiritus sancti definitur « habitus divinitus infusus, quo disponitur homo ut fiat prompte mobilis a divina inspiratione ». Alibi (1. 2, qu. 69, a. 1) dicit idem, « in eam [beatitudinem] inducit Spiritus sanctus, ad cujus obedientiam et sequelam per dona perficimur ».

34. — III. Cum ergo ex hac sententia, dona Spiritus sancti, aeque ac virtutes infusae, sint habitus *operativi* divinitus infusi, ab ipsis adaequate non distinguuntur, differuntque tantum ratione moventis, eo nempe quod per virtutes homo fiat aptus ad seipsum movendum secundum rationem humanam lumine fidei illuminatam: dum per dona Spiritus sancti fit mobilis altiori et speciali motu Spiritus sancti. Cf. S. Thomas, qu. 68, a. 1, corp. (« Et ideo »).

Sic, exempli gratia, habitus infusus *fortitudinis* reddit hominem aptum ad superandas difficultates in via salutis. Hoc autem habitu, quatenus est *virtus*, homo sese determinat ex motivo honestatis, quam ex lumine rationis fide illustratae percipit esse in obstaculis fortiter superandis: *dono* autem permanenti fortitudinis altiori modo movetur speciali Spiritus sancti impulsu, ad obstacula quaelibet salutis perfecte vicenda.

Liquet ex dictis, requiri ad actus qui ex donis, non minus quam ad eos qui ex gratia sanctificante et virtutibus infusis procedunt, auxilia gratiae actualis.

QUAESTIO SECUNDA

DE FIDE THEOLOGICA

35. — Nomen *fides* varie accipitur: pro fidelitate nempe in officio ministrando (cf. Matth. 25. 21, « Euge serve bone et fidelis ») aut in promissione servanda (cf. Rom. 3. 3); pro ipsa promissione (cf. 1 Tim. 5. 12); pro conscientia (cf. Rom. 14. 23).

Communius vero hoc nomine intelligitur actus quo ob testis auctoritatem assensum mentis praebemus, seu credimus (cf. Hebr. 11. 3): et si testis ille est Deus, fides est divina seu theologica. Haec fides theologica, de qua nunc inquirimus, solet definiri, « Virtus theologica divinitus infusa, qua firmiter assentimur iis quae a Deo revelata sunt, propter auctoritatem ipsius Dei revelantis ». Ad expositionem doctrinae catholicae hac definitione contentae, agendum est capitibus distinctis, 1. de *objecto materiali* fidei, seu de materia circa quam versatur fides; 2. de *objecto formali*, seu motivo ipsius; 3. de *subjecto*, seu de actibus ad fidem spectantibus; demum 4. de *proprietatibus* fidei.

CAPUT PRIMUM

De Objecto Materiali Fidei

36. — In objecto materiali distinguunt theologi objectum *quod* creditur et objectum *de quo* aliquid creditur. Ita v. g. si agitur de doctrina incarnationis, tota propositio, « Christus est Deus », est *objectum quod:* propositionis vero subjectum « Christus » est *objectum de quo*, cum de ipso asseratur et credatur quod sit Deus, ideoque nonnunquam objectum *de quo* vocatur etiam *subjectum.* Unde duplex articulus.

ART. 1. — DE OBJECTO « DE QUO » FIDEI

37. — **Praenotanda.** — I. Objectum *de quo* adhuc distinguitur in *directum* quod attingitur *in recto*, uti « Christus » in propositione « Christus est Deus »; ac *indirectum*, ad quod, licet in *obliquo*

tantum attingatur, omnia alia objecta referuntur. Hoc alterum proinde vocatur *objectum attributionis* (1) quod praecipue et ratione sui pertinet ad fidem, reliqua autem tantum quatenus ad hoc praecipuum objectum referuntur.

38. — II. Jamvero 1. liquet objectum *de quo directum* fidei esse multiplex: sunt enim plurima, de quibus aliquid praedicatur fideque divina ob Dei auctoritatem creditur: ita v. g. credimus B. Virginem conceptam fuisse sine labe originali; S. Petrum constitutum esse caput ecclesiae; infernum esse perpetuum. — 2. Objectum vero *attributionis* aliqui antiquiores dicebant esse vel actus salutares et meritorios, vel ipsum Christum: quae certe sunt objecta saltem *inadaequata* revelationis et fidei.

39. — III. Communior vero sententia cum S. Thoma (2. 2, qu. 1, a. 1) docet objectum *adaequatum* attributionis esse Deum ipsum; quod perinde est ac dicere, omnes propositiones fidei, licet directe et immediate respiciant res creatas (puta plures utriusque Testamenti historias), attamen ordinari omnes ad praedicandum ultimatim Deum ipsum vel aliquod attributum divinum, uti providentiam in rebus humanis regendis. Unde

40. — Propositio. Objectum attributionis fidei est Deus.

Prob. I. Illud est objectum attributionis, quod fides praecipue respicit ut finem, et ad quod reliqua omnia refert; atqui illud objectum esse Deum ipsum docet Scriptura, tum 1. universim ubi asserit Deum esse omnium finem (uti 1 Cor. 3. 22, 23, « Omnia enim vestra sunt..... sive praesentia, sive futura..... vos autem Christi: Christus autem Dei »; Ibid. 15. 24, 28, « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri..... ut sit Deus omnia in omnibus »); tum 2. specifice Scriptura exhibet fidem ut medium pertingendi ad Deum (ita Jo. 14. 1, 6, « Creditis in Deum, et in me credite..... nemo venit ad Patrem, nisi per me »; Hebr. 11. 6, « Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit »); ergo.

41. — **II.** Ex Patribus hoc declarat S. Augustinus (de civ. Dei, l. 4, c. 20), « Cujus [fidei] primum et maximum officium est, ut in verum credatur Deum ». Ac postea (Ib., l. 11, c. 2), « In qua [fide] ut fidentius ambularet mens ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei Filius homine assumpto, non Deo consumpto, eandem constituit atque fundavit fidem, ut ad hominis Deum iter esset

(1) Nonnunquam vocatur objectum attributionis alio nomine « objectum *formale quod* »: sed parum juvat appellationes omnes referre: imo, ut dicit Lugo (d. 3, n. 1), « in hac quaestione multa miscentur de nomine ».

homini per Deum. Hic est enim mediator Dei et hominum, homo Christus Deus ».

42. — **III.** Ratione theologica. — 1. Revelatio cui praestatur fides, est opus Dei ad extra; atqui omnia quae operatur Deus ad extra, praecipue ordinantur ad gloriam Dei extrinsecam, nempe ut ipsum homines cognoscant et glorificent; ergo. — 2. Per fidem habetur in hac vita, modo tamen obscuriori, cognitio illa, quam visio beatifica clare et perfecte impertit beatis (1 Cor. 13. 12), seu, ut ait S. Bernardus (de consid., l. 5, c. 3, n. 6), fides est « certa praelibatio necdum propalatae veritatis »; atqui objectum praecipuum visionis beatae, ad quod cetera referuntur est ipse Deus (cf. de Deo Consumm., nn. 54, sqq.); ergo est objectum formale attributionis fidei. — 3. Dicit S. Thomas loco citato (2. 2, qu. 1, a. 1), « Nihil cadit sub fide nisi in ordine ad Deum, sicut etiam objectum medicinae est sanitas, quia nihil medicina considerat nisi in ordine ad sanitatem. Ea quae pertinent ad humanitatem Christi et ad sacramenta ecclesiae vel ad quascumque creaturas, cadunt sub fide, in quantum per haec ordinamur ad Deum, et iis etiam assentimus propter divinam veritatem ».

Art. 2. — de objecto materiali « quod » fidei

43. — Supposito, objectum fidei materiale esse universim veritatem divinitus revelatam (non vero misericordiam specialem Dei erga particularem hominem, remittentis ei peccata, ut volebant Novatores), liquet plane, omne saltem id quod explicite revelatum est, seu quod disertis verbis in deposito fidei continetur et clare ac signanter inibi exprimitur, esse objectum fidei in se, seu *credibile*. Ut fiat vero objectum fidei quoad nos, seu *credendum*, requiritur, ut sufficienter manifestetur (1).

Inquiritur nunc, utrum veritates istae quae non statim apparent sed eruuntur tantum mediante alia propositione ex veritatibus explicite revelatis in quibus continentur (v. g. conclusio fluens ex duabus propositionibus, quarum una explicite revelata

(1) De hujus *objecti* extensione et *incremento* nonnulla dicta sunt in tractatu de Religione revelata (p. 1, qu. 4, c. 4), ac praecipue haec: 1. non differre substantialiter revelationem veteris et novi Testamenti; 2. post novi Testamenti revelationem quae in morte ultimi Apostoli completa est, nullam dandam esse novam revelationem publicam, seu conclusum esse « depositum fidei »; attamen 3. depositi hujus articulos, non quidem secundum substantiam, sed secundum explicitam praedicationem crevisse. — Huc spectant propositiones quaedam in Modernistis a Pio X damnatae, die 3 Julii 1907, in decreto « Lamentabili »: (21), « Revelatio, objectum fidei catholicae constituens, non fuit cum Apostolis completa »; (59), « Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum ».

est), aliis verbis quae *implicite* tantum *revelatae* sunt, sint quoad se objectum fidei.

44. — I. Res porro aut veritas potest esse *implicite revelata*, idest contenta in veritate explicite revelata, vel *formaliter* vel tantum *virtualiter*.

1. Id dicitur *formaliter implicite revelatum*, quod etsi non signanter expressum et statim evidens, identificatur tamen non tantum in se, sed et relate ad nostram cognitionem cum re revelata, ab ea differt sola ratione ratiocinante, et ab ipsa eruitur sola explicatione terminorum.

Ita formaliter implicite revelantur *a*) definitio in re definita, quae revelatur: Sic, revelato Christum esse hominem, revelatum est ipsum esse animal rationale. — *b*) In toto quod revelatur, revelantur quoque partes essentiales: sic, revelato Christum esse hominem, revelatur ipsum habere corpus et animam. — *c*) In revelatione propositionis universalis, revelantur, seu revelari possunt pro scopo revelantis, propositiones particulares in ipsa contentae: ita in propositione generali, « Omnes Adami posteri peccato originali affecti sunt », revelatur, Petrum ipso affectum esse. — Item *d*) in duabus praemissis explicite revelatis formaliter revelatur conclusio: e. g., « Omnia novi Testamenti sacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem; sed Eucharistia est novi Testamenti sacramentum; ergo confert gratiam non ponentibus obicem ».

45. — 2. Alia continentur *virtualiter* tantum in iis quae explicite revelantur, et ab ipsis differunt plus quam sola explicatione seu applicatione terminorum.

Ex his *a*) alia, licet non realiter distincta, attamen differunt ratione ratiocinata, quatenus diversas formalitates seu perfectiones exprimunt; ita in revelatione existentiae Dei virtualiter tantum non formaliter revelatur trinitas personarum. — *b*) Alia, licet necessario connexa, realiter tamen distinguuntur a revelatis: ita quando revelantur existentia et essentia, virtualiter revelantur proprietates physicae, ac in revelatione causae virtualiter revelatur effectus illius inseparabilis.

46. — II. Iamvero inquirere utrum veritates quae comprehenduntur in aliis veritatibus revelatis constituant objectum materiale fidei quoad se, re idem est ac inquirere an sint dicta Dei: omne enim a Deo revelatum in se credibile est. Inquiritur videlicet (ut loquitur Lahousse, p. 82), « An Deus alloquendo homines velit manifestare ea quae implicite, formaliter aut virtualiter, continentur in explicite revelatis ». Sequentia videntur tenenda:

1. Objectum fidei, seu dicta a Deo, communiter concedunt theologi esse veritates implicite *formaliter* revelatas: haec enim objecta secundum rem sunt plane eadem cum iis quae formaliter explicite dicta sunt, differuntque tantum in modo declarandi: ac juxta normam consuetam loquendi ille qui dicit Petrum esse hominem, eo ipso dicit eum esse animal rationale.

47. — 2. De *virtualiter* tantum implicite revelatis majus est dubium. Ac ratio est, quod Deus, licet propter infinite perfectam scientiam cognoscat ea quae identificantur seu connectuntur cum objecto quod ipse distincte revelat, non ideo tamen putandus est ea revelare voluisse. Nam etsi scientia divina sit necessaria, revelatio tamen, utpote opus ad extra, est libera. Potuisset videlicet Deus nihil omnino revelare; ac quando sub uno formali conceptu per signa aut verba specialia objectum aliquod revelat aut manifestat, aliam omnino diversum conceptum non legitime supponitur revelare.

a) Docent nominatim theologi, veritatem quae objective tantum seu ex parte rei continetur in alia veritate explicite revelata nec potest ab ea deduci naturali ratione (v. g. trinitas personarum in existentia Dei), non esse revelatam aut credibilem, cum ad ejus cognitionem alia nova revelatio requiratur.

b) Quaestio deinde movetur de casu quo comprehensio virtualis unius veritatis in alia quae explicite revelata est, sit *logica*, quando nempe veritas nova citra novam revelationem cognosci potest per deductionem aut ex eventibus historicis. Aliis verbis (juxta distinctionem Franzelin, de Tradit., thes. 26), quaestio est de veritatibus quae continentur in explicite revelatis, non objective tantum et quoad se, sed etiam logice et *quoad nos:* utrum nempe hae propositiones, etiam antequam ab ecclesia proponantur ut revelatae, sint objectum fidei in se seu credibiles.

α) Quando objectum ita logice comprehensum in alio est quoque realiter idem cum objecto in qua comprehenditur, theologi communiter cum Suarez et Lugo dicunt objectum ita comprehensum esse ipsum revelatum et objectum fidei: nihil enim aliud est quam declaratio divinae locutionis; imo potius videretur in tali casu haberi revelatio impliciter formalis.

β) Quotiescumque autem veritas logice deducitur ab alia explicite revelata et connexa, a qua tamen realiter distinguitur potestque saltem per absolutam Dei potentiam separari (uti v. g. risibilitas Christi), veritas ita deducta, juxta communem sententiam, non est objectum fidei: credi enim nequit haec veritas ob solam Dei auctoritatem, cum (ut dicit Lugo, d. 1, n. 262), « non possit resolvi assensus risibilitatis [Christi] adaequate et ultimo in solum

testimonium Dei, sed in illud alterum principium, quod omnis homo sit risibilis ».

48. — **Scholion de Conclusionibus Theologicis.** — Ex jam dictis, inter objecta fidei et res revelatas numeranda est conclusio quae ex majore propositione explicite revelata derivatur: 1. quando minor propositio est in ipsa revelata (« Omnis apostolus recepit Spiritum sanctum; Petrus est apostolus; Petrus recepit Spiritum sanctum »); item 2. quando minor est metaphysice certa (« Christus est homo; omnis homo habet animam; Christus habet animam »); ac 3. quando minor est physice certa (« Omnes homines peccaverunt in Adamo; atqui Petrus est homo; ergo Petrus peccavit in Adamo »). Imo in syllogismo secundo et tertio non habetur proprie loquendo illatio, quia minor est tantum applicatio seu explicatio propositionis universalis.

At si 4. minor est tantum moraliter certa, certitudine nempe latiori quae non excludat omnem formidinem oppositi, conclusio debiliorem partem sequitur, neque est objectum fidei aut revelata (« Omnis hostia rite consecrata est corpus Christi; atqui haec hostia est rite consecrata; ergo haec hostia est corpus Christi »).

Ex alia parte 5. si minor certa est certitudine morali quae excludit omnem omnino formidinem oppositi, conclusio secundum plures theologos (Lugo, Suarez, Ripalda) est objectum fidei et revelata (« Omnis Pontifex romanus legitimus est successor S. Petri; Pius X est Pontifex romanus legitimus; ergo Pius X est successor S. Petri »). In hoc autem postremo syllogismo non admittunt omnes veram haberi illationem, quia minor (quae de cetero ex consensu ecclesiae universalis est infallibiliter certa, et de fide ecclesiastica tenenda) videtur esse tantum applicatio immediata et explicita ad casum particularem propositionis universalis. Conclusio proinde juxta aliquos dici potest implicite revelata, non mere virtualiter sed et formaliter, ac consequenter credenda est unice propter auctoritatem Dei revelantis, non autem tanquam conclusio theologica propter argumentationem.

CAPUT SECUNDUM

De Objecto Formali Fidei

49. — Duplex hic distingui debet quaestio: 1. quodnam sit motivum proximum et immediatum propter quod doctrinae alicui revelatae, v. g. incarnationis, assensus fidei praebeatur; deinde,

supposito, motivum hoc proximum esse auctoritatem Dei revelantis, inquiritur 2. quodnam sit motivum ultimum propter quod intellectus auctoritati isti et locutioni Dei assentiat; seu quaenam, ut dicit Lugo (d. 1, s. 6, n. 77) sint «prima principia in quae ultimo resolvitur fidei assensus », aliis verbis, quaenam sit « analysis fidei », ut vocatur. Hinc duo articuli.

Art. 1. — De motivo proximo assensus fidei

50. — Praenotanda. — I. Contra semi-rationalistas et pseudocatholicos aliquos (v. g. Hermesianos), negantes veram revelationem supernaturalem, ac docentes fidem non esse nisi scientiam rationalem eorum quae ad Deum et religionem pertinent, profitetur Concilium Vaticanum (sess. 3, cap. 3: Denz. 1638), fidem « virtutem esse supernaturalem, quae Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ». Qui ergo propositioni alicui quoad se et objective revera revelatae assensum praeberet, non propter testimonium divinum sed v. g. propter illationem logicam, ille fidei actum non eliceret. Unde in praxi curandum est, ut rudes dum instruuntur nedum assentiant doctrinis traditis ut simpliciter veris, sed credant eas propter auctoritatem Dei revelantis: sufficit tamen hujus motivi notitia habitualis et confusa.

51. — II. Doctrinae Concilii Vaticani docentis motivum fidei esse auctoritatem Dei revelantis, contradicunt theologi aliqui antiquiores. — Videlicet 1. Gulielmus Parisiensis (de fide, p. 4, 6) confundens ea quae fidem praecedunt et ad eam impellunt cum ipso motivo interno actûs fidei dicebat, divinam auctoritatem propter quam credimus non esse Dei *veracitatem* (sic enim non videremur per fidem exhibere Deo obsequium magis speciale quam quod homini cuilibet veraci exhibemus), sed esse potius supremum Dei *dominium* cui obsequium praestamus ex virtute obedientiae. — Item 2. ex Ripalda (de fide, d. 2, sectt. 11, 12), licet de facto fides praestatur ob Dei veracitatem in cognoscendo et loquendo, absolute tamen sufficeret tanquam fidei motivum ipsa suprema veracitas *in essendo*, seu divina essentia seorsum ab attributis. Atvero, etsi ex divina perfectione *concludi* possit repugnantia erroris aut deceptionis in Deo, attamen quod proxime nos movet ad fidem est ipsa veracitas Dei loquentis. Jam veram doctrinam declaraverat S. Thomas (2. 2, qu. 1, a. 1), « In fide si consideremus formalem

rationem objecti, nihil est aliud quam veritas prima : non enim fides de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum; unde ipsi veritati divinae fides innititur, tanquam medio ».

52. — III. Supposito jam motivum fidei esse auctoritatem Dei *revelantis*, adhuc controvertitur inter theologos (disputatione tamen philosophica magis quam theologica, ac quae sit potius de nomine aut statu quaestionis quam de re), utrum externa revelatio requiratur uti mera *conditio*, ut scilicet divina veracitas tanquam objectum formale intellectum ad assensum movere possit, an vero tanquam *motivum partiale* actûs fidei. Hoc posterius tenent contra Scotistas sed cum aliqua explicationis diversitate, plures Thomistae ac theologi Societatis Jesu. Ex horum videlicet sententia revelatio, non quidem gratia sui, sed quatenus informatur moraliter Dei veracitate, per modum objecti cogniti movet ad assensum fidei, et sic (ut ait Pesch, n. 230), « motivum fidei adaequatum non est prima veritas simpliciter, sed prima veritas *testificans* seu *revelans* ». Hanc sententiam suadere videntur Scripturae, quae saepe ad Dei testimonium seu revelationem provocant, uti motivum fidei ac obsequii intellectualis Deo praestiti. Ita plures textus infra citandi, uti 1 Jo. 5. 9, sqq., « Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est..... quoniam testificatus est de Filio suo ». Cf. Jo. 3. 33; 1 Thess. 2. 13. — His positis statuenda est doctrina catholica.

53. — **Propositio. Objectum formale quo, seu motivum internum fidei divinae est auctoritas Dei revelantis.**

Prob. I. Ex Scriptura. Fidem Thessalonicensium laudans S. Paulus dicit (1 Thess. 2. 13), « Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei ». Ita et Jo. 3. 33, 34, S. Joannes (vel Baptista vel ipse Evangelista), « Qui accepit ejus [Christi] testimonium, signavit quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verbum Dei loquitur ». Ac 1 Jo. 5. 9, sqq., « Si testimonium hominum accipimus..... » (ut supra).

54. — **II.** Patres quod attinet : ex S. Cypriano (de mortalitate, c. 6), fides divina ea est, qua « quis credit esse vera quae promittit Deus qui verax est, cujus sermo credentibus aeternus et firmus est ». S. Basilius dicit (libell. ascet. de fide, n. 1), « Est igitur fides assensus haud haesitans super iis quae audita sunt, veritatem eorum quae Dei munere praedicta sunt, persuasissimam habens ». Ita et S. Ambrosius (in Luc., l. 4, n. 71), « Si Deo non credimus, cui credimus? Omnia enim quae credimus, vel visu credimus, vel auditu : visus saepe fallitur, auditus in fide est. An asserentis per-

sona discutitur? Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere: Deus asserit, probat Filius, refugiens sol fatetur, tremens terra testatur ». Summatim dicit S. Augustinus (de spit. et litt., c. 32, n. 55), « eam fidem ab Apostolo commendari, qua creditur Deo ». Ac S. Leo (serm. 27, c. 1), « Ab illuminatae fidei oculis mundanae sapientiae fumus abscedat: divina est enim auctoritas cui credimus, divina est doctrina quam sequimur ».

55. — **III.** Ex natura fidei. — In omni fide vel humana vel divina, objectum formale seu motivum est auctoritas testantis: neque enim tunc, sicut fit in scientia, ob intrinsecam propositionis veritatis evidentiam praebetur intellectus consensus, sed ob scientiam et veracitatem illius qui propositionem tanquam veram manifestat: aliis verbis, ob jus quod ille habet, ut ipsi a nobis credatur; atqui medium per quod Deus veritatem aliquam manifestat est revelatio; ergo fidei divinae motivum internum seu formale specificans est auctoritas Dei revelantis. — Hocque confirmat experientia: Vir enim catholicus debite instructus, si interrogatur, « Cur credis tres esse personas in Deo? », statim respondet, saltem ex habituali et confusa persuasione, « quia sic docet Deus: quia Deus hoc dixit ».

56. — **Scholion de qualitate revelationis quae ad fidem requiritur.** — 1. Ad fidem sufficere revelationem naturalem seu late dictam, quae consistit in manifestatione Dei per creaturas, docebant semi-rationalistae cum Günther. Doctrinam istam jam damnaverat Innocentius XI (prop. 23, « Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit »: Denz. 1040). Eundem errorem nuper a modernistis resuscitatum rejecit Pius X, damnando in decreto « Lamentabili » has propositiones: (20), « Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia »; (22), « Dogmata quae ecclesia perhibet tanquam revelata, non sunt veritates e coelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit ». — 2. Ex alia parte plures protestantes cum quakeris et aliis exigebant pro fide revelationem immediatam privatam, seu inspirationem, qua Scripturae sensus singulis declaretur. — 3. Ex doctrina vero catholica, ad fidem *divinam* quatenus a fide *catholica* distinguitur, revelatio privata et immediata non est necessaria, licet, contra aliquos catholicos, sufficiens videretur (1). Ergo pro fide sufficit mediata illa revelatio,

(1) Ac revera *a*) motivum fidei ex revelatione privata est auctoritas Dei revelantis; item *b*) in Scriptura laudatur fides Sarae ex revelatione ejusmodi; demum *c*) Concilium Tridentinum (sess. 6, cap. 12, et can. 16: Denz. 688, 708) supponit quem habere posse de propria justificatione et perseverantia ex revelatione privata absolutam et infallibilem certitudinem fidei.

quae olim Apostolis facta, vocatur depositum fidei, ac ad nos per praedicationem apostolicam et ministerium ecclesiasticum pervenit. Refutatio autem errorum de hac re habetur in iis quae dicta sunt in tract. de Religione Revelata de proxima regula fidei, ac in tract. de Ecclesia, de magisterio doctrinali ac obligatione illud audiendi.

57. — Corollarium 1. de motivis credibilitatis. — Credibilitatis motiva seu argumenta quae Dei veracitatem et factum revelationis probant, plus videntur esse quam merae conditiones praeviae ad fidem: positive enim influunt motiva ista in actum fidei, illiusque causae sunt in quantum juxta doctrinam S. Thomae (2. 2, qu. 6, a. 1) ad imperandum assensum tanquam quid honestum exterius inducunt voluntatem, assensum suadent redduntque rationabilem et prudentem.

Ex propositione vero jam tradita, motiva ista non sunt objectum formale seu motivum intellectualis assensus fidei. Ostendunt quidem, hominem posse prudenter, vel debere credere, faciuntque fidem possibilem, eam vero non efficiunt in actu secundo; ac qui videt se prudenter posse et debere credere, nondum credit. Praeterea, diversa sunt credibilitatis motiva quae homines diversimode afficiunt: nec aequalem persuasionis gradum gignunt in omnibus. « Videntium enim unum et idem miraculum », ait S. Thomas (l. c.), « et audientium eandem praedicationem, quidam credunt, et quidam non credunt ». Motivum vero formale fidei, quod eam specificat eique confert summam et infallibilem certitudinem et firmitatem, unum, est, nempe juxta dicta, auctoritas Dei revelantis.

58. — Corollarium 2. de magisterio ecclesiastico. — In praesenti oeconomia, ex Dei ordinatione, non autem secundum communiorem sententiam ex necessitate rei, propositio ecclesiae est proxima regula fidei divinae, seu norma exhibens verbum Dei et doctrinam olim revelatam. Nullatenus vero est propositio ecclesiae motivum fidei divinae etiam partiale.

Etenim 1. ipsa ecclesiastica documenta supra indicata semper assignant tanquam motivum fidei auctoritatem Dei revelantis, nunquam vero auctoritatem ecclesiae. Ipsum etiam infallibilitatis donum non ideo datur ecclesiae, ut novas edat revelationes aut ut proprio loquatur nomine, sed ut ex divina assistentia depositum doctrinae divinae olim traditum sine errore fideliter custodiat, defendat, ac nomine Dei doceat, vel ad summum clarius explicet.

Hoc confirmatur 2. ex eo quod antiqui patriarchae et prophetae quorum fides laudatur in Scriptura, ac praesertim Abraham qui vocatur (Rom. 9. 11, sqq., et alibi) « pater credentium », cujusque proinde

fides specifice eadem fuit ac nostra, sicut filii eandem specificam naturam habent ac parentes, habebant omnes veram eam fidem ex qua justus vivit, sed aliunde quam ex propositione ecclesiae, uti v. g. per missiones et apparitiones angelorum, per visiones, etc.

59. — Quando proinde ecclesia definiendo proponit nobis tenendas propositiones quae non formaliter continentur vel explicite vel implicite in revelatione divina seu in deposito fidei ut « verbum Dei », sed tamen requiruntur ad defensionem doctrinae revelatae aut ex ipsa per illationem logicam deducuntur; tali ecclesiae locutioni debetur quidem assensus qui sit firmus, supernaturalis, absolute infallibilis; iste vero assensus non est fides simpliciter divina, sed fides tantum *ecclesiastica* quae aliquando *mediate divina* vocatur, eo quod pendet ex doctrina divinitus revelata de infallibilitate ecclesiae. — Doctrina hujus corollarii alio modo effertur dicendo: Ad constituendum objectum fide divina credibile, non sufficere revelationem *virtualem*, sed requiri revelationem *formalem*.

ART. 2. — DE MOTIVO ULTIMO, SEU DE ANALYSI FIDEI

60. — Ex dictis, motivum proximum assensûs fidei est auctoritas Dei revelantis. Si vero elementa duo ad quae ultimo resolvitur hoc motivum, videlicet veracitas auctoritasque Dei ac factum revelationis, dicantur cognosci ex argumentis tantum naturalibus, consequi videretur, auctoritatem humanam non divinam, esse motivum ultimum et fundamentum fidei, cujus proinde assensus non foret firmissimus et certus prae quovis alio. Cujus difficultatis plures traduntur explicationes.

§ 1. *Expenditur sententia Suarez*

61. — I. Celebres aliqui theologi, dum admittunt auctoritatem divinam et factum revelationis antea, seu « extra lineam fidei », ut loquuntur, cognosci naturaliter, putant tamen in ipso actu fidei haec duo immediate cognosci in seipsis, ita ut actus idem fidei affirmando et assentiendo amplectatur nedum objectum materiale fidei (v. g. doctrinam incarnationis) sed etiam objectum fidei formale, seu auctoritatem Dei et factum revelationis. Aliis verbis, ex hac sententia objectum formale fidei est divina auctoritas revelans, ut credita propter auctoritatem Dei revelantis: ac ratio finalis, cur Deus credatur verax, haec est, quia ipse dicit se veracem.

62. — II. Sic praecipue Suarez (de Fide, d. 3, s. 6), ubi inter alia haec habet (n. 6), « Assensus fidei est altioris ordinis, et magis certum quam assensus naturalis et evidens; ergo fieri non potest ut assensus fidei ex parte sui objecti formalis fundetur in assensu

tantum naturali et evidenti..... Ratio formalis objecti fidei, non per evidentiam [naturalem], sed per fidem cognoscitur, quia cognoscitur eodem actu quo res ipsa credita cognoscitur ». Ac postea (n. 8), « Ex intrinseca natura talis fidei et talis objecti nascitur ut idem testimonium, quod sufficit ad credendum rem revelatam, sufficiat ad credendum ipsum revelantem esse veritatem, quae fallere non potest..... Ipsum formale objectum non in aliud resolvitur, sed per seipsum creditur, quia potest de seipso testificari, et ita in se ipso reflectitur, et tali modo de se testificatur, ut faciat evidenter credibilia, non solum alia quae dicit, sed etiam quae de seipso testificatur ». Haec fuit etiam sententia Valentii, Antoine, Sylvii, Billuart; et ex recentioribus eam tenet Tepe.

63. — III. Sed haec sententia, dicendo objectum formale fidei *immediate* cognosci in se ipso, docet 1. quod videtur falsum tum *a*) quoad Dei veracitatem, tum *b*) quoad factum revelationis. Etenim *a*) tenendum est, in hac vita nihil divini posse immediate cognosci, ut exponitur in tract. de Deo Uno; ac *b*) nonnisi ex argumentis et testimoniis alienis sciri potest factum historicum jam diu elapsum divinae revelationis: quod factum de cetero, juxta doctrinam Concilii Vaticani (de fide, cann. 3, 4: Denz. 1659, 1660), Christianis ipsis primitivis persuasum est et confirmatum nonnisi per miracula aliasque notas.

Item 2. ipsis terminis videtur *repugnare*, veracitatem et auctoritatem testis admitti unice quia ipse dicit se veracem: testimonium enim ejus, *uti testantis*, pondus non habet nisi jam aliunde sciamus ipsum esse veracem et fide dignum. Etenim, ut ait Tertullianus (adv. Marc., l. 5, c. 1), « Nemo sibi et professor et testis est ».

Neque 3. *necessaria* est haec explicatio ad omnimodam summamque firmitatem et certitudinem assensus fidei salvandam: assensum enim ejusmodi statim exigit et gignit, quandocumque et quomodocumque proponitur et percipitur, motivum illud prorsus singulare auctoritatis Dei revelantis: ac minime refert, qua cognitione, an supernaturali an naturali, auctoritas Dei et factum revelationis cognoscantur: motivum enim formale non est scientia nostra, sed auctoritas Dei revelantis.

§ 2. *Expenditur sententia Cardinalis de Lugo*

64. — I. Explicatio Suarezii quam ipse auctor vocat « magnum fidei mysterium », juxta de Lugo (d. 1, n. 38) potius reddit « res nostrae fidei difficiles, incredibiles, imperceptibiles omnibus »; et ipse Cardinalis, quem sequuntur ex recentioribus Franzelin et Hur-

ter, docet (nn. 76, sqq.) assensum fidei *discursum* continere, ac propositionem quae per actum fidei asseritur, *inferri* explicite aut implicite ex praemissis, quae in se ipsis et non per argumenta naturalia evidentes sunt.

65. — II. Hujusmodi porro foret discursus circa dogma incarnationis : « Revelatio divina fallere non potest ; atqui Deus revelavit Verbum aeternum factum esse hominem ; ergo Verbum aeternum est homo ». Majorem praemissam, praesertim in forma hypothetica (« Si Deus loquitur, vere loquitur », « Si Deus existit, summe verax est ») putat Lugo (n. 100) nulla indigere probatione, sed evidentem esse ex terminis. Fatetur quidem (nn. 116, 122) difficilius esse explicare quomodo secundae praemissae (de revelationis facto) praebeatur assensus immediatus. Affirmat vero (n. 124) credentem, obscure quidem, sed tamen sine ullo discursu, ex mera terminorum comprehensione, ob connexionem inter ecclesiam docentem (miraculis, martyrum suppliciis, assensu doctorum, etc. confirmatam) ac Dei testificationem, agnoscere citra erroris apprehensionem, tanquam ipsam Dei doctrinam, ea omnia quae praedicat ecclesia per parentes, ludimagistros, libros, concionatores, etc. (quos dicit n. 125, « aliquo modo os Dei »).

66. — III. Contra hanc vero explicationem dicendum est :

1. Divina veracitas vel aliud Dei attributum nequit (uti Lugonis sententia aeque ac sententia Suarez videtur supponere) immediate cognosci in hac vita : item divina locutio seu revelatio, plura ante jam saecula facta, non potest a nobis immediate nunc percipi.

2. Supposito etiam, divinam veracitatem et factum revelationis immediate posse a nobis cognosci, nondum tamen haberetur fides, sed solummodo motivum formale fidei, quod possibilem sane vel etiam obligatorium redderet assensum istum firmissimum ac certissimum : nondum autem adesset ipse fidei assensus.

§ 3. *Verior proponitur explicatio*

67. — I. Haec explicatio quae tribuitur Coninck (vid. de Lugo, d. 1, n. 32) et quam ex recentioribus tenent Cardinalis Mazzella (edit. 3), Pesch, Billot, fere continetur in iis quae dicta sunt articulo superiori (n. 57), et sic procedit.

Argumenta, quibus probatur Dei veracitas et revelationis factum, non sunt mensura firmitatis fidei : neque est fides fructus ratiocinii seu conclusio syllogismi. Imo ex duabus praemissis, « Quod revelat Deus, absolute verum est ; atqui Deus revelavit Verbum divinum factum esse hominem », sequitur tantum judicium practi-

cum : « ergo absolute verum est, ac proinde firmissimo assensu propter Dei auctoritatem tenendum, divinum Verbum factum esse hominem ». — Haec ergo argumenta, ut jam dictum est (n. 57), vocari possunt causa assensus fidei eatenus tantum quatenus juxta doctrinam S. Thomae (2. 2, qu. 6, a. 1) *exterius inducunt* ad assensum, ipsumque suadent faciuntque rationabilem et prudentem : non sunt autem internum motivum fidei. Fidem quidem reddunt possibilem vel etiam obligatoriam, non efficiunt ut quis actu credat ; neque habetur actus fidei, donec ex imperio voluntatis, gratia auxiliante, intellectus assensum istum eliciat, dicendo, « Credo firmiter Verbi incarnationem, quia Deus ipsam revelavit », eo fere modo quo subditus mandato regis sibi patefacto obtemperat, non propter personam legati, sed unice propter regis auctoritatem.

68. — II. Hinc, ut distinctius videbitur infra (nn. 75, sqq.), processus hujusmodi habetur ad actum fidei :

1. Preambula fidei seu motiva credibilitatis externe inducunt et impellunt ad fidem ; 2. voluntas gratiâ adjuta libere imperat assensum illum fidei ; 3. intellectus praebet assensum prae quovis alio firmissimum, unice et totaliter propter Dei revelantis auctoritatem et veracitatem, quae auctoritas est solum motivum internum et formale fidei.

Causa ergo fidei externe *inducens* sunt motiva credibilitatis ; causa externa *imperans* est voluntas gratiâ adjuta ; causa interna *eliciens* est intellectus ; motivum internum *specificans* est auctoritas Dei revelantis.

69. — III. Ad ista elementa omnino videtur S. Thomas resolvere fidei assensum, dicendo (2. 2, qu. 5, a. 2), « Intellectus credentis assentit rei creditae, non quia ipsam videat..... sed quia convincitur per auctoritatem divinam assentire his quae non videt, et propter imperium voluntatis moventis intellectum, et obedientis Deo ». Cf. 2. 2, qu. 2, a. 1, ad 1, et ad 3 ; necnon qu. 4, ad 2. — Ad rem quoque theologi Concilii Vaticani (coll. Lacensis, t. 7, col. 534), « Quamvis assensus fidei locum habere non posset nisi adessent motiva credibilitatis, voluntas tamen imperat assensum, et intellectus formaliter assentitur non secundum mensuram cognitionis motivorum credibilitatis,..... sed secundum mensuram auctoritatis Dei revelantis, quae est motivum formale fidei ». Vim autem motivorum credibilitatis (quae scilicet probant Dei veracitatem et factum revelationis) non esse mensuram firmitatis assensûs fidei quem voluntas imperat, jam certum erat ex damnatione propositionis sequentis (19) ab Innocentio XI (Denz. 1036), « Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium ».

70. — IV. Neque demum ex hac explicatione sequeretur, assensum fidei *caecum* esse (ut objicit Lahousse, n. 150): nam licet motiva credibilitatis influxum « intra lineam fidei » non exerceant, quippe quae pro unico motivo habet auctoritatem Dei revelantis, veritatem tamen hujus motivi satis apprehendit intellectus. Etenim, ut dicit S. Thomas (de Verit., qu. 14, a. 1, ad 2: edit. Lethielleux, quaest. disp., t. 3, p. 211), « Assensus fidei vel consensus non causatur ex inquisitione rationis; tamen non excluditur per hoc quin in intellectu credentis remaneat aliqua cogitatio vel collatio de his quae credit ». Iterum (ibid., ad 6), « Ratio illa [quod fides primae veritati propter seipsam assentit] probat vel concludit, quod *cognitio* non est causa assensûs fidei; non autem quin *assensum fidei concomitetur* ». — Ex imperio autem voluntatis elici actum fidei, infra (nn. 83, sqq.) ostendetur.

CAPUT TERTIUM

De Subjecto Fidei

71. — Circa subjectum fidei inquiri potest de *actibus* tum intellectus tum voluntatis qui praerequiruntur ad actum fidei, ac deinde de *facultate* qua actus ipse elicitur. Hinc triplex est articulus, 1. de actibus praeviis intellectus, 2. de actibus praeviis voluntatis, 3. de facultate fidem eliciente.

ART. 1. — DE ACTIBUS PRAEVIIS INTELLECTUS

72. — **Praenotanda.** — I. Ex jam dictis, fides ut docet Concilium Vaticanum (const. de Fide, cap. 3: Denz. 1638), est assensus quem ope gratiae libere praestamus, « propter auctoritatem ipsius Dei *revelantis*, qui nec *falli nec fallere* potest »: ac proinde ante fidem necesse est, ut sciamus, 1. Deum revera locutum esse, seu revelationem dedisse, 2. ipsum infallibilem esse in cognoscendo, ac 3. veracem in dicendo seu attestando. Ita S. Thomas (2. 2, qu. 2, a. 1, ad 1), « Fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id, quod creditur; habet tamen inquisitionem quandam eorum per quae inducitur homo ad credendum: puta quia sunt dicta a Deo, et miraculis confirmata ».

73. — II. Infinita Dei scientia et veracitas (quae duo magis proprie « praeambula fidei » dicuntur), per certa argumenta probari possunt ex ratione, et ab omnibus qui Dei existentiam agnoscunt, admitti debent. Negarunt autem protestantes plures et traditiona-

listae, certam cognitionem facti *revelationis* ante fidem necessariam esse vel etiam possibilem : et hodie ex principiis kantianis neoterici plurimi docent fidem christianam et catholicam nulli fundamento objectivo inniti. Requiri vero et dari revelationis notas seu motiva credibilitatis, tradunt multa documenta ecclesiastica.

74. — Ita ab Innocentio XI damnata est haec propositio (Denz. 1038), « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus ». Item Bautain et sequacibus subscribenda proposita fuit haec thesis (3), « Revelationis christianae probatio ex miraculis Christi desumpta, quae testium ocularium sensus mentesque percellebat, vim suam atque fulgorem quoad subsequentes generationes non amisit. Haec eadem probatio in traditione omnium Christianorum orali et scripta reperire est ». (Denz. 1490). Postea doctrinam catholicam asseruit Concilium Vaticanum (sess. 3, c. 3 : Denz. 1639), « Ut... fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias » ; et (de fide, can. 3 : Denz. 1659), « S. q. d., revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, a. s. ». Recentius (3 Julii 1907) damnata est a Pio X in decreto « Lamentabili » propositio haec (25), « Assensus fidei ultimo nititur in congerie probabilitatum ». — Hinc

75. — Propositio. Ante fidem requiritur notitia certa facti revelationis.

Prob. I. Christus et Apostoli passim provocant ad miracula patrata et vaticinia adimpleta, ad ostendendum Christum divinitus esse missum ipsique credendum esse (ita Jo. 10. 37, « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi » ; Ib. 15. 24, « Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent » ; Marc. 16. 20, « Profecti [Apostoli] praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis ») ; atqui miracula ista et prophetiae, cum sint signa supernaturalia, non possunt dici inutiliter posita : imo sunt ita necessaria, ut si posita non essent, Judaei excusabiles fuissent ; ergo docet Scriptura ante fidem requiri ut revelationis factum probetur.

76. — **II.** Qui actum fidei elicit doctrinam propositam affirmat, eique assentitur tanta firmitate, ut propositum habeat illum assensum nunquam deinceps ob quodcumque motivum retractandi ; atqui ille qui divinae revelationis factum certo non agnosceret, sed de ipso

prudenter dubitaret, assensum et propositum ejusmodi tuto et licite concipere non posset; dicitque Tertullianus (adv. Marcion., l. 5, c. 1), « temere credi, quodcumque sine originis agnitione creditur »; ergo ante fidem requiritur cognitio certa revelationis facti. — Hocque practice confirmatur ex Apologistis antiquis, qui ideo scripta ediderunt ut ostenderent extraneis credibilem esse religionem christianam: seu, ut dicit S. Athanasius (orat. contra gentes, n. 1), « ut ne quis vel doctrinam qua informamur parvi pendeat, vel fidem qua in Christum credimus, nulla ratione innixam esse suspicetur ».

77. — Obs. Revelationem christianam per notas suas esse *in se* credibilem et divinam, probatur in tract. de Religione Revelata. Item certo constare posse singulis fidelibus vel rudioribus, divinitus revelatas esse doctrinas quae a magisterio ecclesiae per organa fallibilia (parochos, parentes, ludimagistros) credendae proponuntur, ita ut praeberi possit assensus rationabilis fidei, exponitur, ubi de Infallibilitate ecclesiae.

Art. 2. — De actibus praeviis voluntatis

78. — Praenotanda. — I. Ut relatio voluntatis ad actum fidei melius exponatur, juvat distinguere diversos intellectûs actus qui sunt attentio, apprehensio, assensus.

1. *Attentionem* seu exercitium intellectus, subesse imperio voluntatis, ac posse unumquemque intellectum suum huc illuc vertere, vel passivum pro libitu relinquere, experientia liquet. « Consideratio actualis rei scitae », ait S. Thomas (2. 2, qu. 2, a. 9, ad 2), « subjacet libero arbitrio: est enim in potestate hominis considerare vel non considerare ».

2. *Apprehensio* est actus quo intellectus objectum percipit, et dicitur *simplex* si objectum est una tantum notio, judicativa vero seu *comparativa* si percipitur identitas aut diversitas duarum idearum. Clare liquet, apprehensionem objecti seu veritatis non pendere ex voluntate.

3. *Assensus* tandem est actus quo intellectus affirmat objectum apprehensione comparativa perceptum ipsique adhaeret. Nonnunquam assensus iste necessarius est, quando scilicet percepta veritas ipso rationis lumine liquet. Persaepe vero aliter accidit: nam, ut ait S. Thomas (1. 2, qu. 17, a. 6), « sunt quaedam apprehensa, quae non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire vel dissentire, vel saltem assensum vel dissensum suspendere propter aliquam causam: et in talibus assensus ipse vel dissensus in potestate nostra est, et sub imperio cadit ».

79. — II. Jamvero assensum intellectualem fidei esse in nostra potestate adeoque liberum, tenent Catholici omnes. — Adest quidem diversitas aliqua explicationis seu locutionis apud auctores; sed ex communiori sententia haec dici possunt: 1. Gaudet homo libertate ad fidem non tantum quoad *exercitium*, idest ponendi vel omittendi actum (quae forsan satis esset ad meritum fidei), sed etiam, ut suadet experientia, quoad *specificationem*, idest vel assentiendi vel dissentiendi. — 2. Pendet actus fidei a voluntate *immediate*, et non mere remote aut mediate, quasi scilicet voluntatis quidem esset, intellectum applicare, uti in scientia, ad considerationem argumentorum et motivorum, sed deinde ex horum perspicientia intellectus assensus necessario determinaretur. — Neque 3. pendet assensus fidei a voluntate ut mere permittente aut non resistente sed, id quod exigit ipsa obscuritas fidei postea declaranda, positive *imperante*.

80. — Communem doctrinam saepius declarat S. Thomas. Ita (2. 2, qu. 2, a. 1 ad 3), « Intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem, sed per voluntatem, et ideo assensus hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod a voluntate determinatur ad unum ». Ibid. (a. 9, corp.), « Credere est actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam ». Ac (qu. 4, a. 1), « actus est intellectus determinati ad unum ex imperio voluntatis ». Et (ibid., a. 2), « Credere est actus intellectus, secundum quod movetur a voluntate ad assentiendum ». « Et inde est », ut dicit S. Doctor (de Veritate, qu. 14, a. 1, p. 211), « quod intellectus credentis dicitur esse captivatus [2 Cor. 10. 5], quia tenetur terminis alienis [seu « terminatur ex extrinseco », idest per voluntatem], et non propriis [seu per argumenta] ».

81. — Actum istum voluntatis imperantis *assensum* intellectus praecedit *judicium practicum* intellectus (quod vocatur aliquando « judicium credulitatis ») affirmans propter motiva credibilitatis et gratiae auxilio, honestum esse credere. Voluntas scilicet, ut ait S. Thomas (de Veritate, l. c., p. 210), « eligit assentire uni parti determinatae et praecise propter aliquid quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum vel conveniens huic parti assentire; et ista est dispositio credentis, ut cum aliquis credit dictis alicujus hominis, quia videtur decens vel utile: et sic etiam movemur ad credendum dictis, in quantum nobis repromittitur, si crediderimus, praemium aeternae vitae ».

82. — III. Necessitas ad fidem hujus motionis praeviae voluntatis, seu ut loquitur Concilium Arausicanum II (Denz. 148),

« pii credulitatis affectus », docetur a Concilio Tridentino (sess. 6, c. 6 : Denz. 680) : « Libere moventur in Deum credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt ». Cum vero saeculo elapso Hermes docuisset fidem intellectualem esse statum certitudinis, « in quam inducimur per necessarium assensum rationis », doctrinam catholicam iterum asseruit Concilium Vaticanum (sess. 3, cap. 3 : Denz. 1640), ex quo, actus fidei « est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando ». Item definivit (de Fide, can. 5 : Denz. 1661), « S. q. d., assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci..... a. s. ». — Hinc

83. — Propositio. Ad actum fidei praerequiritur imperium voluntatis; et assensus fidei est liber.

Prob. I. Ex Scriptura sacra. Liber et ex imperio voluntatis est actus ille, qui divino praecepto praescribitur, cujus positio vocatur obedientia, cui promittitur praemium, cujus demum omissio poenam meretur; atqui talis ex Scriptura est actus fidei; ergo.

Minor constat ex pluribus Scripturae locis. Ita Dominus noster, Marc. 16. 15, 16, « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur ». Ac S. Paulus, Rom. 10. 10, « Corde enim creditur ad justitiam »; 10. 16, « Non omnes obediunt Evangelio »; 2 Cor. 10. 5, « in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium [idest in obedientiam] Christi »; Gal. 3. 1, « Quis vos fascinavit non obedire veritati? » Item Jo. 11. 26, « Omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum »; Jo. 3. 18, « Qui autem non credit, jam judicatus est ».

84. — II. Ex Patribus citari potest S. Irenaeus (l. 4, c. 37, n. 5), « Et non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Dominus, dicens, [Matth. 9. 29], secundum fidem *tuam* fiat tibi, propriam fidem hominis ostendens ». Dicit S. Hilarius (in Ps. 118, ad litt. X, n. 12), « Fides habet obedientiae meritum, non habet autem cognitae veritatis fiduciam..... quia qui credit, potest ignorare quod credit ». Ac S. Joannes Chrys. (hom. 27 in Rom., n. 1), « Fides obedientiâ opus habet, non curiosa perquisitione : ac cum Deus praecipit, obedire, non curiosius inquirere oportet..... Universus orbis ita credit, non homines sed Deum habens doctorem ». Postea S. Bernardus (de consid., l. 5, c. 3, n. 6), « Fides est voluntaria quaedam et certa praelibatio necdum propalatae veritatis ».

S. Augustinus praesertim (de spir. et litt., c. 31, nn. 53, 54)

inquirit, « utrum fides in nostra potestate sit ». Inter alia dicit, « Vide nunc utrum quisque credat, si noluerit; aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est (quid est enim credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? consensio autem utique volentis est), profecto fides in potestate est ». Notus est alius S. Augustini locus (tr. 26 in Jo., n. 2), « Intrare quisquam [corpore scilicet] ecclesiam potest nolens, accipere sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens ».

85. — **III.** Ratione theologica suadetur etiam propositio. Etenim 1. Fides est virtus, est radix justificationis, est meritoria; atqui talis non potest esse nisi sit libera; ergo pendet ex voluntatis imperio. — 2. Eo quod tum *a*) ipsum christianae revelationis factum, tum *b*) singula dogmata praesertim mysteria, plures habent obscuritates quas contra christianae religionis veritatem urgere possunt malae voluntates, adest possibilitas nedum omittendi assensum (libertas exercitii) sed etiam dissentiendi (libertas contrarietatis), ac proinde ad amplectendam propositionem, quae hinc quidem bona et credibilis, illinc vero minime evidens videtur, necesse est ut intellectus ab extrinseco determinetur, aliis verbis, ut voluntas imperet intellectui propositioni illi firmiter adhaerere, et in hoc assensu voluntario consistit actus fidei.

86. — **Corollarium de distinctione fidei ac scientiae.** — Ex dictis obiter notari potest discrimen fidem inter et scientiam. Fide enim nulla nova veritas perspicitur ac nulla notitia acquiritur, sed solum propositioni non quidem evidenter verae at tamen credibiliter propositae libere assentitur. E contra, ut ait S. Thomas (2. 2, qu. 2, a. 9, ad 2), « assensus scientiae non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis ». — Utrum et quomodo, eadem propositio possit esse objectum tum liberi assensus fidei tum scientiae demonstrativae, commodius infra dicetur ubi de obscuritate fidei.

ART. 3. — DE FACULTATE QUA FIDES ELICITUR

87. — **Praenotanda.** — I. Novatores licet admitterent existentiam fidei alicujus intellectualis, negabant tamen, eam esse fidem cujus ope peccator justificetur per justitiae Christi apprehensionem; hominisque justificationem adscribebant soli fidei fiduciali, cujus nempe objectum sint promissiones speciales Dei de remissione peccatorum hominis hujus vel illius. Fidem, saltem quoad elementum essentiale, affectivam esse non intellectualem, hodie, aliquatenus ex principiis kantianis, cum protestantibus rationalistis (uti Ritschl et

Schleiermacher), docent Modernistae. Ex ipsis videlicet, homo, licet Dei cognitionem objectivam et demonstrativam nullatenus habere possit, attamen (vel ex necessitate alicujus auctoritatis moralis, ut voluit ipse Kant: vel juxta alios, ex aliquo sensu dependentiae, aut ex quadam aspiratione vaga) experitur et sentit practice *exigentiam* Dei, ipsique adhaeret actu fidei caecae (seu « energiae moralis », ut loquitur Kant), qui actus ab intellectu juxta ipsos non procedit, sed est « sentimentum » seu motus cordis et voluntatis, vel elicitur forsan ab instinctu quodam speciali seu facultate, quae ab intellectu et voluntate sit diversa.

88. — II. Catholici orthodoxi e contra, ut jam saepius significatum est, dum admittunt fiduciam seu spem divinae misericordiae necessariam esse ad justificationem, docent hanc ipsam spem fundari in assensu intellectuali in dogmata revelata; tenentque assensum istum esse fidem eam, quae declaratur a Concilio Tridentino (sess. 6, cap. 8: Denz. 683), « humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis ». Ex quo quidem Concilio (l. c., cap. 6: Denz. 680), « Disponuntur [homines] ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt ». Novatorum autem errorem damnavit S. Synodus (l. c., can. 12; Denz. 704), « S. q. d., fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, a. s. ». Et ex Vaticano (sess. 3, de Fide Cath., cap. 4: Denz. 1643), « Credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita ». Nuper quoque in decreto « Lamentabili » damnata est a Pio X haec Modernistarum propositio (26), « Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, idest tanquam norma praeceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi ».

89. — Propositio. Actus fidei salutaris elicitur ab intellectu.

Prob. I. Ex Hebr. 11. 1, « Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium ». Ex Apostolo, fides eaque salutaris, ex qua scilicet justus vivit (10. 38), sine qua impossibile est Deo placere, et per quam ad ipsum acceditur (11. 6), est 1. « substantia rerum sperandarum » (ἐλπιζομένων ὑπόστασις), idque vel *a*) quia fides facit haec bona futura veluti jam in mente existere ut praesentia, vel *b*) quia his bonis fides quasi substat, seu fundamentum praebet, estque securum spei motivum: item 2. fides vocatur ab Apostolo « argumentum non apparentium » (πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων), vel *a*) quia est ratio solida qua vera esse probantur quae adhuc futura sunt aut non inno-

tescunt naturaliter menti; vel *b*) quia est convictio interna quae in mente producitur de his ipsis rebus futuris et absconditis; atqui appellationes hujusmodi non conveniunt merae fiduciae voluntatis aut sentimento cordis, sed intellectum respiciunt; ergo fides est in intellectu. — Confirmatur ex eodem capite undecimo, ubi fidei salutaris objectum non peccatorum propriorum remissio declaratur esse, sed dogmata: ita v. 3, « Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei »; ac. v. 6, « Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit ».

90. — **II.** Ex Rom. 4. 19-22, « Et non infirmatus est [Abraham] fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae. In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Dei: plenissime sciens quia quaecumque promisit, potens est et facere. Ideo et reputatum est illi ad justitiam ». — Hic agi de fide justificante, liquet ex verbis posterioribus (« reputatum est illi ad justitiam »); atqui hanc fidem pertinere ad intellectum, suadent locutiones, « consideravit », « plenissime sciens »: ac certe haec fides non consistit in fiducia speciali de remissione peccatorum aut in caeca adhaesione cordis Deo; ergo fides salutaris non est fiducia aut motio cordis. Imo alibi Apostolus aperte distinguit fidem a fiducia seu spe (1 Cor. 13. 13, « Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; major autem horum est caritas »), ac significat fiduciam seu confidentiam esse effectum fidei ac proinde ab ipsa distinctam (Ephes. 3. 12, « In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus »). Cf. Coloss. 1. 4, 5; 2. 12; 1 Thess. 1. 3, 8.

91. — **III.** Actus ille de quo dicit Apostolus capite 10 ad Romanos, « Si..... in corde tuo *credideris*..... salvus eris » (v. 9), ac « corde *creditur* ad justitiam » (v. 10), est sane fides salutaris; atqui hunc actum pertinere ad intellectum ac pro objecto habere dogmata revelata et non remissionem peccatorum in particulari, liquet ex pluribus novi Testamenti locis, uti loc. cit. Rom. 10. 9, « Si..... in corde tuo credideris, *quia Deus illum suscitavit* a mortuis, salvus eris »; Jo. 11. 27, « Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi »; Jo. 14. 11, « Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? »; ergo. — Huc spectant alii textus, uti Jo. 5. 24, « Qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam », ac. Jo. 3. 18, « Qui credit in eum [Filium], non judicatur ».

92. — **IV.** Patres passim nostram declarant doctrinam. Ita S. Cyrillus Hieros. (catech. 5, de fide et symb., n. 4), « Ait enim Apostolus, Sine fide impossibile est placere. Quando enim apud se

statuet homo Deo servire, ni ullum credat remuneratorem fore? Quando virginitatis propositum arripiet puella, vel castus erit juvenis, nisi esse credat immarcescibilem coronam? Fides oculus est conscientiam omnem illuminans, et intelligentiam pariens..... Ignitum saepe foedae voluptatis desiderii telum a diabolo emittitur; sed fides nobis judicium depingens, et mentem refrigerans, telum exstinguit ». Ac postea (n. 6), « Dum annuntiatur Christus, quod in ligno quidem crucifixus sit, mortuus vero resurrexerit, nos id credimus. Igitur per similitudinem fidei in adoptionem devenimus Abrahae »: qui scilicet dicitur ab Apostolo (Rom. 4. 11) « pater omnium credentium ».

Saepius vero S. Augustinus, uti in libro de Praedest. sanctt. (c. 2, n. 5), « Credere, nihil aliud est, quam cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit; cum ideo cogitent plerique, ne credant; sed cogitat omnis qui credit, et credendo cogitat, et cogitando credit ». Item (enchirid., c. 8), « Est fides et praeteritarum rerum, et praesentium et futurarum. Credimus enim Christum mortuum, quod jam praeteriit; credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est; credimus venturum ad judicandum, quod futurum est. Item fides et suarum rerum est et alienarum... spes autem nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum rerum spem gerere perhibetur ». Ita et S. Leo M. (serm. 51, de Transfig., c. 1), « Christus condens eam fidem quae et impios ad justitiam et mortuos revocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinae monitis et operum miraculis imbuebat, ut idem Christus et Unigenitus Dei et hominis Filius crederetur ».

Traditio catholica etiam ostenditur ex praxi interrogandi catechumenos non de fiducia circa peccatorum remissionem, sed de symboli articulis. Ita S. Augustinus (serm. 215, nn. 1, 2), « Sacrosancti martyrii [idest fidei testificandae] symbolum... verba sunt in quibus matris ecclesiae fides supra fundamentum stabile, quod est Christus Dominus, solidata fundatur..... Fides ergo haec et salutis est regula, credere nos in Deum Patrem omnipotentem, universorum creatorem..... ».

CAPUT QUARTUM

De Proprietatibus Fidei

Agendum est quatuor articulis de supernaturalitate, de certitudine, de obscuritate, de necessitate fidei.

ART. 1. — DE SUPERNATURALITATE FIDEI

93. — **Praenotanda.** — I. In processu fidei, ex jam dictis, distingui possunt plures actus, nempe 1. judicium credibilitatis, seu de veracitate divina et facto revelationis, 2. judicium practicum (seu judicium credulitatis) statuens scilicet bonum et honestum esse credere, 3. pius credulitatis affectus seu actus voluntatis imperantis assensum fidei, 4. ipse assensus fidei. Circa duos posteriores actus praecipui versantur errores, Pelagianorum nempe et semipelagianorum. De actibus prioribus dicetur in scholio.

1. Supernaturalitatem ipsius assensus fidei negaverunt Pelagiani. Dum enim admitterent assensum istum esse supernaturalem objective (materiale enim objectum principale est ipse Deus absconditus, formale autem est auctoritas Dei revelantis), subjective tamen docebant naturalem esse : ad quem eliciendum sufficeret intellectus hominis, nec requireretur gratiae internae auxilium nisi tantum ad facilitatem, non absolute. Recentius quoque Hermes, dicendo fidei assensum nullatenus liberum esse, sed sequi necessario ex evidentia, negabat gratiam ad actum fidei requiri. — 2. Semipelagiani, etsi contra Pelagianos profiterentur ipsum actum fidei formalis ex gratia esse, initium tamen fidei et pium credulitatis affectum naturae viribus tribuebant.

94. — II. Doctrina catholica contra hos errores declarata est in Concilio Arausicano II, necnon in Conciliis Tridentino et Vaticano. — Arausicanum videlicet, can. 7 (Denz. n. 150) statuit, « Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu ».

Item, Tridentinum (sess. 6, c. 6 : Denz. 680), « Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum *excitati divina gratia et adjuti*, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt ». Ac (can. 3 : Denz. 695), « S. q. d., sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, a. s. ».

Vaticanum quoque (sess. 3, cap. 3 : Denz. 1638, 1640), « Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus..... Quare fides ipsa

in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens ». Ac (can. 5. de Fide: Denz. 1661), « S. q. d.... ad solam fidem vivam, quae per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse, a. s. ». — Huc quoque spectant propositiones aliquae in Quesnello damnatae, (27), « Fides est prima gratia et fons omnium aliarum »; (29), « Extra ecclesiam nulla conceditur gratia » (Denz. 1242, 1244). — Hinc

95. — Propositio. Supernaturalis est assensus fidei, necnon pius qui eam praecedit credulitatis affectus.

Prob. prima pars. — **I.** Ex Jo. 6. 44, « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum ». Hic agitur de accessu ad Christum per fidem (cf. v. 45, « Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me »); atqui hic accessus tribuitur operationi seu tractioni Patris; ergo fides ex gratia est, seu supernaturalis. — *Confirmatur* ex aliis hujus capitis versiculis: ita v. 29, « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille », ac vv. 65, 66, « Sunt quidam ex vobis qui non credunt..... Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo ».

96. — II. S. Paulus fidem saepe tribuit Dei beneficio et gratiae. Ita Eph. 2. 8, « Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est ». Et Philipp. 1. 29, « Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini ». Imo, ceteris praetermissis, commemorasse sufficiet, epistolam ad Romanos fere totam esse in asserenda gratuita vocatione tum gentilium tum Judaeorum ad fidem.

97. — III. Ex ratione theologica. Existit proportio inter media et finem; atqui fides est medium ad finem supernaturalem; ergo est supernaturalis non tantum quoad modum, sed etiam ex interna ejus relatione ad visionem beatificam, quoad substantiam. — Hocque valet nedum de fide *formata* justorum, sed etiam de fide informi (quam S. Jacobus, 2. 17, dicit mortuam), quae potest manere tum quoad actum tum quoad habitum in peccatoribus. Unde et Concilium Vaticanum (l. c.: Denz. 1640), « fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus cui resistere posset, consentiendo et cooperando ».

98. — Prob. secunda pars (de pio credulitatis affectu). — Assensus fidei salutaris et aliquatenus meritorius, quamvis ab intellectu elicitus, ex imperio tamen voluntatis seu pio credulitatis affectu pendet (supra, nn. 79, sqq.); atqui si hic voluntatis motus

non est supernaturalis, tunc ex viribus naturae habetur meritum aliquod : ac ipsum salutis initium et radix nititur actui naturali ; ergo pius credulitatis affectus est supernaturalis (1).

99. — Constat tota propositio ex Patribus, qui contra Pelagianos eorumque reliquias scripserunt. Ita saepissime S. Augustinus, uti (de spir. et litt., c. 34, n. 60), « Agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes..... sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem..... ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos ; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est ». Item (de praedest. sanct., c. 4, n. 8) « Hoc igitur Apostoli testimonium (« Quid autem habes quod non accepisti? » 1 Cor. 4. 7) non sinit quemquam fidelium dicere, Habeo fidem quam non accepi..... Sed ne hoc quidem potest dici : Quamvis non habeam perfectam fidem, habeo tamen ejus initium, quo in Christum primitus credidi. Quia et hic respondetur, Quid autem habes.....? ».

100. — Scholion de supernaturalitate judiciorum ad voluntatem credendi praeviorum. — Videri posset, utrumque judicium tum speculativum credibilitatis (nempe, Deum esse veracem et locutum esse), tum practicum credulitatis (nempe honestum et bonum esse credere), esse *naturale*. Sic enim argumentari quis posset : Judicium praevium est *necessarium* et ex evidentia, non vero liberum : si enim procederet ex actu voluntatis, ad hunc etiam actum requireretur aliud judicium praevium, et ita in indefinitum. Dato porro, judicium credibilitatis et credulitatis esse necessarium et ex evidentia, est quoque naturale : quia in hac vita, extra casum extraordinarium revelationis divinae immediatae, non datur evidentia supernaturalis. Dicendum ergo videretur, hoc judicium praevium esse in se naturale.

Ex alia vero parte, si ex hoc judicio ipsa supernaturalis credendi voluntas penderet, videretur judicium ipsum supernaturale esse : quia, ut ait Suarez (d. 6, sect. 8, n. 14), « Actus intellectus mere naturalis non potest per se sufficienter movere voluntatem ad actum supernaturalem ».

101. — Ut res aptetur duo videntur tenenda, post ipsum Suarez. *Primum* est, utrumque judicium secundum suam substantiam

(1) Observandum est, gratiam tum pii credulitatis affectus tum ipsius fidei assensus esse saltem *elevantem ;* sed, spectata difficultate intellectum in captivitatem fidei firmam et irrevocabilem reducendi, quae praeterea secum trahit obligationes alias morales, dicenda est haec gratia etiam *medicinalis.*

naturale esse, uti docent Gabriel, Occam, alii (quos citat Suarez l. c., n. 12). Admittendum quidem est, Deum de facto per providentiam specialem externam praedicatores, qui veritates revelatas efficaciter proponant, mittere, impedimentaque externa auferre, necnon illuminationes internas quibus veritates facilius capiantur concedere : ac sic, juxta verba S. Augustini (de vocat. gent., l. 1, c. 3), « miscetur operatio potentiae divinae cum sono vocis humanae, et qui incitavit evangelizantis officium, audientis quoque firmavit affectum ». Minime vero *necessaria* videtur absolute loquendo supernaturalis illuminatio ad ipsum judicium efformandum : multo minus requiritur, quod contra ipsam experientiam adstruunt Pallavicinius, Esparza, alii, quoddam « discerniculum experimentale fidei » supernaturaliter effectum in *cujusvis* credentis anima, quo ipse statim velut ex voce interna clare percipit Deum loqui, ac divinam revelationem proponi.

102. — *Alterum* quod videtur tenendum est : omnino requiri supernaturalem illuminationem Spiritus sancti et gratiae actualis auxilium saltem elevans, ad excitandum et obtinendum actum supernaturalem subsequentem voluntatis, ut oportet ad salutem. Hoc confirmat Suarez (n 13) ex Concilio Tridentino (sess. 6, cap. 6 : Denz. 680), « Disponuntur autem..... », etc. (ut supra, n. 94). Ex qua doctrina, ait Suarez, « ante liberam voluntatem duo requiruntur, scilicet auditus fidei ad quem pertinet tota exterior propositio sufficiens fidei, et interna excitatio, quam idem Concilium statim declarat in illuminatione Dei consistere ». Huc refert quoque Suarez plura S. Augustini loca, uti (de praedest. sanct., c. 19, n. 39), « Deo gratias agit Apostolus [Ephes. 1. 13-16] pro his qui crediderunt, non utique quoniam eis annuntiatum est Evangelium, sed quoniam crediderunt..... Deus igitur operatur in cordibus hominum [1 Thess. 2. 13]... ut non inaniter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur et credant ».

ART. 2. — DE OBSCURITATE FIDEI

103. — **Praenotanda.** — I. Obscurum dicitur in ordine sensibili id quod clare seu distincte non videtur : metaphorice vero et in ordine intellectuali id obscurum est quod non est evidens, ideoque obscuritas alio nomine dicitur *inevidentia*. Relate ad fidem, quae est assensus intellectualis propter testimonium alterius, obscuritas haec respicere potest vel objectum materiale, quae et dicitur « inevidentia rei attestatae » seu *intrinseca;* vel objectum formale (propter quod) et vocatur « inevidentia in attestante », seu *extrinseca*.

104. — II. Assensum fidei esse obscurum negaverunt olim Manichaei ac postea Abaelardus, recentius vero rationalistae vel semirationalistae, qui rejiciendo revelationem supernaturalem proprie dictam, nomine fidei aliquando intelligunt scientiam pure naturalem rerum ad Deum et religionem pertinentium. Contra hos fatentur Catholici omnes fidei assensum esse obscurum, hac saltem significatione, quod omnis assensus qui sit evidens ex perceptione mediata vel immediata veritatis intrinsecae propositionis, *quatenus est evidens* (seu formaliter) nequit esse fides. Ut dicit Suarez (d. 3, sect. 8, n. 20), « Assensus evidens, de quacumque re sit non potest esse actus fidei »; et ex S. Thoma (l. 3, d. 31, qu. 2. a. 1), scientia et fides non possunt esse apud eundem de eodem, secundum idem medium. Hanc saltem doctrinam declarant documenta ecclesiastica.

105. — III. Utrum vero propositio quae assensu evidenti hujusmodi retinetur, possit quoque *concomitanter* et ex motivo diverso, seu secundum aliud medium, objectum esse alterius assensûs, obscuri nempe ac fidei, disputatur inter Catholicos : nonnullis asserentibus, inevidentiam vel attestantis vel rei attestatae essentialiter requiri ad fidei assensum.

1. *Inevidentiam* videlicet *rei attestatae* exigunt Scotus, Cajetanus, Vasquez : ex quibus proinde, *a*) propositio quae est in se evidens vel naturaliter vel supernaturaliter, nequit esse objectum fidei, et *b*) ex alia parte, defectus hujus evidentiae intrinsecae obscuritatem importat, et semper relinquit locum libertati saltem contradictionis. Communis vero sententia cum S. Bonaventura, Suarez, Lugo, dum fatetur illas res simplicius dici *credi* quae nullatenus sint objectum scientiae, nempe mysteria, item principale objectum fidei seu Deum ipsum non posse clare videri in hac vita, tenent tamen actum fidei ferri posse in objectum materiale analogice saltem evidens ex rationibus intrinsecis.

2. Alii vero theologi tenent ad essentialem fidei obscuritatem requiri *inevidentiam in attestante*, adeo ut si cui evidenter constaret factum divinae revelationis, ipsi etiam evidens foret objectum materiale : hoc enim ille videret aliter esse non posse, ac consequenter necessario teneret tanquam certum, quin remaneret locus assensui libero fidei. Ex his auctoribus nonnulli, ut Lugo et Wirceburgenses, docent contra communem sententiam, neminem unquam de existentia revelationis scientiam evidentem habuisse, ita ut in casu omnium credentium etiam ipsorum Prophetarum et Apostolorum, haud obstantibus signis miraculosis, semper remaneat locus dubio saltem imprudenti et culpabili circa divinam locutionem et factum revelationis.

3. Communior tamen sententia, cum Cajetano, Vasquez, Ripalda, dum fatetur non amplius hodie evidentiam attestantis ut plurimum (idest, extra casum revelationis divinae particularis) haberi, ac factum divinae locutionis credibile tantum esse non immediate evidens: negant tamen talem evidentiam, si daretur concomitanter, prohibere, ne ex alio motivo assensus obscurus fidei eliceretur.

106. — IV. Compossibilitas porro assensûs obscuri fidei juxta communiorem sententiam cum evidentia in attestante et rei attestatae, praecipue explicatur ex principio, quod formale fidei objectum seu motivum assensus, non sit demonstratio ulla, sed solum testimonium et auctoritas Dei non visi revelantis. Etenim assensus datus propter auctoritatem extrinsecam etiam ipsius Dei est obscurus, « quia ille assensus », ut ait Suarez (d. 3, sect. 8, punct. 3, n. 15: cf. n 16), « non fundatur in principiis intrinsecis rei, neque in effectibus, qui ab ipsa re, quasi intrinsece deriventur, neque in aliqua naturali similitudine rei, sed in verbo significante valde extrinsece rem dictam, et ideo semper illa in se obscura manet ».

107. — Propositio. Assensus fidei divinae est obscurus; nec tamen ad ipsius obscuritatem requiritur inevidentia vel rei attestatae vel attestantis.

Prob. prima pars (assensus fidei divinae est obscurus). — **I.** Ex Scriptura, ac praecipue ex S. Paulo. Ita 1. Hebr. 11. 1, « Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium », nempe aeternorum illorum « quae non videntur » (2 Cor. 4. 18), ex quorum consideratione significat Apostolus solatium in rebus adversis derivari. — Etiam 2. ex 1 Cor. 2. 7, sqq., ubi de suae praedicationis objecto dicit Apostolus, « Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est... Quod oculus non vidit, nec auris audivit..... ». — 3. Alibi in eadem epistola (1 Cor. 13. 12) docet scientiam fidei hujus vitae comparate ad scientiam perfectam visionis coelestis esse scientiam « per speculum, in aenigmate, ex parte ». — 4. Demum ex 2 Cor. 5. 7, « Per fidem ambulamus, et non per speciem ». Atqui haec dicta ostendunt fidem de qua loquitur S. Paulus esse scientiam obscuram, mediatam, analogicam, non vero visionem immediatam. — Similiter S. Petrus (2 Epist. 1. 19) exhibet fidem quasi « lucernam lucentem in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur ».

108. — **II.** Ita et Patres, uti S. Gregorius M. (dial., l. 4, c. 6), « Hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri. Nam credi non jam potest, quod videri potest ». Etiam S. Hilarius (in Ps. 118, lit. 10, n. 12), « Fides habet obedientiae meritum, non habet autem cognitae veritatis fiduciam ». Ac S. Bernardus loco jam

citato (de consid., l. 5, c. 3), « Fides est voluntaria quaedam et certa praelibatio necdum propalatae veritatis ».

109. — **III.** Argumento theologico. Fides est assensus liber, obsequium intellectuale, voluntaria dubii depositio; atqui objectum principale (attributionis) fidei, ad quod alia objecta secundaria referuntur, nempe Deus ipse, quando clare videtur uti in se est, statim ita rapit intellectum ad assentiendum, ut impossibile sit firmissimam adhaesionem negare; ergo in praesenti ordine et conditione fides obscura est, et de rebus quae videri nequeunt. — Hoc argumentum saepe adhibet S. Thomas, uti (2. 2, qu. 1, a. 6), « Fides principaliter est de his, quae videnda speramus in patria..... quae directe nos ordinant ad vitam aeternam ». Cf. 1. 2, qu. 62, a. 2; 2. 2, qu. 4, a. 1; qu. 8, a. 2.

110. — **Obs.** Assensus quem ob auctoritatem Dei revelantis darent Beati rebus in divina essentia non visis, non foret fides: deesset enim obsequium, tum ex parte *intellectûs*, quia viderent Beati nullam esse formidinem de opposito, tum ex parte *voluntatis*, quia necessario ducuntur Beati omnibus credere quae proponit Deus.

111. — **Prob. secunda pars** (ad obscuritatem fidei non requiritur inevidentia rei attestatae: seu, assensus fidei ferri potest in objectum materiale aliunde evidens). — **I.** Generali ratione. Per actum fidei, ex supremo motivo Dei revelantis veritati propositae praebemus assensum qui sit prae omni alio firmissimus; atqui assensus novus hujusmodi ob motivum novum et speciale, in veritatem jam naturaliter cognitam ferri potest; ergo ad essentialem fidei obscuritatem minime requiritur inevidentia rei attestatae. — Ita exempli gratia veritatem revelatam posset quis primo tenere tanquam syllogismi *conclusionem* (« Quidquid Deus dicit verum est; atqui Deus revelavit se esse trinum; ergo »), nec sic haberet fidem: ac deinde potest idem eidem veritati formaliter ob auctoritatem Dei revelantis assentire; et sic eliceret actum fidei.

112. — **II.** Nominatim, veritatem Dei existentis, quae naturaliter cognosci potest, esse quoque objectum fidei, ostenditur 1. ex Hebr. 11. 6 (« Credere oportet accedentem ad Deum, quia est »), ubi S. Paulus, qui (in epistola ad Romanos, 1. 19, 20) cognitionem existentiae Dei dicit naturalem esse hominibus, docet istam existentiam credendam esse fide, eâque supernaturali, qualis sufficiat ad justificationem (ut constat ex contextu et ex interpretatione Concilii Tridentini, sess. 6, cap. 6: Denz. 680). — Item 2. ex symbolo (« Credo in unum Deum, factorem coeli et terrae »); in quo articulus existentiae Dei, auctoris ordinis naturalis, simpliciter et abso-

lute exhibetur ab ecclesia omnibus fidelibus ut objectum fidei, non aliter quam reliqui fidei articuli. — Nec valet gratuita distinctio inter doctos et indoctos, quasi hi tantum, propter eorum ignorantiam naturae, Dei existentiam *credere* potuissent. Etenim actus fidei in quamcumque veritatem revelatam, ac proinde in existentiam Dei (quae passim in revelatione docetur), impossibilis est cuivis homini etiam rudissimo citra cognitionem certam existentiae Dei: nam et infallibilis auctoritas Dei motivum est credendi.

113. — **Prob. tertia pars** (ad obscuritatem fidei non requiritur inevidentia testantis: seu, componi potest assensus fidei cum evidentia concomitanti objecti formalis). — Si evidentia objecti formalis non posset componi cum fide, sequeretur quoad plurima mysteria, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Beatam Virginem caruisse vel certitudine revelationis factae, vel fide horum mysteriorum; atqui 1. immediata revelatio divina importat, ex communi sententia, certitudinem plenam de divinae locutionis facto, quod de cetero per miracula persaepe comprobatum est: ac 2. prorsus repugnat B. Virginem et reliquos non habuisse fidem in mysteria quorum testes fuerunt, v. g. incarnationis, resurrectionis; ergo. — Hocque confirmatur ex Scriptura. Ita Act. 2. 36, « Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis ». Ac 1 Jo. 1. 1-3, « Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt, de verbo vitae: et vita manifestata est, et vidimus et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis ». Ac ex Jo. 20. 29, S. Thomas Apostolus Dominum resuscitatum et *vidit* et *credidit*.

114. — **Obs. de ratione speciali obscuritatis fidei.** — Contra eos auctores qui ad essentialem fidei obscuritatem requirunt inevidentiam objecti formalis ac ideo urgent, dubium saltem imprudens semper de revelationis facto manere: responderi potest, vel de ipsis conclusionibus scientificis haberi posse imprudens hujusmodi dubium, in quo consequenter consistere nequit specialis illa obscuritas quae sit fidei essentialis. Specialis ergo ista obscuritas fidei, ut jam indicatum est, oritur partim 1. ex eo quod cognitio fidei nititur non rationibus internis sed *testimonio externo*, partim 2. ex eo quod materiale objectum principale fidei sunt mysteria quae respiciunt *Deum non visum*.

Ad rem S. Thomas (2. 2, qu. 5, a. 1), « Illa sola manifestatio excludit fidei rationem, per quam redditur apparens vel visum id,

de quo principaliter est fides. Principale autem objectum fidei est veritas prima, cujus visio beatos facit et fidei succedit. Cum ergo angelus ante confirmationem et homo ante peccatum non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur, manifestum est, quod non habuit sic manifestam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei». Videlicet, in omni alia manifestatione veritatis primae quae extra visionem intuitivam habetur, semper liberum est homini abstrahere a motivis quae reddunt veritatem evidentem, ac dicere vel ex una parte: Non crederem nisi scirem; vel ex altera parte: Scio quidem, sed crederem, etiamsi non scirem.

Art. 3. — De certitudine fidei

115. — **Praenotanda.** — I. Dicitur certum id quod est immutabile et firmum. Certitudo autem est duplex, objectiva et subjectiva. Prior est immutabilitas ipsius rei quae non potest aliter se habere quam cognoscitur et creditur esse: sic certum est objective, Deum existere, bonum esse. Subjectiva autem certitudo de qua praecipue hic agitur, est adhaesio nostrae mentis alicui rei cognitae vel creditae, citra formidinem prudentem oppositi.

116. — II. Circa certitudinem actûs fidei, 1. erravit saec. XI Abaelardus, dicendo fidem esse tantum opinionem. — 2. Fertur quoque Durandus docuisse, assensum fidei non esse magis certum quam assensum naturalem. — 3. Recentius Hermes asseruit Catholicos debere, ad doctrinam ecclesiae scientifice demonstrandam, suspenso assensu, positive de singulis fidei articulis dubitare donec solutis dubiis omnibus argumenta necessaria inveniant. Contra, asseruit Concilium Vaticanum (can. 6, de fide: Denz. 1662), Catholicos nunquam justam causam habere posse fidem in dubium vocandi.

117. — 4. Hodie certitudinem fidei tum objectivam tum subjectivam negant sectatores principiorum kantianorum, ex quibus res nulla in seipso cognoscitur, sed tantum secundum subjectivam aliquam repraesentationem. Nominatim Deus in hoc systemate non cognoscitur objective; principiumque causalitatis quo ex creaturis ostenditur existentia Creatoris, mere subjectivum habetur a kantianis. Fatentur quidem isti, dari, sed loco tantum secundario, elementum intellectivum in fide: nam supposita emotione religiosa qua quis propter exigentiam practicam Deo adhaeret (supra, n. 87), ideas et theorias huic emotioni respondentes imaginatio et reflectio hominum efformant, et ita oriuntur successive mythi ac dogmata de rebus religiosis. Dogmata vero hujusmodi, cum optimae sint expressiones experientiae religiosae humani generis, fatentur

neo-kantiani et Modernistae ad praxim utilia et necessaria esse; negant tamen ipsa semper vel etiam ordinarie theoretice esse vera, seu objecta apta assensûs firmi intellectualis (1). Imo proclamant, ad horum dogmatum utilitatem, ne scilicet formulae steriles et mortuae deveniant, necesse esse ut pro progressu religioso humani generis mutationem et renovationem continuo subeant. Quo spectat propositio 26 a Pio X in decreto « Lamentabili » damnata, « Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, idest tanquam norma praceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi ».

118. — III. Doctrina vero Catholicorum communis docet assensum fidei esse omnino certum, imo firmum supra omnem alium assensum: sed distinctio aliqua facienda est. — Etenim 1. cum assensus fidei, ut jam probatum est, sit liber et obscurus, non excludit in subjecto dubitationem involuntariam (saltem antecedentem aut subsequentem), nec formidinem imprudentem de opposito. Et in hoc sensu, seu ratione *indubitabilitatis*, minorem habet certitudinem fides quam scientia naturalis, cujus objectum (v. g. totum majus est partibus; duo et duo faciunt quatuor) saepe necessitat assensum. Sed 2. ratione *infallibilitatis*, super omnia certus est actus fidei, eo quod motivum ejus formale est suprema auctoritas Dei revelantis. Ac 3. propter idem supremum motivum, ratione *adhaesionis* certissimus est assensus fidei appretiative. Ratione autem *intensitatis* potest 4. fides major esse in uno quam in alio; idest propter subjecti dispositionem aut gratiam abundantiorem, fidei actus possunt ferventius, frequentius, facilius elici ab uno quam ab alio.

« Igitur », ait Catechismus Concilii Tridentini (p. 1, c. 2, n. 2), « credendi vox hoc loco [in exordio symboli] putare, existimare, opinari non significat, sed, ut docent sacrae litterae, certissimae assensionis vim habet, qua mens Deo, sua mysteria aperienti, firme, constanterque assentitur. Quamobrem is credit (quod ad hujus loci explicationem attinet), cui aliquid sine ulla haesitatione certum et persuasum est ».

Ac S. Thomas (de Verit., qu. 10, a. 12: p. 129), « Ad sextum dicendum, quod illa quae sunt fidei, certissime cognoscuntur, secundum quod certitudo importat firmitatem adhaesionis: nulli enim credens firmius adhaeret quam his quae per fidem tenet. Non autem cognoscuntur certissime, secundum quod certitudo quietationem intellectûs in re cognita importat: quod enim credens assentiat his

(1) Ita Leroy (« Dogme et Critique », p. 25), « Un dogme a surtout un sens pratique. Il est avant tout une prescription d'ordre pratique. Il est plus que tout la formule d'une règle de conduite pratique ».

quae credit, non provenit ex hoc quod intellectus ejus sit terminatus ad credibilia virtute aliquorum principiorum; sed ex voluntate, quae inclinat intellectum ad hoc quod illis creditis assentiat. Et inde est quod in his quae sunt fidei, potest motus dubitationis insurgere in credente ».

119. — Propositio. Assensus fidei est certissimus et firmissimus super omnia.

Prob. I. Ex Scriptura. Fides vocatur, Hebr. 11. 1, « Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium »; atqui his verbis asseritur fidei assensus esse firmus et certus: etenim 1. vox « substantia » (ὑπόστασις) significat vel fundamentum spei vel perceptionem vividam rerum sperandarum, perinde ac si praesentes cernerentur: item 2. vox « argumentum » significat vel ipsam demonstrationem harum rerum, vel persuasionem aeque fortem ac eam quae ex argumento sequeretur. — Item, ex aliis Scripturae locis, testimonium Dei est majus testimonio hominum (1 Jo. 5. 9) ac Angelorum (Gal. 1. 8), imo propriorum sensuum (2 Petr. 1. 19), et fides anteponenda est philosophiae (1 Tim. 6. 20; Col. 2. 6, sqq.). Unde et Apostolus de Abraham dicit (Rom. 4. 19, sqq.), « Non infirmatus est fide..... non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens quia quaecumque promisit, potens est et facere ». Ac de propria ipsius Apostoli fide (2 Tim. 1. 12), « Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem ».

Neque huic doctrinae contradicunt locutiones de « modica » fide, de dubitatione in homine credente (Matth. 6. 30; 8. 26; 14. 31; 16. 8): ibi enim non significatur fides theologica, sed potius fiducia et confidentia ex timore indeliberato infirmata.

120. — II. Ex Patribus, S. Joannes Chrysost. (in Hebr., hom. 21, n. 2) dicit, « Fides igitur est visio eorum quae non sunt manifesta, et affert eorum quae non videntur eandem firmam persuasionem, quae convenit rebus visis..... Fides esse non potest, nisi quis eorum, quae non videntur, firmiorem persuasionem habet, quam eorum quae videntur ». Ac S. Basilius (serm. de fide, n. 1), « Fides est assensus haud haesitans super iis, quae audita sunt, veritatem eorum, quae Dei munere praedicata sunt, persuasissimam habens ». S. Ambrosius quoque (in Luc. l. 4, n. 71), « Si Deo non credimus, cui credimus?... Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere: Deus asserit, probat Filius ». Nominatim contra Abaelardum S. Bernardus (de erroribus Abaelardi, c. 4, n. 9), « Absit, ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia aestimatione pendulum; et non magis totum, quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum,

oraculis et miraculis divinitus persuasum..... Non est enim fides aestimatio sed certitudo ».

121. — **III.** Ratione theologica. Fides est assensus liber intellectus in veritatem divinitus revelatam propter auctoritatem Dei revelantis, et cum ex voluntate pendeat, talis debet esse qualem meretur Dei auctoritas; atqui nisi hic assensus sit appretiative summus, non defertur Deo obsequium quod meretur, sed cum magna injuria supremae ejus auctoritati praefertur aut aequiparatur aliquod aliud motivum seu auctoritas; ergo assensus fidei est firmus et certus super omnia.

122. — **Obs. de errore Hermes.** — Falso omnino principio nititur hic error cum universim, v. g. in mathesi aut historia, ad scientificam investigationem nequaquam requiratur, in dubium positive revocare ea quae in quovis ordine certa sint et admissa: alioquin enim nihil prodessent investigationes alienae praecedentes, et nullus foret scientiae progressus.

Fundamentum porro sufficiens demonstrationis rationalis in re religiosa habent Catholici, citra positivam dubitationem doctrinae catholicae, ex argumentis philosophicis vel historicis quibus probantur Dei auctoritas et factum revelationis. In rebus vero aliis, procedendum est secundum regulas cujusquam scientiae vel artis: ac fides seu religio ad summum adhibenda est tanquam norma extrinseca ad errores cavendos: eo videlicet quod vera nequeat esse sententia quae doctrinae alicui catholicae bene intellectae manifeste contradicat.

A dubitatione positiva quam asseruit Hermes prorsus differt, nec ullatenus prohibetur, dubitatio ut vocatur methodica, quae est mera hypothesis et abstractio hujusmodi: Si de hac vel illa re nihil cognoscerem ex revelatione, quomodo procederem ad ipsam investigandam?

123. — **Scholion de irrevocabilitate fidei.** — Ex Concilio Vaticano (de fide, c. 3: Denz. 1642), « illi qui fidem sub ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi ». Et ratio ex Concilio (ibid.) est, quia 1. ipsa ecclesia est motivum perpetuum credibilitatis, divinaeque suae missionis irrefragabile testimonium; ac deinde 2. huic testimonio accedit efficax gratiae subsidium. Nemo proinde causam *objective* justam habere unquam potest deserendi ecclesiae fidem, neque potest ab ipsa sine peccato et abusu gratiae discedere.

Inde tamen non stricte sequitur, ut advertunt plures theologi

post Tanner et Platelium, omnem a fide defectionem nedum culpabilem saltem in causa esse, sed etiam *haeresim formalem*. Fieri enim potest, theoretice saltem loquendo, ut quis propter diversa peccata, imo vel propter negligentiam circa ipsius fidei conservationem, a se removeat specialia gratiae auxilia, citra quae difficultates contra fidem occurrentes non sit efficaciter victurus, et ita demum eo adducatur, ut sibi persuadeat nullam esse obligationem in ecclesia remanendi, sed licite se ex ea discedere posse. — Vid. Collectio Lacensis Conciliorum, t. 7, col. 534, sqq.

Art. 4. — De necessitate fidei

124. — **Praenotanda.** — I. Definitione et partitione « necessarii » aliunde suppositis : apud Catholicos convenit, fidem infusam seu *habitualem* necessariam esse ad salutem etiam parvulorum, ac proinde ex necessitate medii. Hinc docet universim Concilium Tridentinum (sess. 6, c. 7 : Denz. 682), « In ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur : fidem, spem, et caritatem ». Et Concilium Vaticanum (sess. 3, c. 3 : Denz. 1642), « Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire ; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur ».

125. — II. Fidei *actualis* necessitatem pro adultis nonnulli ex antiquis et recentioribus (v. g. Gnostici, Pelagiani, Zuinglius, Deistae, rationalistae), eo sensu negaverunt, quod quosdam celebriores ex paganis (uti Aristotelem et Platonem) tanquam beatos venerabantur. Concilium vero Tridentinum expresse declarat (sess. 6, c. 7 : Denz. 681), necessariam esse fidem, « Sine qua nulli unquam contigit justificatio ». Et ex eodem Concilio (ibid., cap. 8 : Den. 683), « Fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis : sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire ».

126. — III. Discrimen vero aliquod notandum est. Videlicet 1. homini in infantia baptizato fides actualis non est necessaria, ut liquet, ad primam justificationem obtinendam, neque post usum rationis adeptum immediate requiritur ad justitiam conservandam : solo enim peccato mortali amittitur justificatio. Ex alia vero parte, nequit christianus citra fidem actualem diu perseverare in iis quae ad vitam christianam necessario pertinent, uti v. g. in operibus meritoriis ponendis sacramentisque recipiendis. — 2. Adultum vero

quod attinet: in ipsius justificatione omni, vel prima vel secunda, necessaria est fides actualis nedum necessitate praecepti ut fatentur omnes, sed etiam medii, ita ut citra ipsam adultus justificari et perseverare nequeat. Unde Concilium Tridentinum (sess. 6, cap. 10: Denz. 685), « Sic ergo justificati et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur.... cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur ».

127. — IV. Fides quam doctrina catholica necessariam declarat, ex loquendi modo Conciliorum et Patrum est fides simpliciter dicta, idest ex motivo auctoritatis Dei revelantis. Ripalda quidem (de ente supern., l. 1, d. 20), cum quibusdam theologis dubitative docuit, in casu gentilium quibus nunquam praedicatum fuerit Evangelium, sufficere forsan fidem latam quae scilicet, etsi fidem veram implicite includat in voto, naturalis tamen ipsa est, quatenus respicit Deum manifestatum per creaturas: ac subjective tantum seu elicitive supernaturalis eo sensu, quod ope gratiae elicitur, vel innititur locutioni internae Dei seu inspirationi. Hanc opinionem theologi communiter rejiciunt saltem ut temerariam, aliqui etiam ut haereticam; ac ab Innocentio XI damnata fuit propositio (23), « Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit » (Denz. 1040).

128. — Propositio. Fides actualis necessaria est adultis necessitate medii ad salutem.

Prob. I. Ex Hebr. 10. 38: 11. 1, sqq., « Justus autem meus ex fide vivit.... Est autem fides sperandarum substantia rerum..... Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei..... Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit ». — Hoc loco necessaria necessitate medii ad salutem expresse docetur fides: declaratur enim principium vitae spiritualis (« Justus meus ex fide vivit »), citra quod impossibile sit placere Deo, et per quod acceditur ad Deum; atqui fides de qua hic loquitur Apostolus est 1. fides supernaturalis, quae nempe (cap. 11. 1) est « sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium », ac 2. fides actualis, non habitualis: est enim illa qua « intelligimus aptata esse saecula verbo Dei » (11. 3), « Deum esse etc. » (v. 6). — Hocque confirmatur ex aliis novi Testamenti locis, uti Marc. 16. 15, sqq., « Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » Ac Galat. 2. 16, « Nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi ».

129. — **II.** Ex Patribus, dicit *S. Irenaeus* (l. 5, c. 10, n. 2),

« Quemadmodum oleaster, si non percipiat insertionem, perseverat inutilis suo domino..... sic et homo non assumens per fidem spiritus insertionem, perseverat hoc esse quod erat ante : caro et sanguis existens, regnum Dei haereditate possidere non potest ». Item *S. Ambrosius* (de Cain et Abel, l. 2, c. 4, n. 28) dicit, « Fidem esse radicem virtutum omnium. Unde et Apostolus ait (1 Cor. 3. 11), Quia fundamentum nostrum Christus est : et quidquid supra hoc fundamentum aedificaveris, hoc solum ad operis tui fructum, et ad virtutis proficere mercedem ». Ac *S. Augustinus* (serm. 143, c. 1), « Nec omnino quisquam mundari potest ab originali peccato..... sive a peccato quae ipsi..... addiderunt, nisi per fidem coadunentur et compaginentur corpori Christi ». Dicitque *S. Joannes Chrys.* (hom. 34 al 33, in Matth., n. 2), « Excepta fide, omnia trade, pecuniam, corpus, imo ipsam animam. Fides enim caput est et radix : illâque servatâ, etiamsi omnia amiseris, omnia postea abundantius recuperabis ». Plenius *S. Fulgentius* (de Fide ad Petrum, n. 1), « Fides est namque bonorum omnium fundamentum. Fides est humanae salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pertinere : quia sine ipsa nec in hoc saeculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit aeternam ; et si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est ».

130. — **III.** Argumento congruo. Conveniens est, ut homo se disponat ad finem ultimum modo rationabili et intelligenti ; atqui nonnisi per fidem actualem cognoscere potest homo in hac vita finem supernaturalem ; ergo requiritur fides actualis ad salutem. Praeterea, cum finis supernaturalis consistat saltem partialiter in perfecta cognitione Dei, congruum est, ut ad istum finem homo se disponat per cognitionem supernaturalem fidei. Cf. S. Thomas, de Verit., qu. 14, a. 2 (p. 214).

131. — **Scholion 1. de credendis necessitate medii.** — 1. Ex Hebr. 11. 6, necessaria est fides in Deum ut existentem et remuneratorem, idque omnino convenienter, *a*) ut, secundum rationem allatam, homo rationali modo tendat in finem suum, in Deum auctorem ordinis supernaturalis, *b*) quia in articulo existentiae Dei implicite creduntur essentialia ejus attributa, in articulo vero Dei remuneratoris supernaturalis includuntur doctrinae immortalitatis animae et necessitatis gratiae. Neque sufficere tantum fidem in articulum unius Dei, constat ex prop. 22 damnata ab Innocentio XI (Denz. 1039), « Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris ». Ac

revera in opere conversionis impii, ad habendam praeteritorum peccatorum detestationem ac futuram in bono perseverantiam, omnino requiri videtur, ut peccator Deum agnoscat nedum ut in se summum bonum, sed et ut supremum ipsius peccatoris bonum.

2. Ex communi sententia, universim sufficit (quod et verba Hebr. 11. 3, « Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei », significant) fides in Deum ut auctorem ordinis *naturalis:* nec admittenda est sententia Thomistarum dicentium, Deum nonnisi ut auctorem ordinis supernaturalis ab iis *credi* posse, qui jam ipsum ut auctorem ordinis naturalis lumine rationis agnoverint.

3. In praesenti oeconomia necessariam esse, necessitate medii ad salutem, fidem explicitam in Trinitatem et in Redemptionem, docuerunt Valentia, Sanchez, Maldonatus, ita ut per ipsos homo infidelis justificari nequeat citra horum mysteriorum cognitionem, habitam, v. g. per legationem extraordinariam hominis aut angeli. Item asseruerunt aliqui, Deum in praesenti ordine carentibus explicita fide in Christum, negare gratiam ad actum caritatis eliciendum. Necessarios dicunt alii articulos alios, v. g. Dei creantis, gratiae necessitatis. Sed contraria sententia communis est et tenenda, tum quia fidem tantum in Deum existentem et remunerantem exigit Apostolus, tum quia, dum in vetere Testamento salvari homines potuissent citra fidem explicitam in Trinitatem et Incarnationem, in nova dispensatione, spectata universali Dei voluntate salvifica, non est dicenda via salutis difficilior facta. Loca quaedam objecta S. Augustini (de pecc. orig., c. 24, n. 28; de nat. et grat., c. 2) veterem dispensationem plane respiciunt, ac proinde intelligenda sunt de fide implicita in Christum. Nec aliter S. Thomas (2. 2, qu. 2, a. 7, ad 3), « Si qui salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos ».

132. — Scholion 2. de praecepto fidei actualis. — 1. Existere praeceptum articulos aliquos credendi, sequitur ex ipsa necessitate medii jam exposita, et ex facto revelationis, ac distincte in Scriptura declaratur (v. g. Marc. 16. 16, « Qui non crediderit, condemnabitur »).

2. Hoc praeceptum quatenus *negativum* est, prohibet ne quis rejiciat ullam doctrinam revelatam, sufficienter propositam: motivum enim auctoritatis divinae aeque respicit omnes et singulas propositiones revelatas. Quatenus est *affirmativum* obligat hoc praeceptum ad petendam instructionem de doctrina christiana, et

ad eliciendos nonnunquam actus fidei. — Contra hoc praeceptum peccatur *directe* per *infidelitatem* (quae est rejectio veritatis revelatae sufficienter propositae), per *apostasiam* (seu totalem rejectionem fidei jam receptae), per *haeresim* (quae est negatio pertinax a baptizato facta unius vel plurium articulorum fidei). Contra praeceptum peccatur *indirecte* per neglectum sufficientis instructionis, per lectionem librorum periculosorum, per omissionem mediorum, quae ad tentationes vitandas aut superandas requiruntur.

3. De *tempore* quo hoc praeceptum obliget, damnatae sunt a S. Sede diversae propositiones asserentes obligationem urgere nullo vitae tempore, aut semel tantum in vita (Denz. 972, 1034, 1082). — *Per accidens* obligat praeceptum in receptione baptismi aut poenitentiae, in tentationibus contra fidem, et in retractatione peccatorum contra fidem. *Per* se obligat aliquoties in vita, nominatim quando quis adepto usu rationis ad obligationem credendi primo advertit, item in articulo mortis. Extra hos casus, haud constat de lege obligante ad professionem fidei temporibus statutis, v. g. semel in mense, tempore paschali, diebus festis: atque fidei praecepto, tum quoad internum assensum tum quoad externam professionem, certe satisfacit omnis qui reliqua munera christianae pietatis debite implet.

133. — Scholion 3. de credendis necessitate praecepti. — 1. Universim loquendo: Implicite saltem et in confuso, uti in propositione, « Credo omnia quae docet ecclesia », credendi sunt omnes et singuli articuli fidei; explicite vero facienda est aliqua professio, saltem illa, « Credo quidquid divinitus revelata est ».

2. Nominatim vero si inquiritur, quinam articuli explicite, nisi impotentia excuset, ab omnibus credendi sint fidelibus: Praeter duos articulos necessitate medii retinendos, credi debent, symbolum apostolicum, oratio dominica, decalogus, sacramenta necessitatis: non quidem quoad determinatam formam verborum, quae varie traduntur, sed quoad sensum et substantiam.

134. — Scholion 4. de symbolis fidei. — Symboli nomine intelliguntur collectiones breves praecipuorum dogmatum, quae a primis saeculis redactae sunt in usum populi christiani ac praesertim catechumenorum. Diversa sunt symbola, uti Nicaenum ac Athanasianum. Hujus posterioris symboli auctor non fuit S. Athanasius: compositum autem videtur in Gallia saec. V, probabiliter in monasterio lerinensi. Celeberrimum est symbolum « Apostolorum », quod in praesenti forma duodecim habet articulos. Sin-

gulorum horum articulorum juxta traditionem quae non videtur antiquior saec. VI, auctores fuerunt singuli Apostoli. Patres autem veteriores symbolum Apostolis tribuunt non quoad verba, sed quoad doctrinae substantiam tantum. Ad ipsa vero tempora apostolica putant plures eruditi, vere referendam esse formam breviorem symboli Apostolorum quae in ecclesia romana usque ad saec. VIII servata est, quam formam cum pluribus aliis exhibet Denzinger, « Enchiridion », nn. 1-18.

QUAESTIO TERTIA

DE SPE THEOLOGICA

Praenotiones

135. — Quaestioni de fide succedit et intime nectitur quaestio de spe: nam ex S. Augustino (enchirid., c. 8), « Quid sperari potest, quod non creditur? » *Nomen* autem *spes* aliquando objective sumitur pro bono quod speratur (Ps. 21. 10, « Tu es..... spes mea ab uberibus matris meae »). Hîc vero subjective sumitur, et ita spectata, potest esse vel virtus vel passio, quae in eo conveniunt quod utriusque objectum, ut exponit S. Thomas (1. 2, qu. 40, artt. 1, 2), sit bonum futurum, arduum, possibile adipisci.

136. — A virtute vero valde differt passio spei: quia *virtutis objectum speciale* est bonum intelligibile, dum passionis objectum est aliquid sensibile: item virtutis theologicae objectum est adeo arduum, ut naturali potestati sit absolute impossibile citra gratiae auxilium, aliter ac objectum passionis; praeterea, in puro spiritu potest esse virtus theologica spei, non autem passio.

137. — *Subjectum spei theologicae*, juxta theologorum sententiam communem, non est intellectus, sed voluntas. Ita S. Thomas (2. 2, qu. 18, a. 1), « Spes est in appetitu superiori, qui dicitur voluntas, sicut in subjecto ». Cum autem motio voluntatis sit in bonum, spes quatenus est prosecutio boni vocari potest amor; et cum optet seu velit bonum ipsi speranti, hic amor est amor concupiscentiae. Spes ergo, utpote concupiscentia boni absentis, convenit cum desiderio a quo tamen differt, quatenus objectum desiderii potest esse aliquid impossibile, spes vero in objectum tendit, quod licet arduum et incertum, sit tamen possibile: unde *definiri* aut describi potest, « *Desiderium fiduciale obtinendi bonum absens* ».

His breviter de spei notione et subjecto indicatis, inquirendum est triplici capite de spei objecto tum materiali tum formali, ac de ejus proprietatibus.

CAPUT PRIMUM

De Objecto Materiali Spei

138. — **Praenotanda.** — I. Quemadmodum fides plurima habet objecta quae tamen ad unum principale, nempe formale objectum *quod* referuntur: ita et spes. Hujus vero objectum *formale quod* est vita aeterna seu beatitudo, quae in doctrina catholica consistit in possessione Dei intuitive visi. Ac revera 1. hanc beatitudinem exhibet Scriptura juxta Dei promissiones ut objectum spei (Tit. 3. 7, « ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae »); item 2. ad hanc beatitudinem obtinendam, diriguntur praecipue fidelium opera (Tit. 1. 2, « in spem vitae aeternae, quam promisit, qui non mentitur Deus »).

139. — II. Facta distinctione inter beatitudinem objectivam et subjectivam (vid. de Deo Consumm., n. 22), disputatur inter theologos, utrum objectum principale spei sit 1. beatitudo objectiva, nempe Deus ipse: ita ut subjectiva beatitudo seu visio intuitiva Dei sit tantum conditio hujus objecti attingendi (ut docent Salmanticenses, de spe, d. 1, dub.); an 2. subjectiva tantum beatitudo, nempe Dei visio et fruitio: ita ut Deus ipse esset tantum objectum mediatum (quod voluit Durandus, in 3, d. 26, qu. 2); an vero 3. beatitudo tum subiectiva tum objectiva simul.

Communis sententia docet utramque beatitudinem esse indivisim objectum spei, ita ut spes aeque immediate respiciat et Deum et fruitionem Dei futuram. Etenim, ut ait S. Thomas (1. 2, qu. 11, a. 3, ad 3), « Non sunt duo fines [ipsa res et adeptio rei], sed unus finis in se consideratus, et alteri applicatus. Deus igitur est ultimus finis sicut res, quae ultimo quaeritur; fruitio autem, sicut adeptio hujus ultimi finis. Sicut igitur non est alius finis Deus et fruitio Dei; ita eadem ratio fruitionis est, qua fruimur Deo, et qua fruimur divina fruitione ». In coelo quoque Beati gaudent de Deo viso, idest tum de Deo tum de visione Dei tanquam de integro objecto. — Proinde de spei objecto materiali, tum principali tum secundario statuenda est

140. — **Propositio. Objectum materiale primarium spei est beatitudo tum objectiva, tum subjectiva, idest nedum possessio Dei sed etiam ipse Deus possidendus: objectum vero secundarium sunt alia bona supernaturalia, vel etiam temporalia.**

Prob. prima pars (nempe, Deum ipsum esse objectum materiale primarium). — **I.** Illud est objectum primarium spei, quod Scriptura exhibet ut laborum nostrorum praemium supremum, quodque hortatur nos super omnia alia bona exspectare et desiderare; atqui ex pluribus Scripturae locis, tale objectum est Deus ipse; ergo Deus est objectum materiale principale spei.

Prob. Min. ex Gen. 15. 1, «Ego merces tua magna nimis»; Ps. 72. 25, sqq., « Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?..... Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum..... Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam ».

Ita ex Patribus, S. Augustinus (in cit. Psalm., 72, n. 34), « Mihi adhaerere Deo, bonum est. Hoc est totum bonum..... Adhaerere, inquit, Deo bonum est; sed modo in peregrinatione, quia nondum venit res. Ponere in Deo spem meam..... Nondum haeres per praesentiam; inhaere per spem ».

141. — **II.** Idem ostendit ratio multiplex. Etenim 1. spes, utpote amor quidam concupiscentiae tendere debet in summum bonum nostrum; atqui illud bonum finisque noster ultimus nihil aliud est quam Deus ipse, a nobis cognitione et fruitione perfecte possidendus. — 2. Spes est virtus theologica; atqui talis non esset, si ordinaret nos in creatum tantum bonum et non in Deum ipsum. — 3. Bonum principale et arduum quod a Deo solo speramus, proportionem habere debet cum virtute divina; atqui virtus Dei est infinita; ergo objectum quod principaliter a Deo speramus, debet esse bonum infinitum, quod est ipse Deus. Cf. S. Thomas, 2. 2, qu. 17, a. 2.

142. — **Prob. secunda pars** (nempe beatitudinem formalem seu possessionem Dei, esse etiam objectum primarium materiale spei). — Spes ex definitione ejus, prosequitur bonum nostrum futurum et arduum; atqui Deus, non spectatus seorsum a possessione et fruitione, sed ut videndus, est bonum nostrum, idque dum in praesenti vita sumus, futurum et arduum; ergo.

143. — **Prob. tertia pars** (nempe, bona temporalia posse esse objectum secundarium spei). — Objectum secundarium spei theologicae possunt esse illae res quae tanquam media ad objectum primarium, nempe Deum ipsum visione beatifica possidendum, diliguntur; atqui bona temporalia, praesertim supernaturalia, amari vel optari possunt tanquam media ad beatitudinem: illuc enim conducunt bona temporalia multimode, obstacula auferendo, vel occasiones merendi virtutesque exercendi praebendo; ergo bona

ista, cum referuntur saltem implicite ad finem ultimum possunt esse objectum spei.

144. — Hocque *confirmatur* ex praecepto Christi hortantis nos petere in Oratione Dominica bona temporalia ; necnon ex praxi ecclesiae, quae in liturgia rogat ejusmodi beneficia, uti nominatim liberationem ab impugnationibus diaboli, a bello, peste, fame, etc... « Quam ob rem », ait Catechismus Romanus (p. 4, c. 13, n. 9), « minime audiendi sunt, qui dicant non licere christianis hominibus a Deo petere hujus vitae bona. Nam huic adversantur errori, praeter consentientem Patrum sententiam, exempla multa tum veteris tum novi Testamenti (Gen. 28. 20; Prov. 30. 8; Matth. 24. 20; Rom. 15. 30, sqq.) ».

Obs. Ex S. Thoma (2. 2, qu. 17, a. 3), « Spes directe respicit *proprium* bonum, non autem quod ad *alium* pertinet. Sed praesupposita unione amoris ad alterum, jam aliquis potest sperare et desiderare aliquid alteri sicut sibi; et secundum hoc aliquis potest sperare alteri vitam aeternam, in quantum est ei unitus per amorem ».

CAPUT SECUNDUM

De Objecto Formali Spei

145. — **Praenotanda.** — Dicunt aliqui cum Suarez (d. 1, s. 3, n. 4), objectum formale seu motivum spei esse *bonitatem Dei respectivam*, quatenus scilicet Deus est bonum nostrum; alii cum Vasquez (in 1, d. 84, c. 1, n .4; in 1. 2, d. 15, c. 5, n. 22) docent objectum formale esse *auxilium divinum;* alii demum communius statuunt objectum formale spei virtualiter duplex, nempe *primarium* quod est bonitas Dei respectiva, et *secundarium* quod est auxilium divinum, includens aut praesupponens, cum agatur de bonis supernaturalibus, omnipotentiam, misericordiam et fidelitatem Dei in promissis. Ita ipse S. Thomas (de spe, qu. 1, a. 1), « Spes adipiscendi vitam aeternam habet duo objecta, scilicet ipsam vitam aeternam, quam quis sperat, et auxilium divinum, a quo sperat ».

146. — **Propositio. Objectum formale spei sumptae pro desiderio beatitudinis est bonitas Dei respectiva: quatenus autem spes est tendentia fiducialis in beatitudinem, objectum ejus formale est auxilium divinum.**

Prob. prima pars. — Spes utpote virtus tendit in bonum, et ut virtus theologica in bonum divinum; atqui bonitas Dei absoluta

in se est objectum formale caritatis; ergo bonitas Dei respectiva, seu Deus quatenus est bonum nostrum est objectum formale spei: idque sequitur ex eo quod spes est amor concupiscentiae.

147. — **Prob. secunda pars.** — **I.** Ex Scriptura quae passim firmitatem spei desumit ex divino auxilio. Ita Ps. 56. 2, « In te confidit anima mea; et in umbra alarum tuarum sperabo »; Ps. 17. 3, « Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum »; Is. 12. 2, « Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem »; Hebr. 10. 23, « Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem: fidelis enim est qui repromisit ».

148. — **II.** Ex Patribus citasse sufficiet S. Augustinum (enarr. in Ps 117, n. 8), « Erigat se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se avertat, non dicat, Non ero. Qui promisit, Deus est: et venit, ut promitteret..... Quid tibi promisit Deus, o homo mortalis? Quia victurus es in aeternum. Non credis? Crede, crede. Plus est jam quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te ».

149. — **III.** Ratione theologica. Spes omnis est conatus fiducialis in bonum arduum et acquisitu difficile, ac prout est spes theologica est erectio animi in bonum maxime supernaturale, nempe in Deum ipsum intuitive videndum; atqui in bonum ejusmodi supernaturale potest quis eatenus tantum tendere fiducialiter, quatenus divino nititur auxilio; ergo. Cf. S. Thomas, de spe, qu. 1. a. 1.

Obs. Juxta secundam propositionis partem, « non licet (ut ait S. Thomas, 2. 2, qu. 17, a. 4), sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de prima causa movente in beatitudinem; licet autem (pergit S. Doctor) sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura sicut de agente secundario, et instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quaecumque bona consequenda in beatitudinem ordinata; et hoc modo ad Sanctos convertimur, et ab hominibus etiam aliqua petimus », imo et in meritis nostris ex Christi gratia factis rationem sperandi habere possumus.

CAPUT TERTIUM

De Proprietatibus Spei

Agendum est triplici articulo de honestate, certitudine et necessitate spei.

ART. 1. — DE HONESTATE SPEI

150. — **Praenotanda.** — I. Tanquam malum et mercenarium rejecerunt Lutherus (assert. art. contra bullam Leonis X, affirm. 6: Denz. 630), Calvinus (antid. ad sess. 6 Conc. Trid., c. 25, 31), quos postea secutus est Baius (propp. 16, 38: Denz. 896, 918), amorem concupiscentiae erga Deum summum bonum nostrum, sicut et increparunt dolorem peccati conceptum ex amissione beatitudinis aeternae. Contra quem errorem docet Concilium Tridentinum (sess. 6, cap. 11: Denz. 687), « Eos orthodoxae religionis doctrinae adversari..... qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam: cum scriptum sit: Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem, et de Moyse dicat Apostolus, quod respiciebat in remunerationem ». Et in canone 31 (Denz. 723), « S. q. d., justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, a. s. ».

151. — II. Catholici quidem fatentur malum et peccaminosum esse vel 1. Deo propter sola bona temporalia ad exclusionem finis ultimi servire; vel 2. in ea dispositione esse, ut quis non servaret praecepta nisi ob aliquam mercedem; item 3. fatentur spem ex se solam, citra caritatem, non sufficere ad opus meritorium, seu ad salutariter agendum.

Quaestio proinde est, utrum ille qui simpliciter vult voluntate absoluta servare praecepta propter retributionem, licite et honeste operetur, an contra peccet. Honestatem actûs asserit doctrina catholica.

152. — **Propositio. Spes, quatenus est actus amoris concupiscentiae erga Deum summum bonum nostrum, honesta est.**

Prob. I. Ex Scriptura. Non possunt mali dici actus illi quos Scriptura sacra saepe commendat ac laudat, neque illicitum est eam remunerationem diligere quam Deus ipse proponit. Atqui 1. actus qui fiunt intuitu vitae aeternae, saepe laudat Scriptura, uti Coloss. 3. 23, sqq., « Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem haereditatis »; 1 Cor. 9. 25, « Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam »; Ps. 118. 112, « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum, propter retributionem ». Item 2. Christus ipse tanquam motivum

amplectendi virtutem evangelicam perfectam, et tolerandi propter amorem et nomen ejus persecutiones et injurias, proponit mercedem aeternam : uti Matth. 19. 21, « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo » ; Luc. 6. 23, « Gaudete in illa die, et exsultate : ecce enim merces vestra multa est in coelo ». Ergo.

153. — **II.** Ita et Patres, uti S. Gregorius Nyss. (in cant., hom. 1), « Nonnullis fit etiam salus per timorem..... sunt etiam aliqui, qui propter spem mercedis repositam eis, qui pie vixerint, se recte et ex virtute gerunt, non caritate bonum possidentes, sed exspectatione remunerationis ». Ac S. Ambrosius (de Abraham, l. 1., c. 2, n. 3), « Sicut coacervanda fuerunt praecepta, ne quid lateret : ita etiam proponenda praemia, ne forte desperaret [Abraham] ».

Nec aliter S. Augustinus, ad quem provocant adversarii. Etsi enim (enchirid. c. 117) dicat spem solam in se non sufficere ad salutem (id quod affirmat etiam de fide), nequaquam docet eam esse malam, quod volunt adversarii. Hoc liquet ex pluribus S. Doctoris locis, uti (in Ps. 36, n. 16), « Si vis sustinere laborem, attende mercedem. Nam et operarius in vinea deficeret, nisi attenderet, quid accepturus esset. Cum autem attenderis, quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quae pateris, nec digna existimabis, pro quibus illud accipis. Miraberis tantum dari pro tantillo labore ». Et in loco qui aliquando objicitur (in Ps. 134, n. 11), ubi hortatur fideles ad diligendum Deum *gratis*, excludit quidem S. Doctor motivum finis *temporalis*, non vero motivum mercedis aeternae, nempe Deum ipsum quatenus est bonum nostrum, quia dicit ibidem, « Sic amare debes [Deum], ut ipsum *pro mercede* desiderare non desinas qui solus te satiet ». Similiter (in Ps. 43, n. 15), « Exigitur ergo a te, ut gratis eum colas ; non quia dat temporalia, sed quia *praestat aeterna* ».

Art. 2. — DE CERTITUDINE SPEI

154. — **Praenotanda.** — De spei certitudine erravit per excessum Lutherus, praepostere exigendo ante justificationem, ut quis credat firma et absoluta fiducia peccata sibi remissa esse, seque in numero electorum jam existere. Hujusmodi fiduciam rejiciunt post Scripturam sacram Patres, uti v. g. S. Augustinus (in Ps. 41, n. 12), « Novi, quia justitia Dei mei manet, utrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus dicens : Qui se putat stare, videat ne cadat (1 Cor. 10. 12 ») . Unde et Concilium Tridentinum (sess. 6, c. 13 : Denz. 689) de justificatione et salute dicit, « Nemo

sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur ». Cf. commentar. de Gratia, n. 281. Ex parte ergo nostra, ne videlicet deficiat cooperatio nostra, spes admittit timorem : quem timorem non esse malum, uti post Lutherum voluerunt Baius et Jansenistae, probatur in tract. de Poenitentia (nn. 74, sqq.). Ex parte vero Dei, juxta theologorum cum S. Thoma (2. 2, qu. 18, a. 4) sententiam unanimem, spes est certa et firma. Hinc

155. — Propositio. Spes theologica, quatenus Deum respicit, omnino certa et firma est.

Prob. I. Ex Scriptura. Ita praesertim ex Psalmis, uti 30. 2, « In te Domine, speravi, non confundar in aeternum » ; 124. 1, « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in aeternum ». Ac in novo Testamento, S. Paulus, Hebr. 6. 17-19, « Volens Deus ostendere pollicitationis haeredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum : ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam ».

156. — II. Patres idem tradunt. Sic S. Joannes Chrys. (hom. 11 in Hebr. n. 2), « Sicut anchora navi appensa non sinit eam circumferri, etiamsi eam venti quatiant innumerabiles, sed appensa firmam reddit et stabilem, ita etiam spes..... Anchoram autem non dixit [Apostolus] absolute, sed firmam et stabilem, ut ostendat securitatem eorum, qui ea fulciuntur ad salutem ». Et S. Augustinus (in Ps. 91, n. 2), « Cui bona est conscientia, tranquillus est, et ipsa tranquillitas sabbatum est cordis. Attendit enim promissorem Dominum ; et si laborat in praesenti, extenditur spe futuri... Gaudium in tranquillitate spei nostrae, sabbatum nostrum est ». Ac S. Joannes Damasc. (de fide orth., l. 4, c. 10), « Est spes minime dubia nec ambigua, qua confidimus fore, ut quae nobis divinitus promissa sunt, et quae postulamus adipiscamur ».

157. — III. Ratione theologica. Ubi habentur infallibilitas objectiva et adhaesio subjectiva prorsus firma, adest certitudo ; atqui ita est in spe : etenim 1. objective nititur spes omnipotentis Dei misericordia et fidelitate, quae frustrari nequeunt, cum Deo non desint potestas et voluntas dandi tum finem beatitudinis promissum, tum media ad ipsum necessaria ; et consequenter 2. adhaesio subjectiva illius qui veraciter sperat, haesitationem omnem uti Deo injuriosam excludit, estque appretiative summa ; ergo.

ART. 3. — DE NECESSITATE SPEI

158. — **Praenotanda.** — *Habitum* spei, utpote inseparabiliter connexum, sicut est et habitus fidei, cum gratia sanctificante et salute, esse absolute necessarium vel ipsis parvulis, prorsus certum est. *Actualem* spem inter dispositiones ad justificationem recenset Concilium Tridentinum, ex quo (sess. 6, c. 6: Denz. 680), peccatores, « a divina justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore ». Cf. ibid., can. 9 (Denz. 701). Non solum autem peccatoribus, sed omnibus adultis necessariam esse spem necessitate medii, docent omnes theologi, ac sententia Fenelonii excludentis a summo perfectionis statu in hac vita omne proprii boni desiderium et omnem spem, damnata est ab Innocentio XII (propp. 1, 6, 8: Denz. 1193, sqq.). Jam antea ab Innocentio XI similis Quietistarum error damnatus fuerat in Michaele Molino (propp. 12, 13: Denz. 1090, 1100). Vid. Kilber (Wirceburg., t. 8), n. 272. — Hinc

159. — **Propositio. Spes theologica est necessaria ad salutem.**

Prob. I. Ex Scriptura. Illud necessarium est, quod 1. in praesenti dispensatione juxta providentiam supernaturalem ordinariam connectitur cum hominis salute, quodque 2. praecepto positivo divino praescribitur omnibus; atqui ita dicendum de spe theologica; ergo est necessaria ad salutem.

Prob. Min. per partes. 1. Connexio spei cum hominis salute exhibetur Ps. 90. 14, « Quoniam in me speravit, liberabo eum »; Prov. 28. 25, « Qui sperat in Domino, sanabitur »: item Hebr. 11, ipsa fides in Deum non solum ut existentem sed ut remuneratorem (v. 6), necessaria dicitur quatenus est « sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium » (v. 1).

2. Praeceptum spei saepe in Scriptura effertur: uti Ps. 41. 6, « Spera in Deo »; Ib. 61. 9, « Sperate in eo omnis congregatio populi »; Eccli. 2. 6, 9, « Dirige viam tuam et spera in illum..... qui timetis Dominum, sperate in illum »; item 1 Petr. 1. 13, « Perfecte sperate in eam, quae offertur vobis, gratiam »; ac Hebr. 10. 23, « Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem: fidelis enim est qui repromisit ». Imo petitio illa, « Adveniat regnum tuum » ab ipso Christo nobis praescripta, est actus spei.

160. — **II.** Declarant Patres necessitatem spei 1. ad peccatoris justificationem: ita S. Ambrosius (de Poenit., l. 1, n. 4), « Nemo

potest bene agere poenitentiam, nisi qui speravit indulgentiam »; ac S. Augustinus agens de catechumeno (de catech. rud., c. 4, n. 8), « audiendo credat, credendo speret, sperando amet », qui et alibi (serm. 27, c. 1) ait, « Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur ». Cf. S. Bernardus (serm. 3 de annunt., n. 3), « Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi, Domine. Sola nimirum spes apud te miserationis obtinet locum; nec oleum misericordiae, nisi in vase fiduciae ponis ».

Universim 2. vel pro ipsis justis dicit S. Augustinus (serm. 158, n. 8), « Ipsa spes peregrinationi necessaria est..... Tolle illi [viatori] spem veniendi, continuo franguntur vires ambulandi. Ergo et spes, quae hic est, ad justitiam pertinet peregrinationis nostrae..... ». Postea S. Gregorius M. (in Ezech., l. 2, hom. 5, n. 16), « Sine quibus tribus virtutibus [theologicis], quisquis jam uti ratione potest, ingredi ad coelestium aedificium non potest ».

161. — **III.** Ratione theologica. — 1. Deus proponit hominibus finem supernaturalem, promittitque media et auxilia ad eum obtinendum; atqui ita agendo significat Deus voluntatem suam, ut homines finem istum seu beatitudinem velint ac desiderent; ergo. — 2. Citra orationem, moraliter impossibilis est perseverantia; atqui oratio supponit spem, juxta verba S. Jacobi (1. 6), « Postulet in fide, nihil haesitans..... ».

162. — **Obs. de praecepto spei.** — Ex dictis, spes saltem implicita et virtualis adultis peccatoribus necessitate medii necessaria est ad ipsorum conversionem; et jam justificatis ad perseverantiam. Unde quoque infertur, quam de cetero distincte declarat Scriptura, necessitas etiam praecepti spei.

Praeceptum hoc quatenus *negativum* est, prohibens nempe tum praesumptionem tum desperationem, obligat semper et pro semper; quatenus *positivum* est, urget sicut et praeceptum fidei, aliquando in vita, uti v. g. post adeptum rationis usum, et in sacramentis recipiendis. De ejus autem impletione sufficiente dubitari nequit, in casu eorum qui vitam agunt christianam.

QUAESTIO QUARTA

DE CARITATE THEOLOGICA

163. — Virtutibus fidei et spei succedit caritas, quae teste Apostolo (1 Cor. 13. 13) major iis est. Nomine autem caritatis, omissis aliis significationibus, hic intelligitur «*dilectio creaturae rationalis erga Deum*», ac de hujus *habitu* sufficiant jam dicta in exordio. Caritas autem haec, aliter quam spes quae est amor concupiscentiae, est amor benevolentiae, quo diligimus Deum propter bonitatem suam in se, et proinde volumus ei bonum quatenus bonum est amato. Unde et S. Augustinus (de doctr. christ., l. 3, c. 10, n. 16), « Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo, propter Deum ». Ac S. Thomas (2. 2, qu. 23, a. 6), « Fides et spes attingunt quidem Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri vel adeptio boni; sed caritas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat ». — Agendum est triplici capite de caritatis objecto, tum materiali tum formali, ac de proprietatibus ejus.

CAPUT PRIMUM

De Objecto Materiali Caritatis

164. — **Praenotanda.** — Objectum materiale caritatis dupliciter intelligi potest. Nam, ut dicit S. Thomas (2. 2, qu. 25, a. 2), « Per amicitiam amatur aliquid dupliciter: uno modo sicut ipse amicus, ad quem amicitiam habemus, et cui bona volumus; alio modo sicut bonum, quod amico volumus ». Constat per se, nec ulla indiget demonstratione, *objectum quod* hujus virtutis esse omnia, etiam creaturas rationales, quae ex caritate ad Deum vel proximum referimus: objectum vero *cui*, ut tenent omnes cum S. Thoma (l. c., a. 1), sunt tum Deus ipse qui est objectum primarium, tum creaturae rationales, nosmetipsi scilicet et proximus. — Unde

165. — Propositio. Objectum materiale primarium caritatis est Deus, secundarium vero tum nos ipsi tum proximus.

Prob. prima pars. — I. Ex Scriptura, Matth. 22. 37, 38, « Diliges Dominum Deum tuum... hoc est maximum et primum mandatum ». Etiam vocatur haec virtus simpliciter (Rom. 5. 5; 1 Jo. 2. 5) « caritas *Dei* ».

166. — II. Illud est objectum primarium caritatis in quo primario relucet formale ejus objectum; atqui in Deo ipso relucet primario hoc motivum, quod ut postea dicetur, est ipsa bonitas divina; ergo.

167. — Prob. secunda pars. — I. Ille amor Dei qui primo loco praecipitur, qui major est fide et spe, quo translati sumus de morte ad vitam, est certe caritas theologica; atqui hoc ipso amore seu caritate theologica, diligendum quoque esse proximum, docent Christus et Apostoli; ergo.

Minor constat 1. Ex Matth. 22. 35, sqq., « Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum ». Cf. Marc. 12. 33, 34, ubi Christus approbat scribam quemdam dicentem, « diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis ».

2. Ex 1 Cor. 13: Caritas enim, utique theologica, quae ex hoc capite « nunquam excidit » (v. 8), quae major est fide et spe (v. 13), complectitur quoque proximum: nam et ista caritas (vv. 4, sqq.), « patiens est, benigna est..... non aemulatur, non agit perperam..... non irritatur..... omnia suffert.... ».

3. Ex 1 Jo. 4. 19, sqq., « Nos ergo diligamus Deum,..... si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est..... hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum »: de quo amore dicit quoque Apostolus (ibid. 3. 14), « Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres ».

168. — II. Idem declarant passim Patres. Ita S. Joannes Chrys. (hom. 77 in Jo., n. 1), « Viden' Dei dilectionem cum nostra complicatam et quasi catena annexam? Ideo aliquando duo dicit praecepta, aliquando unum: neque enim potest qui alteram accepit, alteram non habere..... praeceptum est, ut diligamus invicem; manere in Deo ex dilectione mutua datur ». Etiam S. Augustinus (de doctr. christ., l. 1, c. 23, n. 22), « Diligenda sunt ea sola, quae aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicuti est homo vel

angelus, aut ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, sicuti est corpus ». Et postea (cap. 26), « Finis itaque praecepti est dilectio, et ea gemina, idest Dei et proximi ». Ac (c. 27), « Omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus; et omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus vero propter se ipsum ». Dicit S. Gregorius M. (hom. 27 in Evang., n. 1), « Ille veraciter caritatem habet, qui et amicum diligit in Deo et inimicum diligit propter Deum ».

CAPUT SECUNDUM

De Objecto Formali Caritatis

169. — **Praenotanda.** — I. Objectum formale seu motivum omnis voluntatis actus ac proinde omnis amoris est aliqua bonitas: et haec, quando agitur de divino amore, est bonitas divina. Cum autem bonitas divina spectari possit vel in se et absolute, vel relate ad nos et respective: cumque ipsa bonitas Dei absoluta possit iterum diverse spectari: hinc multiplex quaestio.

170. — II. Absolutam Dei bonitatem, non respectivam, esse objectum formale caritatis, docet antiqua et communis theologorum sententia post S. Thomam (v. g. 2. 2, qu. 23, a. 6, « caritas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat »). Motivum autem caritatis esse Deum prout est bonum nostrum: aliis verbis, caritatem esse amorem concupiscentiae, post Bolgeni (« Della carità », 1788) et aliquos alios saec. XVIII theologos, docuit recentius Ballerini (Op. Mor., t. 2, pp. 960, sqq.: de Car., nn. 6, sqq.). Hi nimirum confundentes conditionem sine qua non ex parte objecti cum formali objecto, putant peculiarem ipsorum opinionem sequi ex natura humanae voluntatis, cujus motivum unicum et necessarium sit per ipsos, desiderium propriae felicitatis et utilitatis.

171. — III. Supposito vero cum communi sententia mox stabilienda, absolutam Dei bonitatem esse objectum formale caritatis, dubitari adhuc potest, utrum hanc bonitatem sufficienter manifestet particulare aliquod attributum divinum, an sola ipsa natura cum omnibus attributis simul. Visum est enim nonnullis theologis (uti Salmanticensibus, de carit., d. 2 dub. 2, n. 14, ac de Rubeis, de carit., c. 4), per unum aut aliud attributum seorsum (v. g. per sapientiam), Deum non exhiberi ut Summum Bonum simpliciter. Secundum alios autem theologos (uti Ripalda, de carit., d. 35, sectt. 1 et 10), ille qui unum aliquod attributum per quod specialiter

movetur, uti sapientiam, misericordiam, beneficentiam (relucentem v. g. in incarnatione, vel in Christi passione aut morte) amaret non quidem in abstracto aut praecisive, sed ut subsistentem et tanquam divinum, eo ipso amaret divinam essentiam ac Supremum Bonum, Deum ipsum, qui per identitatem realiter unus est cum singulis attributis divinis : aliis verbis, eliceret, quod spectat motivum formale, actum perfectae caritatis. — Ex communiori proinde sententia statuenda videtur

172. — Propositio. Objectum formale caritatis est bonitas Dei absoluta, qua Deus in se summe amabilis est: imo quaelibet perfectio divina seorsum accepta, ac nominatim divina beneficentia.

Prob. prima pars. — I. Ex 1 Cor. 13. 13, « Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec : major autem horum est caritas ». His verbis aperte distinguit Apostolus caritatem a fide et spe, dicitque eam iis excellentiorem ; atqui cum spes cujus primarium objectum formale est bonitas Dei respectiva, sit concupiscentia boni nostri, caritas non esset excellentior nisi pro objecto formali haberet bonitatem Dei absolutam, seu Deum quatenus est Summum Bonum in se ; ergo objectum formale caritatis est bonitas Dei absoluta, qua Deus est in se infinite amabilis.

173. — II. Ex Sap. 7. 14, « Infinitus thesaurus [Sapientia] est hominibus : quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati ». Justi qui hic commemorantur, diligunt Deum caritate et amore *amicitiae* (quod de cetero ex aliis Scripturae textibus liquet, v. g. ex Is. 41. 8, « Semen Abraham amici mei » ; Jo. 15. 14, « Vos amici mei estis » ; Luc. 12. 4, « Dico autem vobis amicis meis » ; cf. Pesch, nn. 588, sqq.) ; atqui amor amicitiae vult bonum in quantum est amato, non ipsi amanti, bonum : etenim, ut ait S. Thomas (2. 2, qu. 23, a. 1), « Non quilibet amor habet rationem amicitiae, sed amor, qui est cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus » ; ergo motivum caritatis est bonitas Dei non respectiva sed absoluta.

174. — III. Confirmatur 1. ex Jo. 14. 28, « Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem » : ubi significatur, amorem Apostolorum erga Christum minus perfectum esse, eo quod proprium ipsorum solatium ex praesentia corporali Domini praeferebant sacrae humanitatis glorificationi apud Patrem. — 2. Ex verbis Jo. 15. 13, « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis », quae innuunt, amoris perfecti esse, proprio commodo propter amici bonum renuntiare.

175. — **IV.** Ex Luc. 10. 27, « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis ». Ad caritatis mandatum servandum, requiritur ut Deus omnibus viribus diligatur; atqui qui amat Deum solo amore concupiscentiae ac propter proprium amantis bonum, nondum eum diligit amore benevolentiae et amicitiae; ergo motivum caritatis est bonitas divina absoluta. — Juxta hanc caritatis regulam, ut advertit Catechismus Romanus (p. 4, c. 10, n. 1), Christus docuit nos, « Priusquam ea, quae nobis aut proximo cuique opus sint, postulemus, quae propria sint Dei gloriae petere debere ».

176. — **V.** Patres idem tradunt, uti S. Joannes Chrys. (hom. 5 in Rom., n. 7), « Hoc amor est, hoc dilectio, si ita amemus, nec praesentia nec futura quidquam esse prae amore illo putabimus, et hinc regnum consequemur, in ejus amore laetantes ». Ita et S. Augustinus (serm. 142, c. 3, n. 3), « Si se ipsam amaret [anima], neglecto a quo facta est, jam minus esset, jam deficeret amando quod minus est..... Amandus est Deus ita, ut si fieri potest, nos ipsos obliviscamur ». Et S. Bernardus (de dilig. Deo, c. 7, n. 17), « Non sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera caritas esse non potest..... Verus amor se ipso contentus est. Habet praemium, sed id quod amatur ».

177. — **VI.** Illud est objectum formale, quod caritatem 1. constituit in specie virtutis theologicae, ac simul 2. discernit ab omni alia virtute theologica; atqui motivum hujusmodi est bonitas Dei absoluta: nam 1. haec bonitas est aliquid intrinsece divinum, imo ipse Deus, ac 2. est motivum proprium caritatis: ex una enim parte, fidei (utpote actus intellectualis) nequit objectum formale esse bonitas, ex altera vero parte spei divinae (seu amoris concupiscentiae) motivum proprium est bonitas Dei non absoluta sed respectiva, ut jam probatum est; ergo bonitas Dei absoluta est objectum formale caritatis.

178. — **Obs.** Ut breviter respondeatur ad momenta quae adducuntur ad suadendum amorem proprium esse unicum motivum operationis humanae, ac nominatim bonitatem Dei *respectivam* esse solum objectum formale caritatis, haec notari possunt:

1. Verum est, ipsum actum amandi esse voluntati hominique ipsi bonum: hoc tamen bonum nequit esse objectum formale caritatis, cum in omni amoris actu etiam erga creaturas istud ipsum bonum inveniatur.

2. Verum quoque est, quoad *materiale* objectum, voluntatem amare posse, amore vel concupiscentiae vel benevolentiae, illud tantum quod est in se bonum et appetibile, sicut et oculus videre

tantum potest objectum quod est visibile et illuminatum: quo sensu dicit S. Thomas (2. 2, qu. 26, a. 13, ad 3), « Dato per impossibile, quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi ». Haec tamen ratio universalis quae tanquam conditio in omnibus cujuslibet ordinis bonis invenitur, nequit esse objectum formale (propter quod) seu motivum amandi particulare aliquod bonum, aut unum bonum supra omnia.

Tandem 3. licet Deus sit supremum nostrum bonum, in cujus possessione necessario consistit felicitas nostra, eum tamen diligit caritas propter se ipsum et ut ultimum finem non ut *medium* ad particularem felicitatem: imo vellet ipsi adhaerere etiamsi in conjunctione cum ipso non inveniretur felicitas, quemadmodum ex amore mater filio aegrotanti adesse vult, licet inde sequatur dolor et moestitia.

179. — Scholion de Deo fine ultimo supernaturali, ut objecto formali caritatis. — Objectum formale caritatis Deus ipse spectari potest sub ratione finis ultimi, vel naturalis vel supernaturalis. Eum sub posteriori respectu esse objectum formale, docent communiter theologi post S. Thomam, dicentem v. g. (1, qu. 60, a. 5, ad 4), « in quantum est bonum beatificans naturaliter [al., universaliter] omnes supernaturali beatitudine, sic diligitur [Deus] dilectione caritatis ».

Huic vero doctrinae reipsa non contradicit sententia ex qua, Deus quatenus est auctor ordinis naturalis cum omnipotentia et providentia sua, potest esse in hac vita objectum supernaturalis caritatis, sicuti est in patria objectum beatitudinis coelestis, dummodo tamen nobis proponatur per fidem (v. g. in symbolo). Ita enim spectatus Deus certe diligitur ut finis ultimus possidendus modo speciali, qui potentias et exigentias naturae creatae excedat, ipsique subordinantur omnia etiam naturalia. Cf. Mazzella, nn. 1250, sqq.

180. — Prob. secunda pars (nempe, objectum formale sufficiens caritatis esse quamlibet perfectionem divinam). — **I.** Ex Scriptura, quae diversas perfectiones divinas, ac praesertim beneficentiam et misericordiam, nobis saepe proponit ut motivum caritatis. Ita Eccli. 7. 32, « In omni virtute tua dilige eum qui te fecit ». Ac 1 Jo. 4. 19, « Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos ». Praesertim vero S. Paulus, uti 2 Cor. 5. 14, 15, « Caritas enim Christi urget nos: aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus Christus, ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit ».

181. — **II.** Ex Patribus citari potest S. Augustinus (de catech. rud., c. 4, nn. 7, 8), « Nulla est major ad amorem invitatio, quam praevenire amandos. Maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus : et ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem a quo prior dilectus est inardesceret ».

182. — **III.** Ratio idem suadet. — 1. Motivum formale sufficiens caritatis est id ob quod Deus est amabilis propter se et super omnia ; atqui motivum hujusmodi habetur in perfectione qualibet divina, etiam relativa seu ad extra, ut in misericordia, benignitate, omnipotentia : nam quaelibet perfectio *a*) est Deo intrinseca ipsique identica, et *b*) est infinita in suo genere ; ergo est objectum formale sufficiens caritatis.

2. Beneficentia divina spectata etiam in suis effectibus est motivum sufficiens caritatis : per *gratitudinem* enim ducunt beneficia divina ad amorem : vera autem gratitudo non tam commoda recipientis (quae occasiones sunt tantum non motiva) respicit, quam dantis affectum, seu benignitatem, quatenus est benefactoris perfectio intrinseca. Cf. S. Thomas (2. 2, qu. 106, a. 5), « Gratiae recompensatio attendit magis affectum dantis quam effectum ».

CAPUT TERTIUM

De Proprietatibus Caritatis

ART. 1. — DE EXCELLENTIA CARITATIS

183. — **Praenotandum.** — Comparate ad reliquas virtutes, caritatem esse excellentissimam, tenent Catholici omnes contra protestantes, qui ex eorum justificationis theoria praecipuam putant fidem fiducialem.

184. — **Propositio. Caritas est virtutum omnium excellentissima.**

Prob. I. Ex Scriptura. Illa est excellentissima omnium virtutum, quae inter ipsas virtutes theologicas maxima est, quaeque primi et maximi mandati objectum est ac vinculum perfectionis ; atqui ex Scriptura talis est caritas ; ergo est excellentissima virtutum.

Minor constat ex 1 Cor. 13. 13, « Major horum est caritas » ; Matth. 22. 37, « Diliges Dominum..... hoc est maximum et primum mandatum » ; 1 Tim. 1. 5, « Finis autem praecepti est caritas » ; Coloss. 3. 14, « Super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis ».

185. — **II.** Similiter Patres. Sic S. Clemens Rom. (1 Cor. 49. 2, sqq.), « Vinculum caritatis Dei quis potest enarrare?..... Altitudo, ad quam evehit caritas, inenarrabilis est. Caritas nos Deo adglutinat, caritas peccatorum multitudinem tegit, caritas omnia sustinet.... sine caritate nihil Deo acceptum est ». Cf. ejusd. cap. 50. Ita et S. Joannes Chrys. (hom. 40, in Act., n. 3), « Nil par caritati; majus omnium est caritas ». Saepius S. Augustinus, uti (tr. 84 in Jo., n. 3), « Ubi caritas est, quid est quod possit deesse? ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? Daemon credit, nec diligit: nemo diligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam qui non diligit: nemo autem potest desperare qui diligit ». Cf. ejusdem serm. 138, c. 3; de Trin., l. 15, c. 18, n. 32.

186. — **III.** Ex ratione. — 1. Maxime perfecta omnium est ista virtus quae virtutum ipsarum theologicarum excellentissima est: virtutes enim theologicae ipsam perfectionem increatam, virtutes vero morales nonnisi creatam respiciunt. Virtutum autem theologicarum maximam esse caritatem, sic ostendit S. Thomas (2. 2, qu. 23, a. 6), « Oportet, quod etiam inter ipsas virtutes theologicas illa sit potior, quae magis Deum attingit. Semper autem id, quod est per se, majus est eo, quod est per aliud: fides autem et spes attingunt quidem Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri vel adeptio boni: sed caritas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat; et ideo caritas est excellentior fide et spe, et per consequens omnibus aliis virtutibus ».

2. Perfectissima est virtus quae effectus et fructus perfectissimos habet; atqui perfectiores quam omnium aliarum virtutum sunt effectus et fructus caritatis: haec enim sola peccata remittit (cf. de Poenit., nn. 71, sqq.), confertque justitiam una cum consortio divinae naturae, amicitia Dei, adoptione divina, jure haereditatis, etc. (cf. de Gratia, nn. 258, sqq.); ergo.

3. Hoc confirmatur ex necessitate caritatis: nam *a*) citra ipsam aliae virtutes sunt mortuae, ipsaque *b*) est aliquo sensu forma reliquarum virtutum, ut jam explicabitur.

187. — **Scholion 1. de caritate divina reliquarum virtutum forma.** — Sicut anima dicitur forma corporis, quatenus 1. citra ipsam nulla est vita in corpore, ac 2. ipsa praesenti, eo ipso corpus vivit, ac 3. ipsa est principium omnis activitatis hominis: sic analogice in ordine supernaturali, juxta doctrinam Apostoli (1 Cor. 13), 1. citra caritatem reliquae virtutes etsi verae, inutiles sunt ad vitam aeternam (« Si habuero omnem fidem..... caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest »), atvero 2. caritate habita, adest vita

spiritualis, imo 3. caritas est principium et parens aliarum virtutum («caritas patiens est, benigna est, etc.»: item Coloss. 3. 14, « est vinculum perfectionis », ac Rom. 13. 10, « plenitudo legis est dilectio »). Hoc declarat S. Gregorius M. (hom. 27 in Evang., n. 1), « Omne mandatum de sola dilectione est, et omnia unum praeceptum sunt, quia quidquid praecipitur, in sola caritate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multae virtutes ex una caritate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis ».

Hoc tenendum esse relate ad *fidem* ipsam, liquet contra Novatores ex Galat. 5. 6, ubi ad salutem valere dicitur sola fides « quae per caritatem operatur », quemadmodum scilicet corpus per animam operatur (vel passive, juxta graecum, « fides quae per caritatem animatur »). Ad quae verba dicit S. Bernardus (in resurr. serm. 2, n. 1), « Vita quidem corporis est anima, per quam movetur et sentit; vita vero fidei caritas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo [l. c.] legis ». Caritas ergo non solas virtutes morales, quae non ipsum finem ultimum, sed media tantum directe respiciunt, sed et alias theologicas superat. Ac revera fides et spes (quae de cetero in peccatoribus esse possunt), quamvis Deum pro objecto habeant, ipsum tamen respiciunt necessario ut non visum et ut absentem, dum caritas versatur immediate circa ipsum sub ratione finis ultimi supernaturalis, uti in se est.

Hinc juxta communem theologorum sententiam, quam suadent Apostoli verba (1 Cor. 13. 8, «caritas nunquam excidit») caritas hujus vitae et caritas patriae essentialiter una et eadem est, non solum quoad habitum sed et quoad actum, ac differt tantum in perfectione accidentali, modo v. g. cognitionis et ratione continuationis. Vid. Suarez, de carit., d. 3, sect. 3.

188. — Scholion 2. de perfectione caritatis divinae in se. — 1. Caritas theologica semper et essentialiter est perfecta *a*) *specifice*, ratione objecti ejus formalis, quae ex jam dictis est bonitas Dei in se; *b*) *appretiative*, ex affectu quo Deus, ut Summum Bonum, efficaciter praefertur omnibus aliis bonis; item *c*) *objective*, ratione boni quod Deo optatur, quod est bonum divinum internum et externum, ut scilicet perfectio Dei in se subsistat et ut a creaturis glorificetur.

Ex alia parte 2. caritas gradus perfectionis admittit *a*) ratione *intensitatis*, qua appetitus sensitivus fortius movetur in unum objectum quam in aliud: nec requiritur ut caritas divina sit intensive major quam amor erga creaturas (sicut v. g. homo siti laborans *appretiative* magis diligit summam auri quam potum aquae, licet

hunc *intensive* magis desideret). Gradus item admittit caritas *b*) ratione *operationis* magis vel minus perfectae, ad quam conducit caritas hominem; necnon *c*) ratione *stabilitatis* seu permanentiae: cum possit viator a vera caritate deficere; ad *d*) ratione *continuationis:* quia in hac vita, ut ait S. Thomas (2. 2, qu. 24, a. 8), « impossibile est, propter humanae vitae infirmitatem, semper actu cogitare de Deo, et moveri dilectione ad ipsum ».

189. — **Obs. de ordine caritatis fraternae.** — Si 1. proximus comparatur cum ipso diligente, ordo caritatis nullatenus exigit, ut diligens magis se ipsum quam proximum diligat vel intensive vel objective: vel etiam appretiative, nisi quoad bona quae necessaria sunt ad salutem. Cf. S. Thomas, 2. 2, qu. 26, a. 4. — Si vero 2. proximus comparetur cum proximo, regula generalis traditur a S. Augustino (de doctr. christ., l. 1, c. 28, n. 29), « Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur ». De modo vero hujus conjunctionis propinquioris aestimandae, sicut et de peccatis contra caritatem, agitur in theologia morali. Cf. Lehmkuhl, t. 1, nn. 591, 603, sqq.

ART. 2. — DE NECESSITATE CARITATIS

190. — Inquiri potest, utrum caritas sit necessaria 1. *necessitate medii* ad salutem, 2. tanquam *conditio ad alia opera* efficienda, 3. *necessitate praecepti* specialis.

I. Necessarium esse necessitate medii ad salutem omnibus, tum parvulis tum adultis, *habitum caritatis*, eo ipso constat quod citra hunc habitum, quippe qui gratiam sanctificantem in praesenti ordine semper comitatur, nullus sit justus. *Actus quoque caritatis* necessarius est necessitate medii adultis, non quidem absolute ut justificationem obtineant, cum ad id sufficere possit contritio imperfecta cum sacramento mortuorum; sed ut jam justificati finem prosequantur, habitum caritatis in actu reducendo.

191. — **II. Necessitatem caritatis tanquam conditionis ad opera alia bona** efficienda, quod attinet: omisso errore Baii (propp. 35-40) et Quesnel (propp. 44-49), dicentium opera omnia quae sine caritate fiunt peccata esse (Denz. 915, sqq., 1259, sqq.: cf. de Gratia, nn. 66, sqq.), inquiritur utrum caritas necessaria sit ad *meritum*. Intelligitur porro meritum *de condigno* vitae aeternae: ad meritum

nim de congruo et ad virtutes naturales, non requiri caritatem, tenendum est contra Quesnel asserentem (propp. 55, 56), nullum esse opus bonum sine amore Dei, Deumque coronare et remunerare solam caritatem (Denz. 1264, 1270, 1271).

Eo ipso quod ex una parte opera bona solorum justorum sint de condigno vitae aeternae meritoria, et quod ex altera parte caritas vel identica sit cum justificante gratia, vel saltem eam necessario comitetur, vere dici potest, caritatem ad opera de condigno meritoria necessariam esse. Et cum omnia opera meritoria pondere velut suo, utpote ex fide et gratia procedentia, ad finem caritatis, qui est Deus ipse, dirigantur et referantur, dici possunt a caritate *ordinari* seu imperari: quo sensu intelligi potest S. Thomas (1. 2, qu. 114, a. 4), « ideo meritum vitae aeternae primo pertinet ad caritatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate *imperantur* ». Supposito autem motivo supernaturali in agente, influxus alius caritatis aut actualis aut virtualis, praeter hunc habitualem, ad meritum de condigno non requiritur. Non requiritur videlicet ut actus vel imperetur vel eliciatur a caritate. Ex Concilio enim Tridentino (sess. 6, can. 32: Denz. 724), universim loquendo bona justorum opera, utpote amicorum actus, sunt coram Deo meritoria vitae aeternae. Cf. de Gratia, nn. 320, sqq.

192. — III. De caritatis praecepto, aliter quam Jansenistae, erraverunt nonnulli auctores catholici caritatis necessitatem nimium diminuendo. — Videlicet 1. dicebant aliqui, nullum exstare praeceptum *speciale* caritatis (prop. 1. damn. ab Alexandro VII: cf. prop. 7 damn. ab Innocentio XI: Denz. 972, 1024), unde sequeretur, eum non peccare qui nunquam toto vitae decursu actum hujus virtutis eliceret (prop. 1 damn. ab Alexandro VIII: Denz. 1156). — 2. Alii, admisso praecepto speciali caritatis, dicebant ipsum *rarissime* vel semel tantum in vita *obligare* (propp. 5, 6, damn. ab Innocentio XI: Denz. 1022, 1023). — 3. Alii demum praeceptum caritatis ad *amorem internum proximi* obligare negaverunt (propp. 10, 11, damn. ab Innocentio XI: Denz. 1027, 1028).

Contra vero 1. ex Scriptura clare constat dari *praeceptum speciale* et distinctum caritatis divinae: hoc enim docente ipso Christo (Matth. 22), *a*) «est maximum et primum mandatum» (v. 308), et *b*) ex ipso pendent cetera omnia (« in his duobus mandatis [amoris Dei et proximi] universa lex pendet et prophetae »: v. 40).

2. Praeceptum caritatis divinae *obligare saepius* in vita, probant aliqui ex Deut. 6. 5, sqq., « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Eruntque verba haec quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo:

et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere... », etc. Id confirmant alii ex praestantia et dignitate praecepti. — *Quoties* vero vel quandonam *obliget* hoc praeceptum in vita, non constat praecise; sed praecepto facile satisfaciunt fideles, peccata v. g. ex amore Dei vitando, ne scilicet Deum offendant, recitando devote petitiones Orationis Dominicae (« sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum », etc.). Cf. Lehmkuhl, l. c., n. 324.

3. Amorem quo diligere tenemur proximum, esse etiam *internum*, constat ex ejus assimilatione *a*) cum amore, utique interno, quo ipsi diligimus nos (Matth. 19. 19; 22. 39); imo *b*) cum amore quo Christus dilexit nos (Jo. 13.34); ac *c*) explicite declaratur 1 Petr. 1. 22, « In fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius ». — De caritatis autem fraternae obligationibus fuse agitur in theologia morali.

« De fide igitur nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe, quis potest cuncta colligere, quis enumerando sufficere? Sed intueamur quod ait Apostolus, Plenitudo legis dilectio..... Itaque ubi dilectio est, ibi necessario fides et spes: et ubi dilectio proximi, ibi necessario etiam dilectio Dei ».

S. Augustinus (tr. 84 in Jo., n. 3).

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1751.M28 C001 V002
COMMENTARII THEOLOGICI ED. 2. PARIS
3 0311 00042 8123

WITHDRAWN

44021

BX
1751
.M28
AUTHOR
v.2
TITLE

44021
MacGuinness, John
COMMENTARII THEOLOGICI